

7/7/1982


S. 1301A


BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY.


ACTA
PHYSICO-MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
NATURAE CURIOSORUM
J. G. Pintz. sc.

ACTA
PHYSICO - MEDICA
ACADEMIAE CAESAREAE
LEOPOLDINO - CAROLINAE
NATURAE CURIOSORUM
EXHIBENTIA
EPHEMERIDES
SIVE
OBSERVATIONES HISTORIAS
ET EXPERIMENTA
A
CELEBERRIMIS GERMANIAE
ET EXTERARUM REGIONUM
VIRIS
HABITA ET COMMUNICATA
SINGULARI STUDIO COLLECTA
VOLUMEN SEXTUM
CUM APPENDICE.
CUM PRIVILEGIO SACRÆ CÆSAR. MAJESTATIS

NORIMBERGAE
Impenſis B. W. M. ENDTERI CONSORTIUM,
ET VID. B. JUL. ARNOLD. ENGELBRECHTI,
TYPIS FLEISCHMANNIANIS ANNO MDCCXLII.



SACRATISSIMO
POTENTISSIMO AC INVICTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

CAROLO VII

ELECTO
ROMANORUM

IMPERATORI

PIO FELICI SEMPER AUGUSTO

GERMANIAE AC BOHEMIAE

REGI

BAVARIAE SUPERIORIS ET INFERIORIS

UT ET PALATINATUS SUPERIORIS

DUCI

COMITI PALATINO AD RHENUM,

ARCHIDUCI AUSTRIAE

SACRI ROMANO - GERMANICI IMPERII

ELECTORI

LANDGRAVIO LEUCHTENBERGICO

CETERA

IMPERATORI, REGI

ET DOMINO SUO

DOMINO LONGE OMNIUM CLEMENTISSIMO.

AUGUSTISSIME IMPERATOR.

In tam lætiſſimo votivarum acclamationum concentu, quo universa Germania perſonat, *CAPITE*, ut *AUGUSTISSIMO* ſic *EXOPTATISSI-*

MO condecorata in tam arcta pietatis, ſpei & lætitiæ conſenſione, in quam diu exſpectatus de *AUGUSTALI* TVA *ELECTIONE* nuncius omnium animos traduxit ab angoribus & ſollicitudinibus; in tam inuſitata denique ciuium, & hoſpitum frequentia, quam ex omnibus ferme cultioris orbis angulis excelſi animi TVI & ſummæ ſapientiæ fama coëgit: Muſæ quoque, votis pariter ac plauſibus exultantes ſolii TVI limina adire, *AUGSTALES VULTUS* TVOS ſuſpicere, TVOque

que patrocinio ſe ſortemque ſuam committere, ea, qua par eſt, animi ſubmiſſione audent.

Quod ſi nemo unquam abs TE, qui *Titum*, *orbis delicium & generis humani amorem* vere refers et exprimis, triſtis nec ſine largo gratiæ TUÆ ſenſu diſceſſerit, non erit profecto, cur Muſis, caſtiſſimis bonarum litterarum ſacerdotibus, in TUO conſpectu ſit erubeſcendum.

Quemadmodum enim TE, IMPERATOR MAXIME

ciues TVI tamquam verum *Patriæ Patrem* venerantur ac laetis proſequuntur ominibus; quemadmodum exteri TE ſuſpiciunt tamquam *Genium quendam tutelarem* totius Germaniæ, cuius ſub auſpiciis ſalua ſacra, ſartæ leges, ac ciuilis ſocietas perſtat illibata; ſic bonarum artium ſtudia TE, tamquam *alterum Herculem Muſagetam*, cui æque curæ ſunt munia belli ac pacis ornamenta, mirantur. *Auguſto Stemmati* TVO hæc laus videtur propria & auita hereditate per longam annorum ſeriem

em relicta, ut inter gravissimorum negotiorum concatenatam multitudinem, artium liberalium amorem & promovendæ eruditionis sapientissimam nunquam deposuerint curam, adeo, ut æquis rerum censoribus optio adpareat ambigua, judiciumque difficile, utrum *Bavariæ Duces* rectius dixeris *belli fulmina*, *justitiæ oracula*, an *litterarum statores ac lumina.* Quanta munificentia *Imperator* re & nomine *magnus*, *Ludouicus Bavarus*, omnium ordinum eruditos exceperit, aluerit, fouerit, annalium monumenta

ſatis ſuperque loquuntur, nec ulla poſteritas principis hujus, immortalitate digniſſimi, ſempiternam obſcurabit gloriam.

Cui ignotum videri poteſt, illud auguſtum ſapientiæ ſacrarium, *Angeloſtadii* providentia *Ludouici*, Bauariæ Ducis, conditum, liberalitate *Erneſti* mirifice auctum, regiis denique ſumtibus ad invidiam uſque exornatum *Georgii divitis*, qui recte Hiſtoricis dicitur Academiae & Collegii Georgiani, inque eo diverſorum ſtipendiorum conditor & auctor.

Ex

Ex hac bonarum mentium officina per trium ſaeculorum, & quod excurrit, decurſum, velut ex equo Troiano laetiſſimo prodiere proventu tot Themidos cultores, qui ſummis tribunalibus admoti juris aequabilitatem, reſectis litium calumniis, ſumma ſervant religione, tot Æſculapii filii, quorum ars ſalutaris corporis humani vitiis & morbis medetur, tot ſapientiae alumni, recte ſentiendi & bene agendi ſcientia egregie nutriti, qui omnia referunt ad artem vitae, & qui verae doctrinae

uſum in Palatia, in Curias, in forum, in conuentus Procerum, in caſtra tandem deducunt. Quis eſt, qui, cum ſedem TVAM Electoralem ingrediatur, non ſtatim *Bibliothecae Palatinae* & huic adjuncti pretioſiſſimi rerum arte & natura ſingularium theſauri felici conſpectu in admirationem, immo in ſtuporem rapiatur? *Sereniſſimorum Majorum* TVORUM excelſis veſtigiis ſic, ut multum ea ſuperes, ſemper, CÆSAR SACRATISSIME, laudabiliter inſiſtis, cuius prolixae voluntatis

ac

ac ſingularis in ſapientiae & doctrinarum ſtudia benignitatis fons eſt unicus TVA diuina ſapientia & eruditio. Niſi enim IPSE litterarum pulchritudinem intima noſſes experientia, niſi illarum uſum in republica ſapienter adminiſtranda haberes expertum; profecto non tam liberali eas foveres manu, nec tantum earum doctoribus haberes honorem. Verum enim vero laudibus TVIS non dicemus exornandis, ſed tantum enarrandis longe impar habetur orationis noſtræ infantia,

tia, quæ ſupplici tantum voce MAJESTATEM TVAM SANCTISSIMAM cupit exoratam, ut ſocietatis, quæ ſemper audit *Cæſarea*, in quam tutandam & exornandam *diui TVI Anteceſſores* glorioſiſſimæ memoriæ æterna largiſſimæ gratiae contulerunt monumenta, ſocietatis, quae ultra decem luſtra ſcientiarum latifundiis amplificantis haud prorſus inutilem conſecrat operam, auguſtum in TE aequus propitiusque ſuſcipias patrocinium, ac ſub ſacris Imperii TVI auſpiciis,

ciis, hancce variarum ex adparatu physico & medico depromptarum observationum collectionem, ceu cultus devotissimi primitias, ceu obsequii deditissimi tesseram, ceu industriæ qualecunque specimen, more TVO, id est, sereno vultu, adspicere haud dedigneris. Sic nostræ Societati novum, idque auspicatissimum, exorietur, optima quævis sperandi, sidus; sic omnibus illius mem-


bris novi ſubdentur ſtimuli, pro virium valore bene de litterarum ſtudiis merendi. Conjungimus læti pari conſenſu pietatis voces & votorum ſuſpiria, DEVM Ter Optimum Maximum devotiſſime precati, ut TE, AVGVSTISSIME IMPERATOR, quam diutiſſime rebus humanis, humani generis bono, intereſſe iubeat: vt quam primum compoſito bellorum impetu, armorumque

que ſtrepitu ſedato, Germaniae noſtrae opima & durabilis pax adfulgeat, ac TE duce & auſpice aurea Auguſti reducantur tempora, palmis fœcunda, bonorum ubertate repleta, & ſcientiarum luminibus illuſtria. Sic ſemper honos, nomenque TUUM, laudesque manebunt; ſic utique Domus Auguſta, novis ſubinde incrementis aucta, ſaeculis florebit & imperabit innume-

rabilibus; ſic dulcia cum plauſu ſemper decantabunt gaudia.

SACRAE CAESAREAE
MAJESTATIS VESTRAE

humillimo obſequio devotiſſimi
Praeſes, Director, Adjuncti
& Collegae Academiae Naturae
Curioſorum.



PRAEFATIO.

Dum universſa Germania, dulciſſima patria noſtra fauſtis auſpiciis AUGUSTISSIMO CAPITE condecorata, ad certiſſimam melioris ſortis ſpem ſeſe erigit, lætioresque temporum expectat vices; Muſæ quoque, velut ſigno quodam ad bene ſperandum elato, ſuaviſſimo hujus voluptatis ſenſu captæ novas vires colligunt, collectasque in ſcientiarum augmenta laudabili prorſus conſilio intendunt. Inprimis vero noſtra Societas, quæ per decem luſtra & quod excurrit, præter divinam adſpirantem gratiam, ex ſolo AUGUSTALI CÆSAREO NOMINE felicitatis & ſplendoris ſui ducit ſtamina pariter atque lumina, jure meritoque

toque lætatur, hujusque lætitiæ publicum consecrare monumentum constituit. Nulla autem ratio, erectam spem rite declarandi visa est potior praestantiorque, quam si novum variarum observationum, quibus rei physicæ & medicæ limites dilatantur, facta collectione, VOLUMEN cum erudito orbe communicemus, & usui publico exponamus. VOLUMEN, inquam, haud mole & magnitudine, sed rerum contentarum pretio & selectu æstimandum.

Omnem enim dedimus operam, ut ex largo doctissimarum observationum apparatu, quarum quæque luce publica videtur digna, rariores & quæ maximam pollicentur utilitatem, excerperemus, TUISque oculis LECTOR BENEVOLE debita modestia subjiceremus. Quod si conatus nostri qualescunque judicio & calculo doctissimi cujusque non plane habentur indigni; utique novus nobis addetur stimulus, fervente inprimis HONOR. COMMILITONVM NOSTR. industria, ut in condendo novo volumine nostra sese exerceat cura; multis enim jam sæculis compertum est, sacra ista medica nullis aliis

fulcris quam aſſidua obſervatione, & juſta experimentorum fide niti & ſtare. Ad quem ſcopum rite aſſequendum conjunctas multorum doctorum vires, operas, manus, oculos per multum facere, quid? quod omne ferre punctum jam recte monuit acutiſſimus Verulamius, ille felix omnium ſcientiarum Reſtaurator. Collectores harum obſervationum itaque non ſolum id ſibi dari negotii exiſtimabunt, ut pro virili parte rei medicæ incrementa variis acceſſionibus locupletata promoveant, verum etiam, cum ipſi in ordine Collectionis hucuſque recepto & conſtanter ſervato, nonnulla jure meritoque deſiderent, novam ingredientur viam, his incommodis medelam adhibendi, & melioris ordinis electione operi novum conciliandi decus. Præſenti volumini conſpiciuntur annexæ memoriæ Virorum fato placide defunctorum de litteris orbe docto & Societate noſtra bene meritorum, quorum nomina nulla unquam poſteritas ingrata obſcurabit oblivione. Quemadmodum omnes flebili deſiderio ſui grati lubentesque proſequimur; ita inprimis inſignem illam graviter dolemus jacturam, quam Reſpublica litteraria

haud ita pridem eſt paſſa in acerbo funere eruditi præcocis, magni Patris magni filii Heiſteri Junioris, omnino, cui magnus MOSHEMIUS virtutum ſuarum contingeret præco, digniſſimi. Id unice in votis habemus, ut DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS pro gratiæ ſuæ abundantia mœſtiſſimum parentem cœleſti ſuo recreet ſolatio, vitæque annos ad ſeram mortalitatis metam extentos meritorum exæquet magnitudini. Tu vero, Lector Benevole, bene vale, & imposterum quoque conatibus noſtris fave.



I.

Continuatio

CATALOGI

Dnn. Collegarum Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curiosorum,

ab anno 1740. usque ad annum 1741. in eandem receptorum.

1740.

Ordo
Receptionis

497. Dn. D. *Joannes* BURMANN, Prof. Botanices in Horto medico Amstelædamensi. *Dioscorides III.*

498. Dn. D. *Gottlieb Henricus* KANNEGIESER, Medicinæ Prof. Publ. in Academia Kiloniensi. *Telamon II.*

499. Dn. *Carolus Fridericus* HUNDERTMARK, Philos. & Medic. Doct. & Pract. Lipsiensis. *Hesperus II.*

500. Dn. *Joannes Daniel* SCHLICHTING, Medic. & Chirurg. Doct. & Practicus Amstelædamensis. *Nymphodorus II.*

501. Dn. *Joannes* ALBRICHIUS, Medic. Doct. & Adsessor Senatus Coronensis in Transylvania. *Chrysippus III.*

502. Dn. D. *Joannes Jacobus* RITTER, Anatomicus quondam apud Bernates celeberrimus, jam Archiater Sereniss. Landgravii Hasso-Homburgensis, & Physicus ibidem. *Mundinus II.*

Ordo
Receptionis.

503. Dn. D. *Joannes Georgius* HOFFMANN, Regio-Electoralis Collegii metallici Freybergens. Adsessor. *Casius.*

504. Dn. *Albertus* RITTER, Gymnasii Regio-Ilfeldiaci Pro-Rector. *Chrysermus II.*

505. Dn. D. *Joannes Jacobus* KIRSTEN, Physiolog. & Chymiæ Prof. Publ. in Academia Altorfina. *Hermes II.*

506. Dn. M. *Samuel Gotthold* LANGE, Verbi Divini apud Laublingenses Minister, rerumque naturalium scrutator solertissimus. *Apollonius Pergaus II.*

507. Dn. D. *Joannes Sebastianus* EDLEBER, Reverendiss. & Celsissimi Principis & Episcopi Bambergensis & Würceburgensis Consil. & Institut. Medic. in Academia Würceburgensi Prof. Publ. Ordinar. *Eudemus II.*

508. Dn. *Joannes* GRASHUIS, Med. Doct. & Pract. Amstelædamensis. *Mantias II.*

509. Dn. D. *Joannes Jacobus* HUBER, in Academ. Georg. August. Anatomiæ Profector & Medic. Prof. Publ. Extraord. *Aretaus II.*

510. Dn. M. *Bonifacius Henricus* EHRENBERGER, in Illustri Gymnasio Coburgensi Mathes. & Metaphys. Prof. Publ. & Alumnorum Inspector. *Euclides III.*

511. Dn. D. *Tobias Henricus* HAEHNE, Physicus Leobergensis in Silesia. *Hygienus II.*

512. Dn. *Jacobus Josephus* MORONSKI, Philosoph. & Medic. Doct. & Practicus Leopoli in Polonia. *Metrodorus II.*

II. CA-

II.

CATALOGUS

Dominorum Collegarum hujus Academiæ, hactenus, quousque quidem nobis constat, demortuorum.

Ordo Receptionis.

215. Dn. D. *Christianus de* HELWICH, diversor. Silesiæ Ducum & Magnatum Consiliar. & Archiater, Practicus Wratislaviens. & Academ. Natur. Curiosor. Adjunctus, † d. 20. Septembr. 1740. ann. ætat. 74.

267. Dn. D. *Carolus Nicolaus* LANGE, Practicus Lucernensis, & Academ. Senensis Physico-criticæ Collega, † sub initium circa anni 1741. ann. ætat. 71.

299. Dn. D. *Hermann. Wernerus Engelbertus de* WESTHOFEN, S. R. I. Eques, Comes Palatin. Cæsar. Consul Reipubl. Hammonens. & Adjunctus Colleg. Med. Berolinens. per Comitatum Marcanum, † d. 3. Aug. 1732. ann. 47.

Hujus mors justo tardius nobis annunciata fuit.

359. Dn. D. *Petrus Antonius* MICHELOTTI, Medicus Venetus præstantissimus, † d. 1. Febr. 1740. ann. ætat. 60.

Ordo
Receptionis

372. Dn. D. *Carolus Fridericus* LOEW, Practicus Sopronienſis in Hungaria & Academ. Nat. Curioſ. Adjunctus, † d. 6. Novembr. 1741.

447. Dn. *Joannes Theophilus* MICHAELIS, Potentiſſ. Polon. Regis & Saxoniæ Electoris Officialis cubiculi intimior, Inſtrumentorum mathematicorum & rerum foſſilium nec non artificialium Cimeliarcha, † d. 9. Decembr. 1740. anno ætat. 36. & 6. menſ.

481. Dn. D. *Samuel de* DRAUTH, Practicus Medicinæ Corona-Tranſylvanus, † Menſ. Septembr. 1739. dum fornicata domus ſuæ camera ipſum ruina ſua ſepelivit.

486. Dn. D. *Elias Fridericus* HEISTER, Sereniſſ. Ducis Brunſvico-Lüneburg. Conſiliar. & Medicinæ in Academia Helmſtadienſi deſignatus Profeſſor, † d. 11. Novembr. 1740. Lugdun. Batavorum, ætat. ann. 26.

Memoria Ejus extat in Append. hujus Volum. pag. 191. ſqq.

507. Dn. D. *Joannes Sebaſtianus* EDLEBER, Reverendiſſ. & Celſiſſ. Princip. & Epiſcopi Bambergenſ. & Würceburgenſ. Conſiliar. & Inſtitutio Medic. in Academia Würceburgenſi Prof. Publ. Ordinar. † d. 25. Menſ. Mart. 1742. ann. ætat. 34.



III.

CATALOGUS

alphabeticus

Excellentissimorum Virorum, qui pro VIto hoc Volumine Observationes Physico-medicas communicaverunt.

Dn. D. *Joann. Sebastian.* ALBRECHT, Philos. natur. Prof. publ. & Physicus Provincial. Coburgens. A. N. C. *Panthemus* pag. 116. 404. 476

Dn. D. *Georg. Henricus* BEHR, Celsiss. Comitis Josephi ab Hohenlohe-Waldenburg Archiater & Practicus Argentinensis. A. N. C. *Glaucias* II. 295

Dn. D. *Nicolaus* BOERNER, Practicus Neostadii ad Orilam, A. N. C. *Asterion II.* 350

Dn. D. *Joannes Gottlieb* BOETTICHER, Med. Pract. Hafniensis, A. N. C. *Gorgias II.* 147

Dn. D. *Joann. Martin.* BREHM, Reg. Suec. & Hassiacus, itemque Ducalis Hildburghusanus Med. resp. aulicus & Provincialis, Practicus Smalcaldens. A. N. C. *Sethus II.* 330

Dn. D. *Andreas Elias* BUCHNERUS, Sacr. Cæsar. Majest. Archiater, Comes Palatinus Cæsar. S. R. I. Nobilis, Chymiæ in Acad. Erfordiensi Prof. Publ. & Facultat. Med. Adsessor ordinar. A. N. C. PRÆSES. 187

Dn. *Joan. Godofredus* BUCHNERUS, Illustrissim. Comitum

Dn. D.

ACTO-



ACTORUM PHYSICO-MEDICORUM ACADEMIAE CAESAREAE NATURAE CURIOSORUM VOLUMEN SEXTUM.

OBSERVATIO I.

Dn. D. JOAN. ADAMI RAYMANNI.

De Aphonia Ebriorum.

Cum inter consueta crapulosorum symptomata maxime ominosa haud postremum maximeque sonticum sit *aphonia*, ideo operæ pretium esse duxi, quædam circa prognosin ejus, ex-

perientia duce ac magiſtra, ad mentem Principis noſtri HIPPOCRATIS, commentari. Sic autem ille Sect. V. Aph. 5. *Si ebrius*, inquit, *repente obmutuerit*, *convulſus moritur*, *niſi febri corripiatur aut ubi ad horam pervenerit*, *qua ſolvuntur crapulæ*, *vocem receperit*. Ridiculum foret, quid per ebrium velit, multis deſcribere verbis, quid enim, poſtquam potatio, in morem jam & conſuetudinem, non hominis, ſed gentis, immo gentium, neque id exigui temporis ſpatio, ſed ſeculorum, abiit, proh dolor! frequentius eſt, quam cum ratione & voluntarie inſanire, præcipue cum ſicut poculis certare magnificum, ita vincere, o tempora! o mores! glorioſum ſit. Diſpiciendum potius erit, quid per *repentinam aphoniam* intelligat. Datur enim lenta & ſucceſſive invaleſcens, quando nempe, prout Poeta canit,

Hominem vini vis penetravit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor,
Conſequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens:

donec aucta temulentia, omnem libere progrediendi & loquendi potentiam amittat, truncique inertis inſtar, apoplectico modo ſoporatus & proſtratus jaceat. Huic vero opponitur repentina & ſubitanea obmuteſcentia, ubi vinoſi, quos fœcundi prius pro more calices, diſertos, dicaces, corniceque loquaciores reddiderunt, quoniam ſubſidente vino, ſupernatant verba, ut eſt in proverbio, extemplo ipſis piſcibus magis muti evadunt. Prior illa ſpecies, nempe lenta, non lethalis eſt, experimur enim in dies, popinones, vino ſomnoque ſepultos & obrutos, diſcuſſa tempeſtive crapula, vocem non ſolum recipere, ſed & incolumes evadere, nec facile in convulſivos motus, ſed

apo-

apoplexiam potius vehementem, quod athletici corporis habitus maturiorisque ætatis helluonibus, ſi præcipue ſupini jaceant, nec hinc revomere ingeſta valeant, nonnunquam contigiſſe novimus, opinione citius lethalem, terminatur, vel in leviori malo in paralyſin deſinit: Et quamvis, ſicut in omni graviori apoplexia, ita & hac ebrioſorum, ubi ad incitas res devenit, convulſiones ceu extremi naturæ conatus ſuccedere ſoleant, tamen, cum nullus amplius hoc in caſu ſit remedio locus, non de hac, ſed de altera, *repentina* ſcilicet, intelligendam eſſe prognoſin Coi noſtri, manifeſtum eſt. Ipſa quippe cum jam ſit ſpaſmodica & convulſoria, ex nimia ſcilicet vaſorum plenitudine, turgenteque, Encephali præcipue meninges plus juſto diſtendente vicinosque primum nervos cum linguæ vocisque organis hinc ſtringente, plethora oriunda, facilis inde non conjectura, ſed conſequentia eſt, ſtrictura hac in remotiores meningum propagines continuata, utpote quæ nervos ad omnes minimas uſque partes comitantur, conſpicuas magis & univerſaliores convulſiones conſequi debere.

Aegros autem ita convulſos non ſtatim prognoſtico relinquendos eſſe monet, quia primum quidem, quod inexpertis maxime mirum videri poſſet, febris præſidio eſſe ſolet: ſolvit quippe convulſiones ſuccedens febris juxta *Sect. IV. Aphor. 57. & 354. Prænot. Coac. Edit. Foes.* & ex his repentinas, a proprio ſcilicet principio ſine prophaſi aliqua (quod ex repletione oriundis proprium eſt,) emergentes potiſſimum, *358. Coac. Prænot.* quales cum ſint ebrioſorum, conſumtis, per febrem oneroſis humoribus, cum ſanitate in gratiam redire poſſe, in aprico eſt. Sit autem oportet febris acuta, quæ prius non aderat, aut ſi adfuit ingraveſcens, quæ ſcilicet non vehementer ſaltem,

ſed & continenter moveatur, ſicque æqualem humorum turgentium diſtributionem, eorumque per ſua excernicula remotionem & conſumtionem perficere, ac deperditum inter vires cordis & meningum æquilibrium, poſtliminio reparare valeat; lenta enim febris, aut mitior, dum humores quidem commovet, ſed non diſſipat, nec exhaurit, gravioribus malis onerat ægros, diuturniorque eſſe ſolet, cum e contrario altera, vel celeriter movet & ſimul excretiones promovet, ſalutaris ſit, & eodem, aut altero vel tertio die ceſſat, vid. HIPPOCRAT. *de locis in homine pag. 420.* Oportet etiam porro, ut ſi quis ex temulentia voce deficiat, confeſtim eum febris corripiat; alias intra tertium diem talis moritur, *2. de Morbis pag. 468.* quo ſcilicet natura valens & in robore ſuo exiſtens, ſalutares, efficaciter ſuſcipere poſſit motus: qui enim fractis morbo & elanguidis ſuccedunt viribus, vi morbi potius, quam naturæ energia, adeoque ſymptomatice contingunt, & hinc occidunt; inde etiam in apoplecticis, lentæ & tardantes tales febres *480. Coac. & 82. Prof.* damnantur.

Deinde vindicat ſe ab interitu, & feliciter ſæpius ex his eluctatur natura anguſtiis, dum ſomno & quiete contemperatis humoribus, moleſtam ſibi pleonexiam per inſenſibilem eliminat tranſpirationem. Terminum equidem certum, quo temporis intervallo ſcilicet, id conficere, crapulasque ita ſolvere ſolent, ſtatuere difficile eſt, pro natura enim hominis, ebriaminis item qualitate & quantitate, hincque conſequente majori vel minori tumulentia, multum is variat. Conſtat tamen experientia, plurimos poſtridie, aliquos ſequenti demum nocte, vel qui terminus remotiſſimus & extremus eſt, tertio die exſpirare crapulam. Convaleſcere hinc aphonos ex ebrietate, *3. de Morb. p. 490.* docet HIPPOCRATES, ſi eodem, aut poſtero,

ſtero, aut tertio die vox eruperit, ominoſum tamen & ſuſpectum eſt, ſi ebrii alteram noctem aphoni tranſigant, intra tertiam enim morituros, *2. de Morb. p. 468.* prædixit. Eſt autem vocis hæc eruptio certiſſimum reſtauratæ rurſus œconomiæ naturalis, ſublatique, bona fortuna, ex plenitudine Encephali oriundi, & hactenus durantis ſpaſmi & convulſionis, indicium, quæ, quo celerior, eo aptabilior & ſecurior eſt. Loquendi enim impotentia in convulſionibus diu durans mala eſt, quæ vero parum durat linguæ ſiderationem, aut brachii, denunciat, *359. Coac.* unde etiam huc absque dubio reſpexit Cous noſter, dum *2. Epid. 6. p. 1050.* inquit: *Convulſis, ſi vox die impari libera reſtituitur, a magno morbo immunitatem præſtat.*

Liceat jam hæc, quæ dicta ſunt, exemplo illuſtrare & confirmare; Vir ſpectatæ nobilitatis, athletici & robuſti corporis habitus, quinquagenario major, hoſpitaliſſimus & a multis retro annis lautiori vitæ generi adſuetus, cum ſub exordium hujus anni Bacchanalia pro more celebrare cuperet, totoque die certatim hauriret ſpumantes pateras, plenoque ſe prolueret ore, veſpertinis inſuper horis ſodalitium vino abſtemium nactus, ſpirituoſo potu, qui olim *Aqua Vitæ*, nunc ſpecioſo nomine *Roſſoli* artificibus dici conſuevit, corpus vino ſatis madens in ſeram usque noctem protracto convivio, repleret & obrueret, ira præterea vehementius, inopportune excandeſcens, inſomnem ageret noctem, altera die circa meridiem adhuc dum crapuloſus & jurgioſus, repente titubare, mox ruere voceque privari incipit. Defertur equidem, vel potius rapitur in lectum, ut ſub ſomno crapulam amitteret, ſed illo haud ſubſequente, per vices retracto in latus ſiniſtrum capite, leviter convellitur. Diſſimulatur interim, vel

A 3 negli-

negligitur hucusque ignotus morbus, sed cum suo se proderet, tamquam sorex, judicio, increbescerentque & vehementiores, raptis simul in consortium mali utrisque jam brachiis, involuntarii hi motus redirent, concurrunt anxio & ancipiti metu familiares, præcepsque urgent & quærunt artis auxilium. Vocatus adsum, ægrumque facie turgida, oculis prominentibus æstuantem & anxie se jactantem conspicio dumque originem geniumque mali solertius indagare & ab adstantibus (æger enim nutu saltem ad interrogata respondebat,) expiscari contenderem, ecce retracto rursus fortiter in latus sinistrum capite, concussisque brachiis, immo & , levius licet, pedibus, inopinato convellitur. Urget ergo præsens periculum,& quisque adversissimo morbo celerem facere optat medicinam; hic scilicet phlebotomiam, ille specificum antepilepticum & cordiale, alter opiatum & nescio quid, quisque pro suo ingenio consulit. Ego vero, cognita morbi causa, cum halitus per os ægri erumpentes, hesternam potationem proderent, & ille ipse crapulam oleret, superato post pauca momenta paroxysmo, ægro sibi non satis constanti, præmisso Clysmate, exhibeo emeticum liquido - spirituosum, quod primum quidem reliquias saltem ebriaminis, sed paulo post bilis meracæ & amarissimæ etiam insignem vomitu excutit copiam, similemque operationem per inferius guttur exserit. Bis interea momentanee, redeunte paroxysmo, cum æger fortiter æstuaret & intra horas quinque septies jam convulsus fuisset, pro imminuenda capitis plethora & fervore mitigando, venæ sectionem impero. Depletis venis sanguineque spisso & seri experte, qualis in alteram etiam diem perstitit, extracto, inducias cum morbo obtineo, immunitatemque ab ulteriori recursu præsto, ægro interim, cum infusum Thee,

ob nauſeam & vomitiones perpeſſas, ſorbillare recuſaret, decoctum Citri largiter, invito etiam, offerri jubeo, unde circa mediam noctem demum, in ſomnum delapſus, ita reficiebatur, ut mane evigilans, immemor licet omnium actorum, totus ſibi reſtitutus eſſe videretur, vocemque ſimul ex integro reciperet. Cum ergo de nullo alio, excepta ſiti & laſſitudine, æger conqueretur incommodo, deſtitimus hac die ab ulteriori medicatione, ſolumque conceſſimus ſorbillationem juſculi cum Cremore Tartari acidulati & pro potu decoctum ſupra notatum. Exacta vero ſatis tranquille ſubſequente nocte, quarto die mane evigilans & vomiturire incipiens, hauſit, pro eliminandis crapulæ & bilis reliquiis, ſolutam in Aqu. Cichor. Anglici ſalis unciam, quam cum mox præter intentionem revomuiſſet, & paulo poſt, repetito vehementi vomitus impetu, magnam bilis meracæ copiam, aluo tamen adhuc clauſa manente, rejeciſſet, ſucceſſerunt ſpaſmi & dolores cardialgico-colici graves, quos dum lenire ſimulque alvum ſollicitare repetita olei Amygdal. dulcium exhibitione fruſtra conaremur, rurſus ventrem clyſmate proluere juſſimus, ſicque optatam ſymptomatum moleſtorum mitigationem conſequuti ſumus. Cum vero multum adhuc cum linguæ fauciumque ariditate, æſtuaret æger, urinaque bilioſa & ſaturate rubens eſſet, pro fervore humorum contemperando, circa noctem pulverem nitroſo-cinnabarinum ſumſit, qua ſatis quiete exacta, niſi quod bis bono omine alvum depoſuerit, ſiti remittente æſtuque detepeſcente, ultro ferocire ceſſat morbus, etſi doloris alicujus in hypochondriis ſenſus, ob proxime perpeſſos ſpaſmos ac vomituritiones impetus, remanſerit, faſtidiumque carnium, omniſque ebriaminis, quod alias in maximis deliciis habuit tædium & averſatio tanta, ut odore nauſeam moveret, continuaverit. Cum

dein

dein nocturnis horis idem repitiiſſet medicamen, circa tertiam ſurgentis diei horam inopinato rigore & horrore febrili per bihorium, ex opinione ſua, durante, concutitur, cui æſtus nec vehemens, nec admodum diuturnus, ſudor vero, qui hactenus nullum ſui adhuc dederat indicium, maxima cum euphoria ſucceſſit largiſſimus; conſumta enim & depleta hoc modo humorum pleonexia, continuantibus, licet parcius, ſudoribus matutinis, non febricitare ſaltem deſiit, ſed reparatis etiam paulo poſt, ſub uſu ſtomachico - tonicorum, viribus, ex integro cum ſanitate in gratiam rediit. Utinam vero proprio ſui periculo, qui alieno ſapere noluit, edoctus, ebrietatem, unius horæ hilarem inſaniam, ut eleganter SENECA inquit, longi temporis penſare tædio, cautius mercari, ſobriamque vivere vitam pergat, alias vereor, ne, quas modo proſpera fortuna effugit caſſes, in eas incidat gravius, ſicque ſe irretiat, ut nullus amplius elabendi ſuperſit modus.

Cæterum, ſi quis forte ſimplicem hanc medendi methodum carpere, altoque deſpicere vellet ſupercilio, immo nos, quod morbo huic ſontico pauca tantum, eaque facile parabilia, non pretioſa, gemmea, ſolaria, aut ſecretiori arte parata antepileptica in tam illuſtri præcipue ægro, (quod hominum genus prout præ plebjis lautius paſci, ita & ſpecioſius medicari vult, ſalutemque ſuam vel majori & tædio, & impenſis redimere, vel morte pretioſa mori conſuevit,) adpoſuerimus, negligentiæ, ſi non inſcitiæ argueret & inſimularet is ſciat velim, primum nos nolle fabulam GEDEONIS HARVÆI agere, qui inutilem ſuperfluitatem medicaminum perſtringere intendens, ſimium, captato pediculo, catenam ad ejus ligandos pedes, aſciam, ſerram, cultrum, malleum, & multa alia inſtrumenta ad detruncandum illius caput, adduxiſſe fingit; Deinde, nos nec fumos vendere, nec

verba

verba dare consuesse, dum enim nobis, sublata morbi, per emesin & phlebotomiam, causa, in qua curationis methodicæ cardo vertitur, tollere etiam effectum, contigit, quare ad inania hæc opinionum commenta, quorum vanitatem etsi plusquam theatrali rhetorica passim adhuc commendentur, satis perspectam habemus, nisi, si forte opinioni & consuetudini litando, obtrudere palpum ægroque fucum facere e re nostra fuisset, condescendere, sicque officiose nugari oportuisset non video. Cur autem emesin ante phlebotomiam imperaverimus, ille nobis tacentibus etiam cognoscet, causam, qui, quantum mala stomachi diathesis ejusque cacochylia ad fovendas non modo, sed & causandas vertiginosas apoplecticasque capitis adfectiones, conferat, novit, experientiaque didicerit, quantum in his casibus in opportuna & prudenti emesi præsidii & auxilii sit. Ipsa certe natura, optima morborum medicatrix, hac sibi consulit methodo, crapulaeque incommodis per vomitus feliciter mederi adsolet, quam proinde fidissimus ejus interpres *HIPPOCRATES*, *3. de Morb. p. 490.* jam commendavit & præscripsit.

OBSERVATIO II.

Dn. D. JOH. ADAMI RAYMANNI

De

Subsidiaria eaque tutissima Lochiorum per alvum evacuatione.

Non male *HIPPOCRATES lib. de flatibus p. 296.* Medicinam eorum, quæ deficiunt, additionem, & eorum, quæ exsuperant, subtractionem esse dixit, sententiamque hanc suam confirmat exemplo famis, cujus remedium est cibus, sitisque, quam sedat potio, plenitudinis

item, quam evacuatio, prout econtrario evacuationem plenitudo, laborem otium & otium labor sanat, hincque contrariorum contraria remedia esse concludit. Cum enim sanitas in proportionata humorum ad vasa quantitate, hincque oriundo harmonico fluidorum & solidorum æquilibrio, tam in toto corpore, quam in singulis ejus partibus consistat cujus scilicet virtute æqualis humorum per minimas partes distributio, non solum, sed eorum etiam debita se- & excretio constanter durare debet, ut hoc modo corpus vivum a prutredine, in quam alias ratione constitutionis suæ maxime proclive est, conservetur: necessarium hinc est: morbos, sublato hoc æquilibrio, succedere, nec eosdem aliter, quam per illius restitutionem, rursus profligari. Ideo etiam pro conservanda integritate sanitatis *HIPPOCRATES 3. de Victus rat. p. 369.* commendat, ut inquiratur, utrum cibi labores, an vero hi cibos exasperent, aut an moderate se habeant erga se invicem: quodcunque enim superatur, ex eo morbi contingunt, ex mutua vero inter se æquabilitate sanitas, inquit, adest; hinc qui a repletione nascuntur morbi, vacuatione sanescunt, qui autem ex vacuatione gignuntur, eos sanat repletio, *Sect. II. Aphor. 22.* In dies experimur, naturam humanam, quam sapientiorem quovis Medico magisque utilitatis suæ & damni, quam cuncta scholarum ingenia, gnaram esse, dixit HELMONTIUS, morbis feliciter hac potissimum mederi methodo, dum vel confertim, motus ministerio (nec enim præter hunc quidquam præsidii in sua habet potestate,) superflua & œconomiæ suæ onerosa rejicit, morbosque ita in prima, ut ajunt, herba suffocat & subigit, vel si forte ob meatum & viarum angustiam, aut humorum etiam spissitudinem, vel utrorumque vitio finem suum obtinere non potest, tunc mora hac contractam Cacochymiam maturat, digerit, & per vias convenientes & opportunas successive e corpore prscribit.

bit. Longum & ab instituto nostro alienum nimis foret, veritatem hanc per omnia morborum explanare genera, dabimus tamen in deficientium, vel suppressorum etiam Lochiorum curatione exemplum.

Quamvis equidem quorumvis humorum excretiones solennes, si deficiant, tardentur: vel penitus supprimantur, maxime autem hæmorrhagicæ, admodum graves & difficiles esse soleant, inter has tamen plurimum sibi lochiales vindicare periculi, hospes sit oportet in Medicina, qui dubitaret, non quod sanguis hic lochialis venenosæ (prout olim somniabat superstitiosa antiquitas,) sit qualitatis, siquidem, si mulier sana fuerit & futura est, tunc puerperii purgamenta adparent, velut sanguis a victima, ut verbis utar *HIPPOCRATIS*, *I. de morb. mulier. p. 619.* adeoque omnis malignitatis expers sit oportet, (licet de reliquo inficias ire nolim, interdum ob restagnantes & lentescentes humores circa uterum morbidum, per lochia excerni sanguinem, quem si supprimi contingat, sonticas magis turbas dare, quilibet fatebitur,) sed quod tanta ejus sit copia, ut vires resistentiamque vasorum, quam eadem, contrahente se & peracto partu subsidente uteri mole, iterum acquirunt, multum superet, mutuumque hinc tollat æquilibrium. Uterus namque gravidarum non simpliciter ut vesica expansa, pro gradu dilatationis suæ extenuatur, sed substantia ejus a sanguine pro fœtus nutritione & augmento adfluente, potius successive spongiæ instar ita intumescit, ut dilatatus licet, pro ratione incrementi fœtus eandem tamen fere, quam ante imprægnationem habuit, retineat crassitiem, qua de re etsi Gallorum nonnulli dubitarint, post DEVENTERII tamen & Neotericorum industriam, & autopsiam nulla amplius hodie superest quæstio. Conferatur quæ Excellentiss. *Heisterus* notavit in *Actis nostris phys. med. Vol.* I. *Obs. 183.* Sicque non saltem quoad diame-

 trum,

trum, ultimis præsertim graviditatis mensibus, sanguifera ita increscunt vasa, ut *Regnero de Graaf* teste, majora ex his digitum in cavitatem suam admittant, sed substantiæ insuper uteri tantum molis accedit, ut cum virgineus rarissime unciarum duarum, nunc pondus libræ unius ac alterius, ex relatione BOHNII, excedat. Quanta ergo humorum copia ad vasa corporis reliqua, redeunte ad pristinum virginitatis statum utero, redundet, facile nunc concludere licet. Vera hinc est prognosis *HIPOCRATIS de Nat. Pueri p. 239.* difficilia esse, si subsistant, quæ ex partu & abortu copiosa celeriter & cum impetu feruntur; nisi enim mulier a partus purgamentis repurgetur, magno tentabitur morbo, vitæque periculum incurret, nisi quis celeri adhibita curatione convenientem purgationem promoveat, succedunt scilicet febres acutæ inflammatoriæ, primum quidem circa uterum & vicina abdominis viscera, dein facta humorum, in subjectis junioribus præcipue, metastasi ad superiora, pleuriticæ, anginosæ, phreniticæ, malignæ item, purpuraceæ & cito lethales, ut morbos alios tardantes & chronicos, quos *HIPPOCRATES de morb. mulier.* fuse satis delineat, taceam, rarissimum quippe est, partum absque lochiis innoxium contingere, quod tamen præter *SALMUTHUM Cent. III. Obs. 89. HAGENDORNIUM Hist. Med. Cent. III. Obs. 9. Ephemerid Nat. Cur. Dec. II. An. I Obs. 41.* & alios, recentissime in *Commerc. litterar. Norimberg. An MDCCXXXIV. Hebd. XXVI.* doctissimus adnotavit *WERLHOFFIUS.*

Hac humorum mole pressa per subsidiarias & vicarias hæmorrhagias locaque aliena sibi consulere adsueta natura, ambiguo & dubio licet marte, ex his angustiis, qua scilicet via datur, per nares, pectus, vel pulmones, stomachumque eluctari tentat quidem, sed, ob viarum inconvenientem conditionem, funesto plerumque, excepta saltem narium hæmorrhagia, quam speciatim *SALMUTHUS*

Cent.

Cent. IV. Obs. 89. & AMMANNUS *Ephemer. Nat. Curios. Dec. I. Ann. II. Obs. 184.* minus formidandam esse censent. Felicius vero succedit negotium, si ad intestina vergant humores, & vel actualis sanguinis per hæmorrhoides, vel etiam facta in serum sanguinis resolutione, per diarrhœas, aquosa, carnium loturæ similis, aut quasi dysenterica contingat excretio: Sunt enim intestina, si sudores universales & γνησίους (siquidem ex imbecillitate virium resolutorii, symptomatici & lethales dantur,) excepero, maxime opportunum feri excerniculum, commendatque hujus excretionis opportunitatem tum loci vicinitas, dum morbi per eam partem educendi sunt, cui maxime vicini esse solent, & ubi singulis quam proximus est exitus, juxta HIPPOCRATEM, *de Loc. in homine p. 422.* tum etiam consensus & communio per vasa, loci quippe alterius noxios humores loca quædam excipiunt, propter communitatem, quam habent, & liberant, Idem *6. Epid. 3. Aph. 29.* Cum uteri vero cervice & vagina intestinis intercedere per aliquot ramos venæ portæ commercium, ex anatomicis constat, propter quod etiam insignis inter menstruum & hæmorrhoidalem fluxum observatur consensus, ut gravidarum silentio transeam dysenterias, quas subsequente terminari partu sæpius HIPPOCRATES jam *2. Prædiction. p. 104.* indicavit, prout vice versa per crebriores diarrhœas, menses & lochia supprimi, aliunde constat. De innoxio successu, immo salubritate vicariæ hujus excretionis præter ea, quæ nuper Illustris noster Præses, *Actor. phys. med. Vol. IV. obs. 2. in Scholio* docte, pro more suo, commentatus est, testantur BARTHOLINUS *Cent. III. Hist. Anat. 19.* dum non raro Lochia salutariter per alvum expurgata fuisse, sibi observatione constare scribit, itemque BAGLIVIUS *Oper. p. 110.* *Dysenteria*, inquiens, *in Puerperis non est mala, nam lochiorum materiam per vicina loca optime minuit, cave igitur, ne stringas, nam per*

eam lochia evacuantur, quod duobus firmat ibidem exemplis, ERNDELIUS in sua *Warscavia illustrata p. 246.* & nos iterata experientia convicti sumus. *Non diffitemur interim, vix dari morbum*, sunt verba RODERICI a CASTRO, *in quo magis hæsitare soleant Medici & plus periclitentur fœminæ, quam Puerperio junctum alvi fluorem; si enim hunc sistas, detinentur Lochia, si sinas, grave per se malum est, ideo vix quidquam tutum.* Adeo scilicet dura, aspera, difficilisque contigit Puerperis vitæ sors, ut dum vix confecto Lucina felici partu Charybdim evasisse lætantur præter opinionem in Scyllam incidant. Sunt autem alvi fluores suspecti primis præcipue puerperii diebus, utpote per quos, non saltem purgamenta puerperii in occulto, magno cum vitæ discrimine, delitescunt sed ipsi etiam ita ferocire solent, ut eorum reprimere ferociam raro in artis sit potestate, nec hinc, priusquam ægrum jugulaverint, mansuescere & cessare sciant: hi sunt, quos HIPPOCRATES ceu malos maturæ lochiorum suppressionis fructus indigitare, nigroque simul calculo *516. Prænot. Coac.* notare voluit; dum nempe, quæ ex partu & abortu copiosa celeriter & cum impetu feruntur, si subsistant, molesta esse, ac insuper hujusmodi mulieribus, rigorem inimicum fore, & alvi perturbationem, præcipue vero, si præcordiorum dolore vexentur, adseveravit: Difficiles scilicet, juxta nostram metaphrasin, lochiorum inter primos tres, vel quatuor puerperii dies contingentes suppressiones esse, docere vult, hoc enim tempore purgamenta hæc, propter meatuum amplitudinem sanguinis circa uterum collecti, exitumque adfectantis, orgasmum, uterique, dum ad pristinam figuram & molem redire summa vi nititur, contentionem, copiosa sunt, celeriterque & cum impetu feruntur, post quartum vero circiter diem, diminuta humorum jam copia, utero item & vasis restrictis, partius & moderatius fluere adsolent;

lent; (hinc nec lac in mammis maturius præsentiæ suæ notas dare experimur,) quo maturius ergo subsistunt, eo præsentius & gravius nocent, redundante enim majori humorum, ex partus laboribus adhuc turgescentium, copia, æquilibrium solida inter & fluida gravius turbatur, & ægrius simul restituitur. In tardioribus vero lochiorum suppressionibus, prout levior redundantia humorum in corpus adest, ita hanc natura facilius ferre & vincere potest; & hoc est, quod *1. de morb. mulier.* innuere voluit noster senex, si inquit: ***Puerperii purgatio primis quidem aut quatuor diebus si prodierit, deinde vero repente perdatur, in similes sed minores, quam ubi statim perierant, adfectiones incidet, eandemque morbus subibit commutationem, diuturnus tamen & priore lenior erit.*** Alvi fluores autem præmaturis lochiorum suppressionibus infauste succedere non tam energia naturæ, sed vi potius morbi, adeoque inflammationis præcordiorum symptoma esse, cujus indicium partim prægressus rigor, partim horum dolor est, sicque exitio magis, quam saluti fore, laudata prædictione inprimis demonstrare voluit, unde RIVERIUS nec fallit, nec fallitur, dum *Prax. Med. Lib. XV. C. 24.* mulieres purgamentorum suppressione laborantes, si post septimum aut nonum diem alvi fluxu corripiantur; utplurimum liberari, si vero primis diebus, secunda scilicet, 3. vel 4. diarrhœa acciderit, utplurimum interire scribit, ferocientes enim humores in principio habenas non admittunt, pepasmo vero mitigati & cicurati magis obedientes evadunt & promptius mansuescunt.

Interim, prout omnes alias excretiones, ita & has alvinas ex utilitate & facili tolerantia juxta *Sect. I. Aph. 25.* æstimare convenit, & licet non sint optimæ notæ, præstat tamen eas convenienti potius victus ratione, vitando potulenta fermentescentia, inebriativa, & in specie quævis

actu

actu frigida, conjunctis simul spumidam humorum turgescentiam & orgasmum refrænantibus, nitrosis, (de quorum usu polychresto in puerperiis etiam verissima scripsisse in *Opusc. phys. Chym. med. M. Martio* Illustr. STAHLIUM, expertus testor,) absorbentibus item & spasmos solidorum demulcentibus cum prudenti expectatione tolerare, quam easdem directe sistentibus, & positive adstringentibus, prout passim vulgus medicantium facere solet, cum funesto plerumque eventu, curare & supprimere. Fugienti sane hosti & hic, prout in artis militaris præceptis traditur, argenteum pontem sternere consultius est, quam omnem eidem intercludere fugam: Medicus certe plus proficit, nihil, quam male agendo, & dum prodesse nequit, cavere saltem debet ne noceat.

Cum itaque hæc sit Naturæ methodus, quæ omnis therapiæ artificialis norma & cynosura esse debet, maxime hinc conveniens est, in suppressionibus lochiorum, alvinas potissimum respicere excretiones, ventremque potius prudenti cum moderatione, vitando omnia drastica, lenioribus solutivis sollicitare, quam fortioribus & volatilibus emmenagogis non frustra saltem, sed ægrorum etiam cum pernicie invita scilicet natura, quidquam moliri. Ex hoc fundamento non laudare saltem, sed iterata etiam doctus experientia commendare possum, prudentem in lochiorum, tam præsentibus, quam & pertimescendis vitiis Pilularum Becheriano - Stahlianarum usum: Hæ enim partim fibras uteri & vasorum vi sua, propter Extracta amara scilicet, tonica, roborando, partim humoribus lentescentibus per temperata resinoso - gummatosa facilem conciliando permeabilitatem lochialis fluxus non moderantur saltem, sed & in ordinem securissime reducunt, dumque viam humoribus per alvum simul sternunt, unde etiam nonnunquam illam innoxie & salutariter solvunt, quasvis eorum

ad

ad ſuperiora metaſtaſes, junctis præcipue febrilem exæſtuationem contemperantibus, optime præcavent: immo, quamvis etiam non ſemper, nec in inſtanti eædem ſuppreſſa revocent Lochia, (quod enim de illis non absque figura rhetorica jactari ſolet, quaſi menſes & Lochia in ſua haberent poteſtate, illud inter *credenda medica*, ut HARVÆI phraſin meam faciam, merito refertur,) pericula tamen Puerperii noxasque inde facile emergentes feliciter præcavent breviorem que & ſimul tutiorem morbo decurſum conciliant.

OBSERVATIO III.

Dn. D. JOANN. ADAMI RAYMANNI
DE
Hæmorrhagia penis periodica.

INter hæmorrhagias periodicas, quas Natura ſtatis interdum temporum viciſſitudinibus ſalutariter molitur & perficit, non poſtremum ſibi vindicari locum hæmorrhoides & mictum cruentum, vel tyrunculis etiam Medicinæ notiſſimum eſt: eſſe vero ex harum cenſu quoque *hæmorrhagiam penis* quamquam ſolertiores itidem ſi non lateat Artis Magiſtros, non eſt tamen æque obvium. Contigit mihi hanc nuper in Viro peregrino, ex Tyrolia oriundo, obſervaſſe, qui pro more ſuæ gentis nundinatorem peripateticum agens, mercesque ſuas bajulando venum differre adſolens, ad mercatum hujus loci annuum & ſolennem, ſuis cum ſociis, quadragenario major, cum comparuiſſet, emanente ſibi familiari hæmorrhoidum fluxu, floridiſſimum ſanguinem, non quidem micturiendo reddebat, ſed eundem indolenter tenui, eaque interdiu æque ac noctu perenni ſcaturigine emicare, & per penem propullu-

lare animadvertebat. Neglexit autem, malo huic ſtatim facere medicinam, bene ſcilicet memor, quod ante annum circiter parem paucorum dierum hæmorrhagiam innoxiam habuerit, cum autem eundem plus ultra increbeſcere cerneret, metuque majoris forſitan ſucceſſuræ noxæ angeretur, medicam tandem implorare voluit opem.

Inciderat vero in Medicum, qui diſcrimen activas inter & paſſivas hæmorrhagias nullum eſſe ratus, præmiſſa Venæſectione revulſoria, auxiliis diverſis hæmoſtaticis, non neglectis urethræ quoque ſyringationibus, cito eidem, etſi incaſſum, mederi ſatagebat. Inanem ergo medentis eſſe operam per trium hebdomadarum decurſum, dum æger experiretur, conclamatum de ſua eſſe ſalute, ſeque mediis verſari in undis perſuaſus, ut manum naufrago absque mora, nec enim ſibi ad ægrotandum ſupereſſe etiam cum fabro PLATONIS ingeminans, porrigerem, anxius rogat, precatur, immo urget.

Mirabar prima fronte, nondum mihi in praxi viſum adfectum, dubiusque de eventu pendebat animus; ſed poſtquam facto examine originem & cauſam ejusdem intimius perſpexiſſem, facile convincebar, procul abeſſe tam ſonticum, quale ſibi æger imminere metuebat, periculum, præſertim dum omnis actionum, (ſi pallorem vultus, viriumque aliquem languorum excepero,) intemerata perſtaret integritas, tranquille proinde eundem eſſe juſſi animo, datisque pulveribus, nonnullis tonico-antiſpaſticis, & præſcripto Decocto Equiſeti & Millefolii, ſcaturiginem hanc cruoris paucos intra dies ex voto ſuppreſſi, aut, ne fucum faciam, perperamque Arti, quod naturæ fuit, vindicem, ſicque laudem curationis aucupari velle, qui morbus medentum fere epidemicus eſt, videar, ipſa potius conſumta jam humorum pleonexia ſponte exaruit & per ſe

ſub-

ſubſtitit. Poſtquam ergo ex integro cum ſanitate in gratiam rediiſſet, patriæ & nobis ſimul ſupremum dixit vale, hilarisque ad ſuos remigravit lares; male interim priori ſuo precabatur Medico, non quod ſanitatem prompte non reduxerit, quam potius, quod ipſum argento, cujus ſemper potiorem, quam ſalutis, curam & rationem habere ſolitus erat, emunxerit. Abiturientis vero firmavi in ulteriora pericula animum, auctorque fui, ut reſtitante parco hæmorrhoidali fluxu, niſi in idem rurſus vertente anno diſcrimen venire velit, vel Venæſectionibus vicariis, vel hirudinibus ſibi conſulat, quid poſtea contigerit, cum abhinc non amplius nobis viſus ſit, prorſus ignoro.

Sanguinem fundere ſolita ora venarum ani, ſi ſuppreſſa fuerint, facta humorum ad venas veſicæ palindrome, degenerare in hæmorrhoides veſicæ, ſanguinisque interdum mictu ſolvi, docte inter alios, pro more ſuo, ex Veterum, propriaque HELWIGIUS *Ephemer. Nat. Cur. Dec. III. Ann. X. obſ. 119.* demonſtrat experientia, ſuccedere autem metaſtaſin in penis etiam quandoque hæmorrhagiam, cur diſputari debeat, non video: Poſſibilitatem ſane a priori vicinia loci, & opportunitatem vaſorum communio, dum ab hypogaſtrica vena & hæmorrhoidalis externa & ipſius penis originem ducit, evidenter probat, omnem autem a poſteriori dubitationem experientia Illuſtr. HOFFMANNI *Med. Syſtem. Tom. IV. Part. 2. Sect. I. Cap. 6.* & quem pro teſte vocat, *Stalparti van der WIEL*, tollit. Vidit inſuper ſimilem penis cruentationem HANNÆUS *Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ann. III Obſ. 215.* quæ poſt ſeſqui horam eadem, qua proruperat, ne leviſſimi quidem triſtioris cujusdam ſymptomatis relicto veſtigio, ceſſavit indolentia, analogam autem prorſus fere huic noſtræ obſervationi hiſtoriam induſtriæ popularis quondam & amici, dum viveret, noſtri, GENSELII debemus, quam, cui volupe eſt,

 in

in *Ephem. Cent. III. Obs. 51.* relegere licet, immo nec olim, ſicut quidem non ſatis peritis videri poſſet, admodum raram hanc fuiſſe penis hæmorrhagiam, vel ex eo confidenter hariolari licet, quod COELIUS AURELIANUS, ſectæ Methodicæ ſcriptor vetuſtiſſimus, (GALENO enim ſi non prior, certe coævus fuit,) pro ſua, qua fuit in concinnanda morborum hiſtoria ἀκρίβεια, diſcriminis ab aliis partium confinium hæmorrhagiis in *Tr. de morb. chronic. Lib. V. cap. 4.* has dederit notas, quod ſcilicet jugis ac intercapedinata, ſic ſanguinis puri emiſſio, hoc eſt, ſanguis paucus, ſincerus, absque commixtione urinæ, ſine intermiſſione, non mingendo, per vices redditur, ſed involuntarie continuo profluit.

(*Eperieſo Erfordiam transmiſſa d. 12. Junii 1739.*)

OBSERVATIO IV.

Dn. D. JOANN. HERMANN. FURSTENAU.

Hæmorrhoides cœcæ internæ exulceratæ.

VIr generoſus 50. annorum, temperamenti cholerico-melancholici, cujus diuturnam valetudinem ſub *hæmorrhoidum veſicæ* elogio alibi delineavi, thermis Aquisgranenſibus anno ſuperiore interne & externe methodice uſurpatis, notabile, quoad dira, quibuscum hactenus conflictatus eſt, ſymptomata, dyſuriam nempe, teneſmum, mictum cruentum, levamen expertus eſt, ita tamen, ut niſus quidam ſpaſmodicus veſicam verſus in ipſo paſtu, & adſumto vix uno alteroque juſculi cochleari, aut cyato primo vini, aut cereviſiæ, calido, an frigido, perinde eſt,

vix

vix deglutito, aliquam diu notatus nondum prorſus remitteret. Circa æquinoctium autumnale anni proxime elapſi Venæſectionem hactenus in pede adminiſtratam, in brachio celebrari curavit. M. Februario & Martio anni præteriti hæmorrhoides, quarum hactenus non niſi molimina, cœcas quippe, albasque pluries expertus eſt, nunc primum apertas, & per pluſculos dies ex ordine fluentes, cum inſigni ſymptomatum fere omnium, nondum plane ceſſantium, ſed ſubinde repullulantium, levamine vidit. Circa æquinoctium vernum Venæſectionem iterum in brachio admiſit, & M. Aprili, Majo Junioque mediocriter degit, medicamentorum certe uſu impune caruit. M. Julio autem incommoda quædam in abdomine & inteſtino recto perſentiſcens, clyſteren domeſticum ex aqua, ſ. lacte, furfuribusque triticeis, addito pauco ſale & reparum oleo, admiſit, ſed Chirurgus in adplicatione ejus obſtaculum quoddam offendens, vix dimidiam clyſmatis partem injecit, qua brevi iterum excreta, notabilis ſimul ſanguinis ſinceri copia profuſa fuit. Repetitus poſtridie clyſteris uſus non parum equidem materiæ feculentæ & ſanioſæ eduxit; ſed tertio iterum die adplicatus aliquamdiu intus ſubſtitit, & horripilationem ægroto induxit, cum æſtu & anxietate præcordiali alterantem. Adfuit ſimul perpetuus ad vomendum egerendumque conatus, quin & alvus præter voluntatem contenta, accedente vel leviſſimo ſtimulo, reddidit, & in natibus perpetuus mador, facta brevi poſt oculari inſpectione, una cum rubore inflammatorio, & veſiculis ſero acri plenis itidemque madidis, obſervabatur, quarum una, facta mediante ſpecillo exploratione, in ulcus ſatis profundum & ſinuoſum terminata eſt, metumque fiſtulæ ani fecit, qui tamen repetito, eoque ſollicite inſtituto examine, manu ſtiloque Chirurgi facto, & nulla cum inteſtino recto connexione reperta, ipſoque ulcere ad conſolidationem pro-

 peran-

perante, brevi evanuit. Inteſtinum vero rectum digito Chirurgi tactum haud exiguam quantitatem materiæ purulentæ profudit, quin & concrementa carnea & membranacea in notabili copia, cum & ſine fæcibus alvinis prodierunt. Cumque omnia in vado eſſe viderentur, prolapſus ani uſque perſeverans, & hæmorrhoides cœcæ in orificio ani, pauliſper inverſo, denſo agmine propullulantes inflammatæ, hinc exulceratæ, ac dyſuria denuo moleſta, multum in medendo negotii faceſſerunt, quæ tamen omnia lege artis & topicis magis blandis, ex Ungu. de Linar. addito Sacch. Saturni & Camphoræ momento, itemque Ol. ovor. Mell. Roſar. injectionibus ex decocto Scord. Millefol. c. Elixir. P. P. &c. quam acrioribus, quæ urgebat Chirurgus, v. g. Ungu. Ægypt. fuſco. Fel. W. & non ſine noxa vix tentatis, tractata, & ut par eſt, mundificata, priſtinam ſanitatem ægro brevi promittere videntur, febre præſertim lenta, ſiti, ciborum faſtidio, vigiliis, aliisque ſymptomatibus hactenus moleſtis, convenientium uſu remediorum fere in totum ſublatis.

OBSERVATIO V.

Dn. D. JOAN. HERMANN. FURSTENAU.

Ulcus ani apoſtematodes cum variis ſymptomatibus.

ULceris inteſtini recti, perinæi & vicinarum partium læta triſtiaque jam olim alia occaſione notavi exempla, qualia plura ab aliis hactenus, meque ipſo ſunt obſervata, ut fere in ſuſpicionem venerim, aeri per pluſculos non dies, non ſeptimanas, ſed menſes conſtanter ſicco & plerumque ſimul horrido, qualis priori dimidio anni elapſi paſſim notatus fuit, in plethoricis, ſucculentis, hæmorrhoi-

rhoidariis, vel vitio diætæ, inprimis otiosæ & vinolentæ, ad mala ejusmodi dispositis, illa in acceptis esse referenda. Idem hoc vir juvenis quidam suo amplius exemplo confirmare videtur, siquidem is in cœlibatu hactenus non adeo casto vivens, ad crapulam usque interdum vino indulgens, de variis hactenus symptomatibus conquestus est: Modo enim difficultatem in reddenda urina causatus, haud obscure simul Gonorrhœæ benignæ, a Chirurgo tractatæ adesse reliquias, confessus est; modo vero & præ reliquis ventriculi in digerendis cibis debilitatem accusavit, nuper quoque miram saporis depravationem, & brevi post plenariam gustu res sapidas non tantum, sed & tactu objecta discernendi impotentiam, rarissimo exemplo expertus, blandioris vero emetici usu, additis paucis stomachicis, tonicis & nervinis, ab utroque molestissimo symptomate brevi liberatus est. Sub ipsis novi anni auspiciis, prævio insigni in diæta errore, adsumta nempe mustelæ piscis nimia quantitate, & vino ejusque spiritu ultra modum superingestis, dolore & pruritu, tumoreque in ano corripitur, cum alvi duritie, & striis sanguineis in indusio conspicuis. Vocatus & de his certior factus, mox eorum recordatus sum, quæ celeberr. WERLHOFIUS *Obs. de Febr. p. 296. in not.* de hæmorrhoidum & seminalis excretionis consensione satis adposite monuit. Et ad alvum quidem referandam cum salis Sedlicensis unciam dimidiam eodem die frustra adsumsisset, potiunculum catharticam Sydenhamii, ex Manna, Tamarindis, fol. senn. & Rhabarb. constantem eodem & sequ. tempore nec sine effectu commendavi, non omissis Clysteribus, ac præterea infusa theeformia & Essent. Scordii, Millefol. Pimpinell. alb. Cascarill. &c. nec non pulveres salino-digestivos exhibui, non omissis topicis emollientibus, sacculorum & Cataplasmatum forma lege artis adplicatis. Sed postquam æger singulis horis pomeridianis miro

languore & febricula lenta adficeretur, rupto tandem ſponte abſceſſu, & notabilem copiam puris laudabilis fundente, omnia fere ſymptomata ſponte evanuere. Eo deinde lege artis tractato & diligenter a Chirurgo injectionum ope mundificato remediisque ſupra enumeratis adſidue continuatis, ac regimine ſimul congruo adhibito, æger ſenſim cum valetudine in gratiam rediit.

OBSERVATIO VI.

Dn. D. JOAN. HERMANN. FüRSTENAU,

Adfectus ructuoſus ſpaſmodicus, Phthiſeos veræ pulmonalis ſpecie incedens.

Juvenis 20. fere annorum, ex utroque parente ad Phthiſin proclivis, toroſus ipſe atque robuſtus, præviis variis diætæ erroribus in aëre, cibo, potu, motu & quiete, ipſiſque animi pathematibus admiſſis, languere cœpit, & tuſſi primum ſicca, mox humida, cum doloribus laterum ſub & ſupra hypochondria atque anxietatibus præcordialibus laborare. Hiſce ſapor oris peregrinus, & ructus inprimis frequentes & ſonori, ſimiliaque primæ digeſtionis læſæ ſenſim junguntur ſymptomata, impetu modo majore, modo minore moleſta, & tædium tanto majus parantia, quo minus levamen a varii generis auxiliis, ſedulo uſurpatis, adfulgeret. Et emetica quidem, blandeque laxantia plane ferre non potuit, anguſtiis præcordialibus & doloribus variis inde auctis. A venæſectione diu abhorruit, nec niſi coactus illam tandem, neque ſine fructu, admiſit. Reliqua auxilia, pectoralia nempe temperata ſimilisque indolis carminativa, temperantia abſorbentia, ſalina, varia infuſorum theeformium Eſſentiarum, pulverum, pilularum & potionum forma

per

per notabile temporis spatium frustra sunt usurpari visa. Quo ipso & metus veræ Phthiseos tanto magis auctus est, quod simul innotesceret id, quod ab ægro hactenus aut non observatum, aut studio dissimulatum fuit, hæmoptysin nempe, semel atque iterum adfuisse, & reliquis symptomatibus postea molestis ansam forte dedisse. Crudiates tamen nidorosæ & similes ructus manifesto præsentes, cum adpetitus viriumque aliquali constantia, animum medentis in ancipiti hærentem, subinde confirmarunt, hisce inprimis malis, convenienti auxiliorum usu obviam ut iret. Serum ergo lactis Aprili mense & acidulæ Driburgenses Majo adulto methodice usurpata, non parum quidem levaminis attulerunt, & diluendo viam medelæ straverunt, illius vero gloriam, D. O. M. consiliis benedicente, pulveribus absorbentibus & temperantibus nitrosis, cum citri, aurantiorum, cinnamomi aut Cascarillæ cortice, vel & Cinnabari, aliisque nervinis & roborantibus mixtis, salique cathartico per vices interposito, tribuere nulli dubitamus, utpote quibus & insultus dolorifico-Spasmodicus, erroribus diætae contractus, & parum ab epileptico distinctus, sublatus, ægerque excreto tandem a sale cathartico muco viscido, in globuli formam compacto, pristinæ alacritati, viriumque robori restitutus est.

Scholion.

Quot & quantis tædiis ructus medentum animos implicent, illi demum norunt, quibus ejusmodi mala hystericis inprimis, hypochondriacis, spasmodicis, aliisque symptomatibus complicata, unquam curanda, obtigere. Cum tussi vero, hæmoptysi indeque metuenda Phthisi rarius eosdem alere videas commercium, idque a motu sanguinis in præcordiis & per venam portæ impedito indeque prima turbata digestione, & accedente diætæ vitio, flatibus

 hinc

hinc generatis reputendum videtur. His vero principiis fundamenti loco positis, non alia, quam prædicta eligenda videbatur medendi methodus, quam & optatus confirmavit eventus. Pluribus hanc in rem consuli merentur Illustr. b. m. *WEDELII* Diss. de *Ructu*, *A. O. GOELICKE* Diss. de *morbo ructuoso Hippocratis*, & Illustr. b. m. *STAHLII* Diss. de *Flatulentia*.

OBSERVATIO VII.

Dn. D. JOAN. HERMANN. FüRSTENAU, Mercurius dulcis loco Mercurii vitæ impetratus.

Quid *mercurii dulcis*, & *mercurii vitæ* nomine veniat, & quomodo alter ab altero differat, & qua ratione quilibet parandus sit, res est in chemicis notissima, satisque constat, utrumque toto cœlo ab invicem differre & mercurium vitæ nihil minus quam mercurialem originem agnoscere, hanc vero adpellationem ipsi per abusum tantum, ignorantia fotum, ex saniorum sententia Chemicorum, inditam fuisse. Ideoque referre juvabit, quid mihi circa hanc rem observare licuerit. Accidit enim, in Cinnabari antimonii lege artis paranda occupato, ut butyro antimonii f. q. collecto, igneque hinc ad eliciendam Cinnabarim aucto, vitrum butyro recipiendo dicatum, quod angulosum forte erat, loco rotundi adsumtum, neque maturæ satis amotum eo, qui ignis dirigendi curam susceperat, avocato, cum impetu & bombo quasi sonoro frangeretur, cumque eo omne butyrum, simul & omnis spes mercurii vitæ inde parandi profunderetur. Labore autem reliquo deinceps continuato, & retorta sequenti mane, post refrigerationem exemta, præter Cinnabarim, in

in collo ejus conſpicuam, in extremitate ejus colli notabilis albi cujusdam concreti quantitas conſpicua fuit, quæ initio quidem mercurii vitæ, ſponte forſan ex butyro coagulato concreti, ſuſpicionem fecit; fracto vero vitro vera mercurii dulcis & cryſtallina facies indolesque adparuit, qui & ſapore & effectu laxante & reſolvente neutiquam emetico, exhibitus, omnem dubii ſuſpicionem abſtulit.

Scholion.

Παράδοξον, ſi quod aliud, prima videbitur fronte, hoc quidquid eſt obſervationis; enim vero pluribus id rerum peritis chemicarum in familiari ſermone relatum, & ænigmatis loco propoſitum memini, quorum tamen nemo vel divinare veras rei geſtæ circumſtantias, vel hariolari valuit, quid ætiologiæ loco adſerendum veniat. Mirari vero deſinet, quisquis noverit, Cinnabarim antimonii, quæ & ipſa nihil eſt aliud, quam mercurius antimonii ſulphure tinctus, eoque ipſo certa ratione dulcificatus, h. l. ad mentem *STAHLII Mat. med. p. 114.* ex parte una antimonii & quatuor mercurii ſublimati partibus confectam eſſe; quo factum ſine dubio eſt, ut, copia minori ſulphuris tingentis præſente, pars ejus non tincta ex vinculis totius maſſæ, ignis ope liberata in roſtro retortæ cryſtallorum albicantium forma adfixa fuerit. Omnis vero ut tollatur æquivocatio, mercurium vitæ, ſeu ejus potius elementa in caſu præſenti perdita eſſe, patet, illius que in locum mercurium dulcem impetratum, adeoque experimentum non facile imitandum conſtituere. Quod tandem ipſam mercurii vitæ proſapiam attinet, illa quidem non mercurialis, ſed antimonialis, unanimi intelligentium conſenſu, adſeritur. Quodſi tamen rem propius intueri placeat, non prætermittendum videtur id, quod in viro nobili, harum rerum apprime perito, ante pluſculos annos, in itinere forte dubii loco propoſitum memini, anti-

monium nempe duplici cum constet substantia, sulphurea & regulina, hæc vero cum & mercuialis, nec inepte, adpellari soleat, nihil forsan impediet, quo minus butyrum antimonii, quod nemo pro sulphurea antimonii substantia venditabit, & ejusdem producta, ipsumque adeo vitæ mercurium regulinæ, & hoc intuitu mercurialis esse prosapiæ adfirmemus liceat.

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. JOAN. HERMANN. FüRSTENAU, Febris biliosa, cum pessimæ notæ symptomatibus, feliciter decurrens.

Febrium acutarum non omnino certas esse prædictiones, neque, ad salutem, neque ad mortem, tum *HIPPOCRATIS* effato constat, tum plures inter alios suo confirmat exemplo vir 55. annorum, qui diu causarius, & tussi humida, noctu inprimis molesta, cum ciborum fastidio, vigiliis, siti matutina & similibus symptomatibus non sine Phthiseos metu, adflictus, præteritam hiemem varias inter ærumnas domesticas & lites forenses, a quibus abhorret, indeque obortas frequentes iracundiæ, quam plerumque suppressit, occasiones, transegerat, sed & animi, ut sperabat, exhilarandi causa, frequentius, quam alias consueverat, liquorum ardentium abusui indulserat. Adpropinquante vere anni præteriti, tussi ultra modum molestæ congrua opponere remedia consultum duxit, lassitudine & ciborum fastidio fere omnigeno impulsus. Hisce vero vix degustatis, mox notabile symptomatum omnium levamen & tussis decrementum expertus, sed brevi in pristinam relapsus imbecillitatem, & hactenus plerumque ὀρθοςάδιος, subito clinicus factus, & diarrhœa inprimis perpetua vexa-

tus,

tus, suspicionem Phthiseos hactenus dubiam confirmare visus est, dum aucta sensim virium prostratione, accedente quoque sopore gravi & mentis quadam veluti emotione, quin & alvi & urinæ in voluntaria excretione, extrema expectarentur, pulsu interea imbecilli, tremulo & convulsivo interdum, urina vero per totum morbi decursum parum a sana abludente, cum nubecula, animadversis. Posteaquam vero æger ultra tres septimanas cum gravissimo hoc morbo conflictatus erat, diarrhœa per magnam hiemis partem molesta sensim remittere ejusque in locum copiosum urinæ profluvium, criseos loco succedere, ægerque præter omnem spem ac expectationem vires atque adpetitum sensim recuperare cœpit, quibus tandem confirmatis cum valetudine in gratiam rediit. Hic certe, si non, omnem & solam, potiorem saltem αὐτοκρατείας naturæ adfuisse energiam, intelligentibus constat, neque vero aliam, quam a natura monstratam, sequi viam, consultum duxit, qui curam ægroti habuit, Medicus. Is enim vero inter initia morbi, Ipecacuanhæ radicem justa dosi exhibere neutiquam dubitavit; quantumnis autem aliquot & blandi quidem vomitus pone sequerentur, non tamen diarrhœa, ut solet, inde vel tantillum remisit, quin per totum morbi decursum maxima copia, nec minori vehementia urgeret. Hac vero durante, solis plerumque potiunculis temperantibus, abstergentibus & roborantibus nervinis, ac inprimis cinabarinis, additis paucissimis tonicis, est pugnatum nullis vel adstringentibus, vel expectorantibus in usum vocatis, cum & tussis & diarrhœa sensim remitterent, ægerque a morbo gravissimo surgens, diætam lacteam sponte sua eligendo, indeque sensim iterum adolescendo, omnem atrophiæ ipsiusque Phthiseos metum sibi aliisque adimeret.

OBSERVATIO IX.
Dn. D. JOAN. HERMANN FüRSTENAU,
Abſceſſus circa genua.

Hujusmodi abſceſſus frequentius tanto in praxi occurrunt, quanto rarius eorum apud ſcriptores Medicos & Chirurgicos fit mentio. Et ſolent plerumque felici terminari ſucceſſu; modo peritum Chirurgum & ſequacem offendant ægrotum, ſed diuturniorem paulo moram in curando poſtulare, cujus quidem ratio difficultatis ex partium ſitu reputenda videtur. Nam & muſculus rectus & vaſtus internus & vaſtus externus, & crureus in unum communem & robuſtum tendinem deſinunt, qui primo rotulam amplexus, eamque deinde ſupergreſſus, inſeritur oſſis tibiæ principio, eidemque ligamenti loco inſervit. Hic vero ille ipſe locus eſt, rotula inquam, ſeu patella, circa quam purulenta illa materia in muſculorum prædictorum interſtitiis, qualibet ex cauſa hærens, aut collecta, confluit, exitumque quærit, & vel ſponte ſua, vel accedente artis opera invenit. Puellam vidi pluſculos ante annos. quæ absque cauſa manifeſta, niſi quod frequentem genuum ad ſellam adfrictum, petulantibus puellis puerisque familiarem, permiſerint adſtantes, abſeſſum circa genu diu geſſit apertum; Hæc lege artis aliquam diu internis externisque mediis tractata, abſceſſu vero ad conſolidationem properante in empiricorum manus delapſa, & variam inde fortunam experta, virgo nunc adulta eundem abſceſſum apertum & ultra tria luſtra fonticuli naturalis vices gerentem alit. Præter hanc tres novi virgines adultas modo cum, modo ſine menſium vitio, hoc malo, absque cauſa fere manifeſta, niſi quod ſpina forſan infixa, aut foris illapſa accuſari communiter ſoleat, aliquamdiu adflictas, & brevi omnes per

ſana-

ſanatas, inque cura præter congruum internorum præſidiorum, multum omnino injectionibus ex decoctis vulnerariis, amaris & putredini reſiſtentibus, vulgo balſamicis dictis, Myrrhæ & Succini tincturæ, Elixirio proprietatis, balſamo Peruviano, ipſique aquæ phagedœnicæ tribuendum eſſe deprehendi. Nuper vero Juvenis viginti aliquot annorum, opilionis ſocius noxiorum abundantia humorum ſcatens, & præter ſpinam forte infixam nullam allegare cauſam occaſionalem valens, ſimili malo tentatus, & poſt varia remedia interna & externa, ipſamque ſectionem, ad detegendos mundandosque puris cuniculos ſub cute delitescentes, frequenter factam, multum equidem tædii Chirurgo & adſtantibus peperit, tandem tamen, quatuor menſium ſpatio confecto, ſanitati priſtinæ eſt reſtitutus. Moræ vero tam diuturnæ cauſam cum nemo facile augurari valeret, variique diætæ errores fruſtra accuſari viderentur, relatum forte eſt, ægrum in medio curationis curſu petulantibus corporis commotionibus, & frequentibus colluctationibus ſubinde indulſiſſe, indeque & curationem propria culpa protraxiſſe forte, & malo omni occaſionem dediſſe, innotuit.

(*Rintelio Erfordiam miſſæ*
d. 26. Jun. 1739.)

OBSERVATIO X.

Dn. D. JOAN. GEORG. HASENEST, Fœtus monſtroſi ex imaginatione deturpati.

Lis inter Medicos & Phyſicos agitatur, num vel ſimpliciter mechanice, ex ſtaminibus ovuli evolvatur vel ab anima ipſa formetur & ſtruatur embryo in utero. Meam

Meamequidem jam non facio litem iſtam, in hiſce autem me convictum eſſe profiteor, nævos & formationes monſtroſas fœtus, ex terrore vel imaginatione matris contingentes, neutiquam unice mechaniſmo, ſed potius animæ adſcribi debere. Mechaniſmus in corpore humano non niſi ad certum ipſi præfixum finem obtinendum operatur. in alienum finem autem agere aut detorqueri per ſe nequit, nec unquam ad figuram fœtus ſecundum ideam objectorum, ſicut ſenſibus & animæ offeruntur, immutandam eſt diſpoſitus; quando enim hic errat, confuſe ſaltem errat, & ad oblata objecta ſemel formatum fœtum, præcipue jam ultimo menſe, mutare quidem poteſt, ſed eandem objecti formam illi imprimere nequit, ni anima, ex facta impreſſione ab objecto viſo, illum in ſimillimam formam tranſmutet.

Metamorphoſes ad ideam externorum objectorum adeo regulares & ſecundum omnes circumſtantias, proportiones, &c. factæ, profecto non ſunt effectus mechaniſmi corporei, ſed potius agentis animæ rationalis. Obſtupeſco ſane, quando in memoriam mihi revoco caſum ſequentem: Cum Schillingsfürſtii apud Illuſtriſſimum Comitem Hohenloicum munere Archiatri fungerer, anno reparatæ ſalutis, noſtræ æternæ MDCCXXI. miles vagabundus, labiis leporinis deformatus ante fores piſtoris aulici mendicabunda prece ſtipem rogabat: uxor piſtoris, ultimo menſe gravida illum conſpiciens, & obſervatis labiis leporinis perterrita, brevi poſt ſubſequente partu filium peperit, in labio ſuperiori duas fiſſuras, in ipſam usque maxillam penetrantes, & inferiori labio unam, leporinis militis labiis etiam ad dimenſionem usque ſimilimas gerentem. Quis quæſo mechaniſmo hanc adeo exactam imitationem in corpore fœtus adſcribet? nonne potius rationi magis conſentaneum eſt, ſtatuere, quod anima a prægreſſa fortiori imaginatio-

ne

ne excitata, formam, antea sibi oblatæ simillimam fœtui impresserit?

Huic observationi jungere lubet aliam prorsus novissimam: Primo die anni currentis vocabar ad puerperam, quæ fœtum infelicem mortuum monstrosum obstretricis auxilio exclusit, in quo singula abdominis viscera, unacum intestinis, peculiari membranæ pellucidæ involuta, extra abdomen quasi in sacco propendebant, factaque hujus membranæ, sub partu inopinato, primo exigua, postmodum vero plenaria apertione, pro exactiori instituenda investigatione, talem monstrabant situm, qualem *Tab. I. Fig. 1. & 2.* monstrant, ubi etiam reliquæ partes præter naturam constitutæ simul delineatæ adparent. Mater ipsa, duos supra viginti annos nata, primo graviditatis mense ex volatu vespertilionum, arborem denso agmine occupantium, & per milites exinde dissipatorum, gravi primum terrore percellebatur, dein singulis septimanis aliquoties Triesdorffium mittebatur, ubi in culina aulica utplurimum commorabatur, in eaque continuo fere corpora volatilium animalium deplumata & exenterata, cum partibus intestinis adhuc adnexis, conspexit, ac tandem iterum proxime ante partum, lapsu viri ebrii terrore percussa, infantem hunc, præcedentibus natibus, in lucem edidit, qui a capite ad umbilicum usque figuram perfectam humani fœtus monstrabat, hoc unico excepto, quod in dextro latere tam facei, quam thoracis, brevior & compressior adparuerit.

Figuræ Imæ explicatio.

Hæc offert infantem dorso incumbentem, ac simul ad dextrum latus magis inclinantem.

a a. Pectus & hypochondrium, magis, quam in sinistro latere, depressa.

b. Funiculus umbilicalis, ex femoris externa parte propendens.

c.c.c.c. Ventriculus, inteſtina & viſcera infimi ventris prolapſa.

d. Ventriculus.

e. e. Hepar.

f. Femur ex ſede naturali ſua diſtortum.

g. Pes medius.

h. Pes infimus.

i.i. i. Cutis ſatis quidem firma, admodum tamen extenſa, qua mediante femur cum pede connexum & contractum, inſtar alæ deplumatæ galli Indici, vel alæ veſpertilionis, adparebat.

Fig. IIdæ deſcriptio.

Hæc oſtendit infantem lateri dextro, abdomen verſus, impoſitum.

a. Digitus pedis ſextus inverſus.

b. Pedis infimi metatarſus.

c.c. Pes medius.

d. d. d. Femur.

e. e. e. Caro ſpongioſa, ſuperiori femoris parti ſuperſtructa, nates repræſentans.

f. f. f. Cutis extenſa, ſicut in *Fig. I. Litt. i. i. i.* jam notata fuit.

k. Foramen in externa femoris parte, loco orificii ani, ex quo fæces prodierant, unde ope ſiphonis inteſtina inflari potuerunt.

l.l. l. Cutis corrugata, coloris ſubfuſci & in altera regione albi, parumper diſtincta, ſcrotum ſimulans.

m. Mentula inciſione prædictæ cutis corrugatæ demum in conſpectum veniens.

(Onoldo Norimbergam miſſa d. 28. Jun. 1739.)

OBSER-

OBSREVATIO XI.

Dn. D. JOAN. HARTMANN. DEGNERI, Hiſtoria puellæ piloſæ.

Militi præſidiario Veſalienſi, ſub cohorte Domini *de Finck* ſtipendia merenti, anno MDCCXXXII. ſecundo ante bacchanalia die nata eſt in pago *Bænen*, territorii Hammonenſis, ſana formoſaque (teſtantibus multis incolis viciniſque,) filia, quæ ad tertium usque ætatis annum colorem in facie pallidum, habitumque corporis gracilem monſtrabat, ac parum inſuper cibi & potulentorum capiebat, unde parentes, brevi poſt ſubſequuturum morbum atrophicum metuentes, vitam ejus haud diuturnam fore ſibi præſagiebant. Aſt, tranſacto circiter tertio iſto anno, fames ſitisque ſenſim ſenſimque redierunt, & eodem tempore ſtriam, in dorſo adparentem, ac cervice nates verſus excurrentem, piloſamque tractu temporis evadentem, obſervarunt agnati & conſanguinei, quæ ſucceſſive magis magisque ſe ſe expandebat, ut tandem totum etiam dorſum una cum abdomine omnibusque extremitatibus ad digitos usque pilis plenarie tecta & obſita adparuerint. Hirſutum illud integumentum ſucceſſive accreſcendo pullique equini cutim jam quaſi repræſentando, plures etiam ſolito in pedum manuumque digitis monſtravit crines, hique omnes forma & colore ſimiæ comis quoad maximam partem adſimilabantur; pudenda autem plane nigris, & ſubaxillaria loca rufis tegebantur pilis, ad inſtar virginis duodeviginti, vel triginta annorum; frons deſuper adeo denſis longisque ſuperciliis, ſicuti in homine viginti annorum, ſuperbiebat, capilli denique, ad pedes fere usque extenſi, longitudine ulnam unam cum tribus ejus quadrantibus æquabant. In mento proinde ac genis, maxime verſus tempora, ſub-

ſubcriſpi pili, ſemiorbem quaſi deſcribentes, minimumque digitum transverſum fere quoad longitudinem excedentes, conſpiciebantur, una cum barba in cute quadantenus deliteſcente. Calvaria quoque magnitudine pene duo alia hujus ætatis exſuperabat capita, ac genæ colore coccineo perfuſæ ſufflatæque, inſtar buccarum, cernebantur, tota vero externa corporis ſuperficies Cingarorum cuti aſperitate coloreque ſimillima erat, quemadmodum facies ratione magnitudinis pumilionem triginta annorum referebat: aſt mammæ, earumque papillæ iis ſaltem, quas decem vel duodecim annorum puella gerere ſolet, pares erant, cum e contrario in dorſo & utrisque ſcapulis ſat magnus tumor, duos circiter pugnos magnitudine exæquans, totusque pinguedine intus repletus, offenderetur.

Cæterum ſano valebat ingenio mentisque dotibus ſatis egregiis, in effundendis etiam precibus alios, natu majores, corrigebat infantes, ſi forſitan minus recte quandoque orarent; vox ei erat gravis atque virilis, aſt, peregrinorum in præſentia vix quidquam loquebatur; gulæ inſuper revera implacabilis erat, ſiquidem quolibet die tres ad minimum haurire poterat cereviſiæ cantharos, hinc etiam (quod absque veritatis præjudicio adſeverari poteſt,) centum ad minimum ponderabat libras ultimis temporibus, quæ moles in incedendo vel ambulando aliquam ipſi moleſtiam creabat, atque dubio procul in cauſa fuit, quod aliquando infauſto caſu in terram prolaberetur, inde primum de continuis doloribus in dorſo conquerebatur, quibus reſpiratio brevis atque difficilis ſuperveniebat, quæ tandem, elapſo abhinc quadrimeſtri circiter ſpatio, mortem ipſam accelerabat. Interim hoc unicum adhuc reſtat adjiciendum, quod intra anni dimidium tota cutis undique ita piloſa reddita fuerit, quodque mater, cæteroquin ſana & honeſta, nequaquam recordari potuerit, ſe durante graviditatis tempore unquam terrore aliquo graviori

viori perculsam fuisse, aut Simiam vidisse, vel de quocunque alio piloso animali, quod forsitan oculis suis tunc temporis obvenerit, singularem quandam aut firmiorem impressionem & imaginationem sibi formasse.

(*Noviomago Erfordiam missa d. 7. Jul. 1739.*)

Scholion.

Notatu maxime dignæ huic Observationi cogitationes aliquas, ad ætiologiam mirandi & copiosissimi illius proventus pilorum potissimum spectantes, subjungere, ipsamque similibus aliis exemplis illustrare ac confirmare jam jam decreveram, cum inopinato deprehenderem, idem hoc negotii jam suscepisse & feliciter peregisse Dn. *Joan. Jacob. Schilling*, in *Relationibus hebdomadariis politico-literariis Duisburgensibus, Num. XXVII. Ann. 1737.* occasione adducti & descripti ibidem haud adeo vulgaris hujus casus. Minime ergo injuste me facturum arbitratus sum, si ea, quæ germanico idiomate ibidem declarata prostant, in latinum translata heic loci repetam, inprimis cum quoad causam ipsam admodum probabilem, eandem cum Clariss. illo Viro sententiam foveam, utpote quam sequentibus profert:

Perquam diversæ formæ admodumque variæ speciei esse ita dicta monstra, neminem fere latet. Hoc tamen non obstante singula illa in quatuor classes commodissime redigi possunt, dum nempe alia *defectum* hujus vel illius partis, tam internæ, quam externæ, alia *excessum* & p. n. *multiplicationem* membrorum; alia in iis *figuram* & *situm* prorsus *insolitam* monstrant; alia denique respectu certarum corporis sui partium *humana forma destituta*, certisque *brutis* similia deprehenduntur. Præterea etiam interdum contingit, ut qui plane perfecti & absque ullo quodam vitio in

lucem editi ſunt, variis tamen caſibus, in prima æque, ac adultiori ætate deformentur ac monſtroſi reddantur, cujusmodi exemplum inter alia quoque puella iſta piloſa, ſuperius deſcripta, præbet, de cujus tamen extraordinariis accidentibus antequam mentem noſtram declarabimus, operæ pretium fore judicamus, ut obſervationes quasdam, de variis ſimilium monſtroſarum deformationum ſpeciebus & cauſis, præmittamus.

Quod ergo primo jam olim in mundo extiterint homines, quoad externum corporis habitum ita deturpati, per ſe jam ſatis conſtat, pluribusque exemplis facile demonſtrari & confirmari poteſt. Sic enim de Eſavo ſacræ teſtantur litteræ, *Geneſ. XXV. 25.* quod *rufus totus & villoſi centonis inſtar* fuerit. Deinde etiam mentionem facit puellæ cujusdam THOMAS FIENUS, *de viribus imaginat. p. 224.* quæ tota hirſuta ſetisque quaſi obſita in lucem prodiit, quoniam mater ejus tempore imprægnationis imaginem S. Johannis Baptiſtæ, veſte ex camelinis pilis confecta induti, quæ non procul a lecto ſuſpenſa erat, nimis attentis oculis conſideraverat. Pariter quoque Nicolai III. Romani Pontificis conſobrina, ſimilem fœtum propterea enixa fuiſſe fertur, quoniam urſum in armis gentilitiis depictum frequentius intueri ejusque effigiem menti fortius impreſſam tenere ſuevit, prout fuſius hoc refert CAMERARIUS, *Horar. ſubceſiv. Cent. I. cap. 54.* Porro etiam CASP. PEUCERUS *Comment. de Divinat, pag. 329.* adſeverat, ſe ſimilia monſtra, urſorum ad inſtar per dorſum undique hirſuta, ſæpius vidiſſe. Non minus quoque in *Annal. med. phyſ. Wratislavienſ. Tentam. XII. M. Jun. Claſſ. IV. Artic. X. p. 672.* mentio fit puellæ cujusdam Ann. MDCCXIX. in Luſatia ſuperiori natæ, cujus facies tota crinita, ſeu pilis denſis ex fuſco flaveſcen-

vescentibus tecta fuit. (*) Confer. pluribus FORTUN. LICETUS, *Tr. de Monstris Lib. II. cap. 45.* SCHOTTUS *in Phys. curiosa, pag. 601.* & BORELLUS *Observat. med. phys. Cent. I. Observ. 10. & 58.*

Quod vero etiam secundo similis monstrosa deformatio habitus corporis in adultis, ex variis aliis causis, & quidem potissimum vitæ genere horrido, asperiori, sordido & quasi bestiali, produci & oriri queat, id pariter per experientiam abunde liquet. Ex sacris iterum constat, quod Regi Nabuchodonosori, postquam *ex hominibus depulsus, herbas more boum comedit, ejusque corpus cœlesti rore tinctum fuit, tandem pili ut aquilis plumæ, & ungues ut alitibus increverint.* Similem fere historiam quoque refert *Bernh. Connor in Evangel. Medici pag 133.* de puero sylvatico, decem circiter annos nato, qui, adspectu horridus, & *pilis hirsutus* Anno MDCXCIV. in nemoribus, ad Lithuaniæ & Russiæ confinia sitis, a venantibus Sylvicolis captus fuit inter gregem ursorum, nihilque cum homine commune habebat, præter externam corporis figuram, de quo id circo suspicio erat, quod (sicuti ibidem locorum sæpissime contingere solet,) in ætate infantili a lactante ursa captatus, ad ursile delatus, & inter ursulos, tamquam inter germanos fraterculos, materno quodam amore porrectis uberibus, nutritus fuerit.

Proinde quoque constat, quod mensium suppressio in fœminis similem deformationem externi habitus quandoque inducere queat, id quod vel unico HIPPOCRATIS testimonio, *Epidem. Lib. VI Sect. VIII. p. 823. Edit. Linden.* sufficienter corroborari potest, cujus verba, versione latina hæc sunt:

(*) De puella trienni, elegantis formæ, totoque corpore hirsuta & barbata, vid. ZACUTUS *Lusitanus, Prax. med. admir. Lib. III. Observ. 91.*

funt : *Abderis Phatusa, Pythea uxor, priore quidem tempore fæcunda erat ; cum autem maritus ipsius in exilium abiisset, menses multo tempore suppressi sunt ; postea dolores & rubores ad articulos oborti sunt. Hac autem ubi contigissent, & corpus virile factum est, & hirsuta penitus evasit, & barbam produxit, & vox aspera facta est. Et cum nos omnia tentassemus, qua ad menses detrahendos conferre visa essent, non prodierunt, sed mortua est, cum non ita multo tempore postea vixisset. Idem hoc contigit etiam Namysia, Gorgippi uxori, in Thaso.* Pariter etiam refert JOH. RHODIUS *Observat. med. Cent. III. Obs. 40.* Patavii visam fuisse Ann. MDCXXVII. mulierem Neapolitanam, quinquaginta annorum, cui decimo sexto hinc mense deficiente fluxu menstruo, barba erupit nigra, densa, mediocriter promissa, vox insuper reddebatur virilis, & mammæ, moderatæ magnitudinis, satis hirsutæ erant. Hinc etiam non omni prorsus fundamento destituitur suspicio, quod fœmellæ, virili hocce ornamento condecoratæ, (quarum complura exempla hinc inde in Observatorum libris occurrunt,) diuturniori mensium suppressione antea laboraverint, & exinde ad extraordinariam talem pilorum eruptionem dispositæ fuerint. Has inter dubio procul potissimum eminuit Augustana illa mulier barbata & hirsuta, *Barbara Urslerin* dicta, quæ, prout SEGERUS in *Ephemerid.* Academ. nostræ *Decur. I. Ann. IX. Observ. 95.* refert, per totum corpus ipsamque faciem pilis crispis, flavescentibus & instar lanæ mollissimis obsita erat, barbam insuper alebat prolixam, cingulum contingentem, nec non cirrhos longiores similiter flavescentes, ex auribus propendentes, monstrabat. (*)

Quod

(*) Referri etiam huc meretur non solum mulier ista barbata, annorum 50. quam CASP. a REIES *in Camp. Elys. jucund.* que-

Quod ergo nunc ad pilosam in supra adducta observatione descriptam attinet puellam, prorsus equidem impossibile non esset, quod mensium quoque suppressio eadem ratione, sicuti in adultioribus fœmellis, causam peculiaris ejusmodi deformationis habitus corporis constituerit, siquidem, licet omnino rarius ante decimum quartum ætatis annum erumpere soleant menstrua, nequaquam tamen deficiunt, sed quandoque ad minimum occurrunt exempla puellarum, tertio, quarto, quinto, octavo & nono a nativitate anno regularem & ordinatum menstruum fluxum perpessarum, qualia inprimis extant in TULPII *Observat. med. Lib. II. cap. 36. pag. 242.* & VALLISNERII *Opere fisico - mediche Tom. II. fol. 79.* Ast, si circumstantias omnes in historia recensitas attentiori mente debitoque cum judicio ponderamus, aliam facile, eamque probabiliorem & reliquis omnibus prævalentem, absque ullo miraculi augmento, suppeditare possumus causam. Contingit nempe, quod sub cute quandoque singularis quidam tumor cysticus, materia quadam pingui, intermixtis simul pilorum fasciculis, refertus, formetur, quem Medici *Atheromatis* titulo insignire, stulti autem & stupidi plebeji communiter adfectibus per *incantationem magicam* productis accenseri solent. Ejusmodi perquam notabilis observatio occurrit in *Historia Academ. Reg. Parisiens. Scientiar. Anno 1729, pag. 579.* quam Argentoratensis quidam Medicus cum Dn. MORAND com-

 muni-

quæstion. p. 712. se vidisse & ab ea intellexisse refert, quod nunquam menstruas experta fuerit purgationes, nec mammas tumefactas habuerit; sed & virgo Dresdensis Anno MDCCXXXI. demortua, cujus mentionem facit Dn. MICHAELIS in *Actis nostris phys. med. Volum. III. Observ. 127.* quod in utroque menti latere barbam satis densam, ex pilis instar massæ niveæ albis, tresque pollices longitudine æquantibus, constantem, habuerit.

municavit. Erat nempe in dicta hac urbe fœmina, cui duo tales tumores, post perpessum graviorem & chronicum morbum in abdomine eruperunt, ex quorum uno, facta apertione chirurgica, primo eximia quantitas materiæ spissæ & pinguis prodiit, menstruoque postmodum spatio etiam crines simul in conspectum veniebant, & ita ad mortem usque indesinenter continuabant. Instituta dein sectione anatomica, in abdomine detegebantur alii duo consimiles tumores, pilis prorsus repleti, quorum quidam ulnæ dimidium longitudine excedebant. Similium quoque exemplorum biga occurrit in celeberr. MALPIGHII *Oper posthum. pag. 127.* ne dicam de iis, quæ a RUYSCHIO, *Stalparto van der* WIEL, aliisque fide dignis Auctoribus consignata prostant, satisque exacte docent, quod potissimum in & ex pinguedine generentur & producantur pili. Admodum ergo probabile & veritati consentaneum videtur, quod morbus puellæ istius pilosæ unam eandemque originem cum Atheromate agnoverit, ita quidem, ut pili, in partibus corporis pinguioribus a superabundante nutritio humore formati, per poros cutis tenellæ tandem proruperint, inprimis cum sæpe nominatus iste infans non solum admodum crassus obesusque fuerit, sed etiam ipse *morbus pilaris* cum tumore quodam per dorsum excurrente, qualis etiam satis insignis in utraque scapula deprehendebatur, initium suum sumserit, quæ singulæ circumstantiæ cum suppeditata jam explicatione & essentialibus qualitatibus Atheromatis exquisite conspirant.

(A. E. BUCHNERUS.)

OBSER-

OBSERVATIO XII.

Dn. D. JOAN. JACOBI RITTERI Jun.

DE

Fœtu exomphalodæo puerili.

Epiſtola anatomica ad celeberr. virum, ALB. HALLER, Med. D. & in Georg. Auguſta, quæ Gœttingæ floret, Anatom. Botan. & Chirurg. P. P. O. Reg. Soc. Svec. Sodalem, & Auguſtiſſ. Regis GEORGII II. Archiatrum.

PAtere Vir Clariſſ. ut Adnotata in ſectionem hujus fœtus integra Tibi perſcribam, cui quidem interfuiſti, ſed negotiorum copia diſtractus, illam ad finem mecum perducere nequiviſti, reliqua perficienda adnotandaque mihi contuliſti, mentem Tuam circa ea Te aperturum pollicitus. (*)

Fœtus ille legitimo thoro in lucem edebatur d. V. Januar. MDCCXXXVI. mortuus; quem mater octo ante diebus partus perſenſit vivum: Cum enim hæc ſeptimo graviditatis menſe curru veheretur, ob concuſſionem ventris nimiam improviſa corripiebatur doloribus, quos in curru ipſo ſequebatur partus ſatis facilis; bene ſe dein gerente matre.

(*) Hæc Obſervatio jam ſub VII. Januar. MDCCXXXVI. conſcripta, & in forma epiſtolæ ad *Celeb. Hallerum*, tum temporis Biblioth. Bernenſ. Præfectum, data fuit, ad quam etiam reſpondit ſimili epiſtolari forma; ſed ob itinera mea academica inexarata jacuit. Interea Celeb. *Hallerus* Gœttingam vocatus fuit; ſpero tamen nihilominus L. B. haud ingratam ejus promulgationem fore, novitatis quamquam pretium non habeat.

Examinandus ad me deferebatur eo, quo in lucem edebatur, die, mortuus fœtus; qui erat pro temporis ratione ſatis magnus; in toto corpore nil præternaturale occurrebat, niſi in ſuperficie abdominis ſaccus pugni magnitudine, totum abdomen obtegens, ſeſeque a criſta Ilei, ſymphiſi oſſium pubis ad primas uſque coſtas veras extendens; erat autem pertenuis & transparens, ita ut circumvolutiones inteſtinorum facile conſpicerentur; triplici involucro conſtans, pinguedine nempe, muſculis abdominis & Peritonæo. Hepar, Ventriculum, adnexumque lienem, nec non humoris atro-bruni unciam circiter unam continens.

Apertura, per quam viſcera erant egreſſa, erat ellipticæ figuræ; incipiebat a cartilagine Xiphioidea, & occupabat totam umbilicalem regionem. Longitudo ejus a cartilagine modo dicta ad regionem pubis $1\frac{1}{2}$. poll. latitudo vero in regione umbilicali 1. poll. erat; junctura hujus ſacci cum apertura abdominis callum albeſcentem efformavit. Ex ejus parte inferiore dextra, funiculus umbilicalis prominebat, venam umbilicalem, cum unica ſaltem arteria continens, quod rarius obſervatur. Diameter ejus paulo minor adparebat diametro venæ umbilicalis. Hæc arteria ſine ulla diviſione oriebatur e dextra iliaca, ita ut ramus videretur arteriæ iliacæ, quæ etiam ad veſicam & pelvim dimittebat ramulos.

In modo dicto funiculo arteria & vena umbilicalis communi membrana obvolutæ ad abdomen ferebantur; vena vero cum illud intraret, ab arteria diſcedens, angulum cum ea conſtituebat acutum, vergebat inde deorſum, & per fiſſuram magnam Hepatis, ſubſtantiam ejus intrabat, truncoque venæ portæ hepaticæ more ſolito jungebatur. In toto reliquo vaſorum ſyſtemate nil præternaturale occurrebat.

Hepar erat tantæ molis, ut $\frac{2}{3}$. partes ſacci occuparet; ſub-

ſubſtantia ejus tota parenchymatoſa & friabilis ; injectio per venam umbilicalem facta omnia ejus vaſa penetravit. In duos lobos illud erat diviſum, dextrum nempe & ſiniſtrum ; in parte inferiore lobi ſiniſtri erat transverſus lobus parvus, ſeu potius ſubſtantiæ ſiniſtri prolongatio, ſacco firmiter adhærens, longitudinis ¼. poll. Omnes vero, ſacco ligamentis ſuis adnexi. Hepatis ſitus plane inverſus; ſuperficies inferior, quæ in ſtatu naturali concava eſt & inæqualis, in noſtro erat anterior & ſatis æqualis ; ſuperficies in corporibus ſolitæ ſtructuræ anterior & ſuperior, heic erat poſtica & inferior, & veſicula fellea, bile turgens, ſingularis figuræ ; ad latus ejus utrumque duæ in hepate fiſſuræ transverſales exiguæ.

Remotis pauliſper inteſtinis, ventriculus adparebat juſtæ magnitudinis, meconium continens ; vaſa gaſtrica cum coronariis eleganter ſe conſpectui offerebant.

Lien transverſim adhærebat arctiſſime ventriculo & duodeno, figuræ vero erat pyriformis ; ſuperficies ſuperior valde convexa ; extremitas dextra, quæ ventriculo incumbebat, acuminata ; inferior & ſiniſtra ſemicircularis, coloris atro-brunni, uti liquor, qui ex aperto effluxerat ſacco. Inteſtina reliqua nihil obſervatu dignum offerebant ; ſed nullum & ne minimum quidem Omenti veſtigium nec in Ventriculi fundo, nec duodeno aut Liene cerni dabatur; Nonne abſentia omenti ejus uſum dubium reddit ? Ab hujus ſacci membrana interna ad duodenum, ventriculum & vicinum colon ligamentum validum abibat, modo dicta inteſtina ſuſtinens. Aperto thorace, glandula thymus adparebat ſolito minor ; in collo glandulæ thyroideæ duæ diſtinctæ aderant ; id quod contra Tabulas EUSTACHII 25. & 26 & Clariſſ. HEISTERI *Tract. ſpecial. de Glandulis* §. 385. pugnare videtur.

Quamquam hic caſus non omnium rariſſimus, (mentionem

tionem enim similis facit *Stalpart van der WIEL, part. prior. Centur. II. Observ. 33. p. m. 363.* fœtus exomphalodæi, sed non adeo ingentis; sola enim dilatatio funiculi umbilicalis, & non defectus musculorum abdominalium aut hiatus in linea alba regionis umbilicalis erat, ut in nostro casu, ubi funiculus minime dilatatus existebat; similem etiam fœtum in Theatro anatomico Argentinensi inter multa egregie præparata, in spiritu vini adservatum vidi, cujus interiora, quia integer, inspicere non licuit.) præstat tamen eos adnotare, ne immerita raritate nos in admirationem rapiant, sed ut iis adsuescamus, & illimitatam potestatem Creatoris variæ figuræ homines creandi admiremur, sicque figuram ordinariam non absolute necessariam, sed arbitrariam remur. Etsi tales observationes exigui in Medicina sint usus, non negabis tamen, Vir celeberrime, ex plurium observationum collectione, (Astronomorum more) Corollaria deduci posse, rationem horum casuum aliquando subministrantia; cum multi rationum potius, quam observationum avidi sint. Forsitan tales observationes, remedia, futuros si non præcavendi, præsentes tamen sublevandi, suppeditare possint? Vale vir celeberrime & me amare perge. Dabam Bernæ Helvetior. d. VII. Januar. MDCCXXXVI.

ALBERTI HALLERI
P. P. O.
ad Epistolam anatomicam Clarissimi JOAN. JAC. RITTERI, Med. D.

Responsio.

NOn vulgarem mortis causam, in nupero fœtu, quem Tecum secui, sane deteximus. Otium non suppetit, ut

ut parallelos casus investigare liceat per scripta variorum. Similis tamen occurrit observatio RUYSCHII, qui in frequentissima urbe, ipse diligentissimus, plures ad mortem vias primus detexit. Observatione enim in Centuria numero LXXII. tradit historiam fœtus vivi & maturi, in quo viscera abdominis tegumentis nuda motum peristalticum, egregio certe experimento, demonstraverunt oculis. In sequente LXXIII. eadem viscera solo peritonæo obtecta vidit, vita aliquamdiu superstite. Non recedit observatio AMYANDI, *Philos. Transact. No. 422.* cujus figuræ respondet noster fœtus.

Adeone validum robur musculorum abdominis materni, ut compresso fœtus tenero ventre elidere potuerint per hiatum umbilicalem contenta viscera. Quare qui tanta valeant musculi, ad concoctionem, distributionem alimenti, & chyli iter, patens auxilium conferent; ungues pilique fœtus 200. dierum jam perfecti fuerunt. Arteriam umbilicalem unicam visam, id rarum omnino. Erat autem fere æqualis venæ umbilicali. Nonne inde deducitur, sanguinem fœtus arteriosum vi Pulmonum non compingi, quare & arterias requirere venis magis æquales, quam in adulto? Adulti enim sanguis arteriosus eodem volumine haud paulo plus materiæ continet, mihique perpetuo visum, arterias fœtus majorem rationem habere ad venas, quam in provecta ætate. Plane ergo demonstrata efficacia pulmonis in compingendo sanguine primum prodita a BOERHAAVIO, quem clanculum imitati sunt Galli. Vesicula fellea peculiari figura fuit, & fundo quasi bicorni; Meconium in ventriculo, rarum. Potuit autem eadem violentia, quæ abdomen tenelli effregit, retro egisse materiem intestinorum; pylori enim claustrum debile, & valvula imperfecta: arguit id frequens in ventriculo bilis.

Omentum vi illa, quæ musculos abdominis pueri lace-

laceravit, deſtructum fuiſſe vitetur, uti non raro in tabidis & hydropicis fere nullum vidi. Contrario plane modo Baſileæ, in tabido a calcis ictu, Omentum convolutum, puerili capiti æquale, carnoſum & cavernoſis fiſtulis perfoſſum, deprehendi.

Ligamentum duodeni, frequens, ſed hic amplius & robuſtius. Annon firmitati adeo neceſſariæ pylori & duodeni proſpiciatur hoc ligamento, ne a flatibus ciborumque copia paſſim vagentur, eludantque vim ſepti & muſculorum abdominis. Thyroidearum admodum varia figura; frequentiſſime vidi Iſtmum Euſtachianum, aliquando vero, ſicuti & hic, deficere obſervavi, Supereſt, ut Te, ad urgendos porro labores promptum, prius excitem magis; ſperne dicta eorum, qui quod ipſi ignorant, alios non ignorare dolent, Crede mihi, qui anatomica, qui botanica Medicum perſpexiſſe nolunt, alios accuſando, ſe excuſant. Tu vero perge & ad veri cognitionem perge per naturæ viam. Placita aliorum, non niſi ad opinionem ducunt. Vale. Dabam Bernæ die 31. Januar. MDCCXXXVI.

OBSERVATIO XIII.

Dn. D. JOAN. JACOBI RITTERI jun.

de

Patellite minimo & cucullato, cucullo breviſſimo.

Lapillus a Clariſſ. LANGIO plane miſſus, a Cel. SCHEUCHZERO autem inter rariſſimos recenſitus, nec tamen in ſtratis lapidum figuratorum Ei occurrit unquam, ſed in Birſa flumine, cujus figura extat *Specim. Lith. Helvet. fig. 69.* deſcriptio vero in *Hiſtor, nat. Helv. T. VI.*

VI. p. 288. meo non conveniens. Primus me litteris, ſecundus lectione Operum ſuorum hoc edocuit. In deſcriptione celeberr. SCHEUCHZERUS *Specim. Lith. Helv. l. c. p. 48.* dubitat, an lapis ejus ad patellas referendus ſit? meum autem cum Patellis maximis convenire, deſcriptionem cum analogo marino collaturus facile judicabit.

Lapillus conſtat argilla coerulea indurata. Diameter ejus poll. I. Paris. baſis elliptica, ad circulum adpropinquat. Ad altitudinem lin. I. ſupra baſin ſenſim ſenſimque in faſtigium elevatur. Apex obtuſus, in medio poſitus, papillæ ad inſtar, Stria ſpiralis unica ab apice ſemiconvolutione ad oram baſeos excurrit albicans, pulverulenta; reliquiæ conchæ, ſeu analogi ipſius. Adeſt & operculum ſive pars concava *Fig. 4.* Patellites ipſe, ſeu pars convexa *Fig. 3. Tab. I.* arcte ſe ſe excipientes. Stria albicans in utraque parte conſpicua. Patellites noſter lævis, SCHEUCHZERI ſtriatus. Superficies convexa quam maxime cum ſuperficie interna Patellæ marinæ, quæ ad manus eſt, congruit, delineata a RUMPHIO *Amboin. Rar. Tab. XL. Lit. B.*

Alium Patellitem absque operculo poſſideo; haud diſſimilem *Patellæ Rumphii* l. c. Lit. M. abſconditur uterque inter Conchitas leves & ſtriatas; & haud aliter, niſi diffractis malleo, detegendus.

Inventi ſunt in monte ad pagum *Belp*, duabus a Berna leucis diſtantem, Conchitarum ſtriatorum, lævium, Pectinitum, Oſtreorum, Turbinitarum, Cochlitarum terreſtrium uberrimo ſtrato, ſupra *Bernam* ultra 300. pedes Paris. elevato: Parallelum horizonti, altitudinis ſeu craſſitiei 10. ped. Paris. Lapides tanta quantitate ibi inveniuntur figurati, ut arte quaſi ſeorſim argillæ cœruleæ intruſos diceres. Strato huic incumbit aliud ex lapide arenario duro, ejusdem fere altitudinis, ſed albicantis coloris. Stra-

to ex arena fluviatili, gryfea, margæ cœruleæ intermixta decidua, 4. ped. craſſitiei, impoſitum noſtrum; unumquodque ab altero diſtinctum & ſeparatum materia diverſi coloris.

Montem iſtum a fluctibus diluvii univerſalis ortum fuiſſe, arguit variorum ſtratorum ejus ſitus parallelus horizonti; ſtrati conchiferi altitudo, differentia materiæ ſtratorum; gravitas ſpecifica materiæ varia. Initium ejus ab oriente, & progreſſus occidentem verſus, ubi prope pagum montis quaſi ex abrupto fit finis, in planum terminatus, angulum rectum cum montis facie verſus occaſum efficiens, exhauſti undæ impetus ſignum & terminus.

Miror, quomodo iſte mons celeberr. SCHEUCHZERO, reliquiarum diluvianarum alias ruſpatori diligentiſſimo ac feliciſſimo, Bernam pluries transmigranti ignotus manſerit, ſaltem ad annum MDCCXVIII. quo ultimus Tomus Hiſtor. Nat. Helu. prodiit? malo tamen credere, Illi poſtmodum eum innotuiſſe, & in Opere mihi adhuc incognito deſcriptum fuiſſe quam imminuti feruoris in perquirenda Hiſtor. naturali Helvetiæ accuſare tantum virum optime de Hiſtoria illa meritum, utpote Cujus exemplo & ſcriptis omnia in hac ſcientia debeo.

OBSERVATIO XIV.

Dn. D. JOAN. JACOBI RITTERI jun. Empyema lethale cum ſectione cadaveris.

Juvenis 24. annorum, ſtaturæ proceræ, colli longioris, temperamenti ſanguinei, Menſe Majo MDCCXXXVII. Pleuritide vera corripiebatur ex cauſa ipſi incognita, diutius, quam par erat, durante. Reconvaleſcens perſenſit dolorem gravativum in dextro latere, cum tuſſi ſicca & diffi-

difficili in latere ſiniſtro decubitu ; quæ ſymptomata vero non impediebant, quo minus laboribus ruſticis imcumberet. Anni ſpatio dolor gravativus augebatur, exſurgebat in latere ſiniſtro, ſupra coſtam octavam veram, tumor, absque inflammatione, tactu dolens ; reſpiratio difficilis reddebatur, & ſputum purulentum albicans prodibat. Ordinatur A. MDCCXXXVIII. uſus lactis vaccini, nullum vero levamen attulit, ſed potius morbum exacerbavit. In Noſocomium noſtrum menſe Novembre ejusdem anni delatus, varia decocta adhibita fuerunt, ſed incaſſum ; exacerbata ſemper ſymptomata ; orta febris lenta, adpetitu tamen integro permanente; alvus reſpondens; reſpiratio difficilis; ſingulis ternis diebus exſpuebat materiam purulentam, fœtidam, reliquis duobus intermediis nihil rejiciebat; quo magis exſpuebat, eo majus levamen in pectore ſentiebat; decubitus ſupinus impoſſibilis, ob imminentem ſuffocationem & intolerabilem oppreſſionem, erat; videns, nullos remedia ſequi effectus, operationem efflagitabat, quam ſpe felicis eventus, ægroti animi corporisque viribus integris, ſuſcepi d. 25. Jan. ann. curr Apertura inter ſextam & ſeptimam coſtam veram, ſub ſcapula incipiendo a ſupremi dorſi coſta, facta fuit ; ipſo operationis die nulla, ſequente vero die materiæ albæ,ſeu puris bonæ notæ libra circiter ſemis effluebat, cum ſubſequente levamine, decubitu ſupino, reſpiratione faciliori, tuſſi & excreatione ceſſantibus, febre mitiore. Injectum primis diebus decoctum hordei ſimplex, additum dein Millefolium & Scordium. Intus propinatum decoctum pectorale & vulnerarium,detergendi & conſolidandi ſcopo,quo mox puro, moxcum lacte remixto, paucis ante mortem exceptis diebus, uſus fuit continuo.Materia primis diebus nullum ſed paulatim ſpirabat cadaveroſum odorem. Die 25. Febr. pedes intumeſcebant; ordinatum fuit lac vaccinum, quo per 14.

dies uſus,ſed ob moleſtiam ſtomachi ſuſpendere eum oportebat; febris d. 24. augebatur, junctis circa veſperam horroribus, reſpiratione difficili; carnem bubulam, qua avide & ſine moleſtia hucusque veſcebatur, amplius perferre non potuit; materia quovis die ſemper in eadem quantitate effluebat, ita, ut proventum ejus miratus fuerim, usque ad 28. diem, quo materia quantitate diminuebatur, ſimulque craſſior evaſit. Injectio decocti hordei cum Tinctura Myrrhæ amarorem oris contraxit, unde dein de ea abſtinui. Die 1. Martii anxietates præcordiorum auctæ, pedes tumefacti; adpetitus dejectus, proſtratio virium ſumma inſtantem nuntiavere mortem, quæ die 4. Martii hujus anni accidit. Sectio Cadaveris obtulit ſequentia memorabilia: Aperto pectore adparuit lobus pulmonis ſiniſter totus fere conſumtus; cavitas pectoris eadem ad partem dimidiam materia repleta; oſcula vaſorum lobi aperta; in interſtitiis muſculorum intercoſtalium 5. 6. 7. coſtæ veræ, excavationes; coſtæ ipſæ carioſæ, pleura ſeroſa & conſumta. Dexter pulmonis lobus integer, niger, tuberculis adſperſus induratis; cavitas pectoris eadem lympha repleta ſubflava; vaſa bronchialia indurata; omentum fere nullum; glandulæ meſaraicæ induratæ omnes; Pancreas ſolito durius. In reliquis ventris infimi viſceribus nil præternaturale aderat; in cavitate Pelvis urina copioſa, integra exiſtente veſica. Facta diſſectione cerebri, ventriculi anteriores multa colluvie ſeroſa, carnei coloris, repleti erant, ut & cavitas fornicis, An conſenſus ventriculorum cerebri cum pectore? Plexus choroideus multis hydatidibus refertus, & ſanguine tinctus erat; in glandula pineali lapillos inveni duos, granum milii ſuperantes magnitudine, quos inter rariora mea adſervo exhibenda demonſtranda omnibus; an harmonia indurati Pulmonis & tuberculorum ejus cum lapideſcente glandula pineali? Cæterum nec in ventriculo tertio & quarto, nec re-

liquis Cerebri partibus quidquam, nisi substantia ejus duriuscula, ad sectionem aptissima, notanda fuere.

(*Berna Erfordiam missa d. 19. Jul. 1739.*

Tessera MEDICINÆ CLINICÆ per analysin CASUUM CLINICORUM, ad habitum morborum generalem dogmatico-experimentalem directam,

oblata

Academiæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum

à

D. JOANNE SAMUEL CARL,
Sereniss. ac Potentiss. Regis Daniæ Archiatro, dictæque Academiæ ASCLEPIODORO.

Cum scientiæ naturalis æqui æstimatores, immo prudentes censores, ad indaginem rerum intimiorem perveniendi historicam phænomenorum notitiam inter prima requisita merito ponenda judicant; hinc sane nemo rei gnarus ibit inficias, hoc desideratum in evolutione scientifica œconomiæ vitalis, inprimis autem morbidæ (facta non sensu crudo, sed rationali attentione, comparatione & evolutione exactiori,) summæ necessitatis esse, dum ex circumstantiarum, in morbis occurrentium, essentialium & extra essentialium, collectione ac collatione non solum per se ætiologicus actionum ac passionum nexus clarius ac certius patescet, quam ullæ suppositítiæ hypotheses, fabularum næniis ac tricis similiores, quam veritatum evolutionibus,

fœnerari valebunt, ſed etiam inde ex actuum internorum, tamquam luctarum contra exſurgentes & invaleſcentes corruptiones directionibus, magis hodegetica manuductio miniſterio medico innoteſcere deprehendetur, quorſum ductus therapeuticus dirigi ac cum ſynergia interna medica combinari debeat. Etenim monitum Ciceronianum, a myſtis Naturæ in perſcrutatione rerum naturalium in genere hanc ob cauſam ita frequenter inculcari ſolet, quod *opera naturæ dies confirmet, opinionum vero commenta deleat*, ne hoc hodego præmuniti in variis hypotheſium in dies & horas, in modum morum, veſtimentorum, geſtuum, conſuetudinum, &c. variantium, cum & a phantaſiæ ludicris irretiri ac obnubilari nos patiamur, & ita in ſummum detrimentum delabamur, negligendo facta naturæ, fingendo phænomena facti, ſicque declinando ab omni via recti, in innumeros errorum labyrinthos delabamur. Quamobrem ſcrutatores œconomiæ vitalis, maxime illi, qui auxiliatricem manum defectibus naturæ porrigere volunt ac debent, id potiſſimum ſibi ſemper curæ cordique habuere, ut œconomiam totam vitalitatis, tum integræ, tum labefactatæ, in hiſtorica ſolum ἀκριβείᾳ probe evolvant, ſiquidem non ſolum antiquitatis monumenta hoc ſatis declarant, ſed etiam moderni ævi revolutiones contra artificiorum ac opinionum commenta de novo inculcant, ut ita regiam naturæ viam loco phantaſiæ fili iterum inveniamus.

Aſt cum hoc obſervandi ſtudium, ob immenſas ambages, in diffuſiſſimam profunditatem deſcendat, nec tamen abyſſus penitus attingi & exhauriri queat; ideo haud iniquo animo ferri debet, ſi alii perſcrutatores in ſtructuræ animalis indole ac habitu ad morbos; alii in externorum efficacia & concurſu ad excitandos morbos; alii in animi, aſtrorum, rerum non-naturalium ac remediorum operatione; alii denique in aliis ſpecialibus objectis exquiſitius

tius enucleandis omnem collocant operam. Eſt enim ejusmodi ſcientia œconomiæ vitalis, in cognoſcendo naturali ac præternaturali corporis ſtatu occupata, tantæ neceſſitatis ac utilitatis, & ita conſequenter etiam tantæ profunditatis, ut haud unus oculus unaque dies ſufficiat pro toto complexu, inprimis ad obtinendum, artis ope, dextrum ſcopum neceſſario, debite adprehendendo; ſed requiritur, dum dies diem docet, ut animi omnem nervum impendant, & ita ex mutuo labore, tandem in ampliſſimum centri ambitum, qui tamen nil curioſi, vel alieni, admittit, aditus aperiatur.

Quamobrem uti cuivis obſervandi methodo ſuus competit locus, utpote ad unam certitudinis & utilitatis metam ducenti, & unicuique inſtrumento ac hodego liberum exercitium in activitatis exercitio eſt reliquendum; ita & illi eandem libertatis veniam ſervant, qui magis in ſimpliciſſimo naturæ tramite ordinem ipſius, prout morbo ſe ſe opponere ſolet, ejusque ſpeciales ac individuales receſſus ſolum attendere laborant, ut ita ſolam illam a Veteribus jam electam viam, determinationum ſcilicet & operationum autocraticarum, attendere, & ad eum miniſterii ſcopum dirigere queant.

Hæc methodus obſervandi cumprimis in chronicis morbis cognoſcendis utilis maxime propterea judicatur, quoniam in acutis lucta valde aperta ac repentina exiſtit, adeoque omnibus, etiam uno quaſi oculo videntibus, facile manifeſta redditur, & hinc ſola expectatione, raro autem promotione, ſublevatione multa & excitatione multa ac laborioſa ſalutaris ejus eventus accelerari debet; in chronicis vero materia peccans morboſa eſt copioſior & manifeſtior, activitas eluctatoria magis delaſſata, viſcera ac colatoria, tamquam inſtrumenta luctæ, diuturno uſu deſtructa; quare tunc artis miniſterium abſolute fere requiritur, ut majori cum diligen-

tia

tia ad vias, defectus & difficultates medicinæ internæ attendatur, atque ita locus, tempus, modusque adnotetur, ubi commode negotio vitali obstetrices manus porrigere possit.

Intentio hæc, chronicos adfectus attentius ac intimius cognoscendi atque in & ad habitum pathologicum ac therapeuticum deducendi, fuit revera præcipuum objectum in Schola medica didactico - experimentali, adeoque etiam Societatum & Academiarum variarum, ut ita necessaria ac utilia semper seligere clariusque demonstrare, atque a nudo speciosorum, curiosorum & incertorum titulo liberata, veluti supellectilem pretiosam] ærario medico pro futuro perpetuo usu, inserere valeant.

Quam ob rem, cum Germania hoc mercaturæ genere præ aliis terris ac regionibus magis abundet, merito utique non ἀτόπως vel ἀλόγως agitur, si nil novi aut alieni proferendo, sed solum illum scopum præfixum omni modo adjuvando, quiuis suum doliolum per urbem volutet, ac congerat, quidquid ipsi utile, etiam in simplicitate summa, hinc & inde occurrit, quo doctiores viri epicrises tales leviores in aptiores & perfectiores deducere, salutaria evolvere ac colligere, manca vero semovere valeant.

Hic est scopus, hæc meta, simplicissimarum harum observatiuncularum, ac tentaminum, eorundemque dogmaticæ evolutionis, quas, ne plane otiosus videar, aliorum usui & contemplationi sistere placuit, cum voluntas pariter ac facultas omnis, ad curiosa & sublimia adscendendi, me deficiant.

OBSER-

OBSERVATIO XV.

Dn. D. JOAN. SAMUEL CARL, Hydrops ascites.

Vir 73. annorum, sanguineo - melancholici temperamenti; habitus corporis alias robusti athletici animi quidem activioris & sensibilioris, sedati tamen, prout ex moribus adparuit, vitam inter varias corporis & animi turbas transigit, minime vero aularum vitiis diaeteticis reliquisque vitae erroribus succubuit. Jam per aliquot annos in senectute vegeta vitae sedentariae negotiisque processuum juris turbulentis, immo extero ac sanitati minus faventi climati sese exposuit. Inde elapso paucorum mensium spatio, oedemate pedum, somnolentia insolita & respirandi difficultate laborare coepit. Post solstitium aestivum subito dicta haec symptomata increbescunt, & abeunt in plenariam ascitem. Abdomen cum pedibus intumescere pergunt. Respirandi angustia augetur: Urina parca lixiviosa prodit: Alvi successus deficit: Pulsus etiam mature inaequalis redditur. Æger hinc sponte, absque Medici consilio, ob plethoram, ad Venaesectionem properat, immo ob haemorrhoidum emansionem etiam hirudinum adplicationem & acidularum usum in auxilium vocat. Pro leni laxatione solum Pilulae polichr. nec non potiunculae ex Rhab. Fol Senn. & Manna adhibentur. Pro resolutione ac diuretica excretione promovenda Decocta & juscula ex Radd. aper. Vincet. Pimpin. alb. Pareir. brav. Elixiria amara & similia adsumit, sed nullum remedium tolerabilis erat energiae, quin potius malum festinante gressu properabat in sphacelum pedum & febrem inflammatoriam, lethali exitu se se terminantem. Secto cadavere deprehenditur abdomen ichore repletum, Hepar ac glandulae meseraicae nigredine

duræ corruptæ, pulmones itidem nigræ: flaccidæ & corrugatæ.

Epicrisis.

Casus hic unicus loco paradigmatis sttatus morbi ascitici inservire potest, ex quo simul facile notas clinicas aliis observationibus pathologico-therapevticis adjicere possumus.

Quotquot unquam asciticos observare licuit, eorum omnium morbus utplurimum hoc modo se se manifestavit, eorumque status viscerum post mortem ita manibus oculisque deprehenditur; id quod & aliorum observata testantur per omnem temporum seriem.

Quamobrem ad viscerum & organorum colatoriorum vitalis œconomiæ corruptionem, quod & quomodo in ortu ac progressu ad excitandum gravem huncce morbum ea conferat, primarius respectus est dirigendus.

Maxime vero Hepatis, visceris tam magni, tam mollis & adeo indispensabilis necessitatis ac utilitatis, quod & quomodo longinquo temporum tractu sub vario humorum abundantium & vitiosorum transitu, tantisque animi turbis, ad ejus labefactationem omni impetu tendentibus, tandem hoc colatorium serum biliosum non rite separare, sed potius in texturæ teneritudine obstructionem scirrhosam suscipere ac perferre valeat ac debeat, paulo exactius ratio habenda erit.

Inde enim absoluta quasi necessitate regressus lymphæ per sua vasa, intra Hepatis substantiam abundantissime dispersa sufflaminatur, atque humor iste in motu perpendiculari suspenditur, immo ruptis vasis tenuioribus effunditur ac in partibus inferioribus pedum & abdominis pro stasi & insequente plenaria corruptione colligitur.

Difficultas in constituendo ordine causarum sæpius

hic

hic obtingit, num visceris labes sit causa prima corruptionis humorum, vel num humorum impuritas viscera contaminet, obruat, infarciat, atque ita instrumentorum vitalium structuram corrumpat ac destruat.

In Hydrope a febribus corruptis & suppressis, scabiei, cacochymiæ vel cachexiæ retropulsione, similibusque causis oborto, depravationes fluidarum partium, tandem solidarum, & organorum vitalium destructiones post se trahere solent. Ast plures casus asciticorum occurrunt, præcipue consistentis & senescentis ætatis, in quibus quidem abundantiæ & mixtionis vitia observantur, sed qualitatis impuræ vestigia nulla adparent.

Unde magis ex viscerum diuturno usu labefactatio talis ingruit, maxime vero ex abundantiæ ac consistentiæ spissioris vitio, immo ex motu perpendiculari tam sub ætate ac vita sedentaria, quam ab animi turbis, magis impedito, hoc parenchyma glandulosum tandem obstruitur & ejus textura mollis induratur.

Prout vero hic status, modus ac ordo fiendi in genesi ascitica se se facile oculis mentis ac corporis cognoscendum sitit, ut pateat ratio, cur in hanc præcipue ætatem cadat & ab hisce certis causis procatarcticis promoveatur ac suscitetur; sic magis ad tractationis therapeuticæ epicrisin nunc progredi debemus, ut innotescat, quid de ordinariis indicationibus ac indicatis rationis ac experientiæ dijudicatio spondeat.

Ante omnia, cum morbus sit ætatis consistentioris ac senescentis, id quam maxime a priori & posteriori notan-

dum & obſervandum eſt, quod, præſente communiter virium imbecillitate, in genere impetus methodi ac medicacamenta conſueta draſtica minime conducant, ſi vires vitæ cadentis jam deperditas præ- ac immaturo auſu non penitus deſtruere velimus. Haud enim illa excuſatio, illaque animi bona intentio, & mala inventio hic habet locum, in gravi caſu tentandum aliquid eſſe, experimentum novum methodi ac medicamenti, maxime heroici, eſſe capeſſendum, quoniam morbus nihilominus ad mortem vergere ſoleat. Aſt rationalis therapia non bruto impetu graſſatur in vitalem corporis humani œconomiam, ætate ac morbo jam turbatam, nec per mortes experimenta captare geſtit. Quodſi ſtatus vitalitatis depravatus medicina in- & externa prorſus non poteſt reparari, tum præſtat, immo naturæ lex exigit, prognoſi vera id explanare, ſicque ſcientiæ integritatem in artis imbecillitate conſervare, therapiam vero ita dirigere, ut ſymptomata nulla violenta temerarie excitentur, morbusque cæteroquin inſanabilis ad minimum placide ad mortem decurrat.

Hæc animadverſio præſcindit conamina ac tentamina varia, inprimis quæ ex Chymiæ fonte hauriri ac deſumi ſolent pro latice hydropico expurgando, immo pro novo balſamo ſanguineæ maſſæ ſuppeditando. Quodſi enim in Hydrope a corruptis intermittentibus febribus prognato, ſimile chymicum conducit remedium, tum certe illud in eodem morbo, ex graviori viſcerum depravatione oborto, ſalutariter adplicari haud poteſt. Hinc lenitas methodi ac medicamenti hic potiſſimum commendari meretur, contra ſolennes impetus, theoriæ illi fallaci ſuperſtructos, quod

hydropicorum vitalis ſtatus a phlegmatica ſaburra debilitatus ſit, adeoque abſolute draſtica purgantia, diuretica, &c. exigat.

Miſſiones ſanguinis tempeſtive inſtitutæ infarctus humorum tandem in obſtructiones degenerantes in viſceribus præcavent, nec in ſeneſcente ætate ſunt omittendæ, immo magis, quam in juniore, continuandæ, quoniam mobile vitæ genus tunc abit in ſedentarium, diæta cruda in mollem, animus liber in ſollicitum.

Maxime vero hæmorrhoidalis ac menſtrua evacuatio eſt reſpicienda, ut ad promotionem & conſervationem harum excretionum miniſterium artis dirigatur, inprimis ſi menſtrua ceſſent, ut Venæſectio derivatoria ſubſtituatur; ſi hæmorrhoides emaneant, aut turbentur, ut vicaria hirudinum adplicatio ſuſcipiatur, & quidem debito ac convenienti tempore.

Sicuti vero præſervatoria miſſionum ſanguinis commendatio ſummæ neceſſitatis ac utilitatis eſt; ita nimis tarda protractio earundem, quando erumpens adfectus hydropicus viſcerum labem jam radicatam monſtrat, immo quando febrilia pathemata accedunt, nullius plane uſus eſt, ſicque vulgi dicterium confirmatur, quod ventilationes ſanguinis, curatorio ſcopo in paroxyſmorum ac ſymptomatum initiis aut augmentis inſtitutæ, malum magis accelerent ac confirment, vires vero pro ulteriori reſiſtentia neceſſarias præmature dejiciant.

Evacuationes hydragogæ, etiam leniores, pro temperamenti diverſitate ſelectæ ac inſtitutæ, ejusdem cenſus ſunt. Celebris quidam Medicus uſum Gummi guttæ, deflagratione cum Spir. Junip. correctæ, tanti habuit, ut ad gr. X. & XV. pro ſero hydropicorum jamdum extravaſato ac in cavitatem abdominis collecto, eam adhibere ſe poſſe cum ſummo effectu, gloriaretur, quoniam inſtar ſpongiæ

extravasatum serum porositas intestinorum imbiberet, sicque commode illud evacuari posse. Ipsa etiam radix Jalappæ in pulvere & Essentia, itemque ejus resina ad gr. V. X. XII. satis efficax robustis est hydragogum atque præsente adhuc viscerum permeabilitate saburram serosam feliciter ac blande eliminat. Quodsi vero gravior qualiscunque jam adsit viscerum labes, tunc & morbum facile auget, & mortem ipsam accelerat. Malim ergo minister naturæ esse in mortis languore, quam magister morbi in naturæ ruinam. Idem & de aliis purgantibus sentiendum. Nam & rhabarbarina & Sennata ac mannata flatulentias excitant, hepatisque & reliquorum viscerum tonum labefactatum plus debilitant & enervant, quam quidem vel in genere de quibuscunque impuritatibus, vel in specie de seroso latice exterminant.

Sic quoque alia purgantia magis specifica, velut oleum ex arillis Samb. Rad. Ir. nostr. Colocynth. corr. &c. minus conveniunt ratione causæ materialis, scilicet viscerum corruptionis. Et sane, sublata seri hydropica extravasatione copiosaque collectione, ægri in hecticam delabuntur consumtionem, manente tamen causa prima, visceris nempe labe. Proinde irritum plane est, si in cura Hydropis de seri colluvie removenda tantopere solliciti esse velimus, cum facili negotio tantum semper restituatur, quantum antea excretum fuit.

Quodsi vero quispiam pro anoterica & emetica evacuatione seri ideo pugnare velit, quoniam concussio talis fortior indirecte pectoris & abdominis languescentem tonum excitet, & ita infarctus, obstructiones scirrhosas minitantes, dissolvat; tum profecto suscepta talia molimina rarissime experientia salutari effectu confirmabit ac corroborabit.

Diureticam evacuationem per lixiviosa, catarrhalia, speci-

specifica, Rad. Vincet. Pimpin. alb. Ari, Pareir. brav. Armorac. pulv. bufon. &c. neque a priori, neque a posteriori scopum attingere, facile intelligi potest: Non enim serum in sanguine fluctuans, vel quantitate excedens, vel qualitate corruptum ac noxium evacuari debet; sed humores ex colatoriorum organorum destructione depravati, necessariam sui correctionem & evacuationem exposcunt.

Trepanatio in capitis læsionibus uti sæpissime erronea ac frustranea in chirurgicis deprehenditur, sic & paracenthesis asciticis breve ac leve solamen adferre solet. Ipsi operatores post prægressam aut admissam levem refrigerationem successurum prædicant internum ardorem ac præcipitem transitum in sphacelum in- & externum.

Acidularum usus nullo prorsus modo convenit cum viscerum asciticorum constitutione: Humiditas enim relaxat & tonum viscerum, tam sub morbo, quam sub ætate senili labefactatum, tanto magis destruit; Vitriolico-martiale autem principium simul viscera obstructa ulterius constringit, unde vel parcus earum usus morbum auget, mortemque accelerat, id quod ipsam quoque plebem haud fugit, a qua idcirco hac prognosi acidularum consilia communiter coronantur: **Nun wirds bald zu Ende gehen, die Jnngeweide sind angegriffen, und Brunnen erfordern starcke und innerlich noch gesunde Leute.**

Ex eodem fundamento virtutis constrictoriæ etiam martialia remedia nullius sunt securitatis: Infarciunt magis & constipant viscera & colatoria jamdum condensata, id quod etiam salia volatilia efficiunt. Nunquam ergo conditio depravata sanguinis & viscerum per martis sulphur balsamicum corrigitur, uti fautores similium remediorum audacter promittunt, sed hydrops cum hectica citius conjungitur, & ad supremum fastigium deducitur.

Mercurialia & Antimonialia, communi ac sublimi ar-

te præparata, nullius fidei sunt. In morbis sanguineis ubi obex coaguli ac corruptionis lymphaticæ deest, humores jamjam attenuatos nimium resolvunt, ac colliquationes corruptivas inducunt. Recens est casus, qui ad medicinam forensem, politicam ac theologicam spectat, ubi hydropicus pro mitiganda dyspnœa Electuarium ex Conservis & Syrupis aliisque pectoralibus cum mercurio dulci remixtum, adsumsit, indeque in vehementem salivationem, cum totius oris exulceratione, incidit. Tincturæ antimoniales non ex sulphure Antimonii, sed ex tenui salsedine constantes, uti aliæ alcalinæ ac tartareæ, lenem abstersivam ac resolutoriam diuresin excitant ac promovent.

Inter alterantia præstant inprimis amara catarrhalia aliis stimulantibus, quacunque forma adhibeantur, nova tamen viscera non producunt. Quorsum natura ipsa non tendit, eo adhuc minus pervenire potest ars: Hinc juniorum Hectica & annosiorum Hydrops, dum eidem fundamento sunt superstructa, etiam pari difficultate medendi, & pari prognosi ad mortem usque gaudent. Quodsi Hydrops a febribus vel aliis morbis lymphaticis corruptis productus fuit, adeoque viscerum integritas adhuc præsto est, tunc omnino utilitatem præ aliis majorem præstant amara illa balsamica: Ubi vero viscerum status scirrhosus, unacum pulsu febrili ac superiorum contabescentia jam observantur, ibi sane balsamica aromatica & resinosa amarities magis commovet & hecticam exacerbationem inducit, quam stases scirrhosas emollit ac resolvit. Interea præ reliquis omnibus aliis medicamentis magis prosunt Essentiæ, Pilulæ & Infusa amara, catarrhalia resolventia, quæ etiam cum salibus digestivis in sicca & fluida forma, reserandi scopo, adhibitis, commisceri possunt.

Si itaque ascitem cum hectica complicatam, ob simile fundamentum, similemque lentam indolem, non tam

curan-

curandi, sed saltem mitigandi scopo, una eademque medendi methodo tractare cuidam placeat, & quidem abstergendo inquinamenta ulcerosa, & discutiendo stasin invalescentem, ille facile deprehendere poterit, num certius & blandius ad metam tendat atque deducat naturam labascentem.

Externa saturnina pro ardoris ac gangrænæ incremento avertendo exiguum quidem, non tamen minus promittunt auxilium, quam ab aliis chirurgicis expectare licet. De reliquo sufficit diæta puerperarum: Modicum cibare & reliquum naturæ committere.

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. JOAN. SAMUEL CARL,

Scabies climacterica.

VIr 49. annorum, cholerico - sanguinei temperamenti, a juventute valetudinarii status, tenerioris animi corporisque habitus, sæpius pectoris adfectibus (unde perpetua quasi tussi laborabat,) & nephriticis infestabatur doloribus, eaque propter diætæ ac animi morum ordinem & temperiem inde observare didicit ac statuit. Hic corripitur scabie humida, adfectu etiam in pueritia nunquam sibi familiari, quæ brevi tanta capessebat incrementa, ut in die bis indusium mutare coactus fuerit, quoniam illud semper madore putrilaginoso ita repletum erat, ac si in pus sincerum fuisset immersum. Ob teneriorem ac sensibiliorem ægri constitutionem haud consultum erat, ut scabies ista more aliarum impuritatum humorum tractaretur, præsertim cum levissimum frigus admissum illico retropulsionem & pustularum exsiccationem induxerit, cum halitu ex ore fœtidissimi nidoris. Hinc suadebantur tem-

peratissima mundificantia, ex Tinct. antim. tartar. Ess. alexiph. temper. pulveres absorbentes, & juscula medicata ex Herb. Chæref. Hed. terrestr. Nummul. Urtic. Rad. Cichor. &c. Continuat sic scabies per dimidium, & quod excurrit, annum, tum per se successive exsiccatur, & ope exiguæ quantitatis vngt. mercurial. ad carpos manuum adplicati, tota corporis peripheria iterum mundificata fuit. Superata hac scabie æger valetudinarium statum ita veluti amisisse deprehendebatur, ut sexagenario major perfectiori valetudine frueretur, quam olim in juventute. Quamobrem ipse sibi sæpius de crisi hac climacterica gratulabatur.

Alius magis sanguineo - melancholici temperamenti eandem crisin scabiosam expertus fuit sub septimo ætatis septenario. Scabies vero ita humida & purulenta erat, immo multis ulceribus quoque aucta, ac si madore sanioso in dies totum corpus difflueret. Adhibebantur statim laxantia & mundificantia interna, omnia autem validiora purgantia & commoventia sedulo evitabantur, inprimis cum jam constabat, scabiem hacce non ut recentem quandam impuritatem ab extra humoribus communicatam, sed tamquam chronicam, & ab intra ratione ætatis successive genitam, hac crisi lenta expurgari debere, id quod etiam adeo felici contingebat eventu, ut æger summam, immo firmiorem orthostadiam nactus fuerit, quam antea in junioribus annis possederat.

Alius magis melancholico - cholerici habitus, sedentariæ pariter vitæ, & ratione animi morum in æquali placido statu constitutus, sub periodo climacterica illa magna ac prima, simili, sed magis ficciore scabie corripitur, magisque ardente, rodente ac mordente, quam humida prurigine molesta. Petit hinc anxie profligationem hospitis in negotiis suis adeo sibi adversi. Recusatur petitum, cum morbo gravius sit futurum. Mundificatio catarrhalis per

Ess.

Eff. alexiph. succin. tentabatur, & externe solutio Sacchari Saturni pro temperando ardore in manibus admittitur. Durat adfectus per annum fere; tandem cessat, ægerque integram valetudinem recuperat, succedente simul majori firmitate ac aliquali obesitate, qualem antea non habuerat.

Nullam sane mentionem injicerem sub recensione horum scabiei casuum, criseos climactericæ, etiamsi valetudo firma inde prodiisset, utpote quam generali mundificationi humorum tribuerem, nisi in alio quodam subjecto crisis talis male cadens attentionem suasisset. Aliquis agnatorum petit per litteras consilium pro uxore, in periodo climacterica ætatis suæ constituta, scabie vero fœdissima per totum caput obsessa, ut etiam in luis venereæ turpissimam suspicionem apud plebem, immo & ipsum Chirurgum incurrerit. Rescribo eidem, unice esse eo adlaborandum, ut temperatissime mundificetur massa humorum & crisis lenissima promoveatur. Chirurgus vero adgreditur scabiem ut veneream per consueta varia interna & externa heroica remedia. Brevi post adveniunt litteræ obitum scabiosæ repentinum nunciantes. Exitus hic funestus multos in admirationem traxit, cur scabies simplex tam malignæ fuerit indolis. Non immerito vero a malignitate materiali recedimus ad turbationem depurationis spontaneæ climactericæ, immo criseos chronicæ, quæ sæpe per exanthematicam excretionem beneficio transpirationis, aut etiam diarrhæam quandam contingere suevit.

Pro confirmatione hujus observationis & ulteriori ejus explicatione reminiscor adhuc casus cujusdam, ubi vir 81. annorum cholerico-melancholici temperamenti, juventutem morbide, virilitatem vivide transigens, in senio vero duris cibis pro jentaculo, halecibus nempe, cucumeribus, &c. indulgens, psora corripitur, squalore furfuraceo faciem

per integrum annum obſidente. Tranſit per ſe malum, poſtquam jentaculum hauſtulo vini abſynthiaci obſignare ſuevit, ut ſenex decennium adhuc ad impleverit.

Epicriſis.

Antiquitatis mos erat, naturæ facta ſollicite obſervare, & in occultis factorum modis ac viis magis intellectus, vel potius ratiocinationis defectum, ſub titulo *qualitatum occultarum*, profiteri, quam rem experientiæ evidentis pernegare. Inde vero in eam inciderunt Charybdim, ut nimis ſuperſtitioſe ſæpe phænomenorum perſcrutationem evolverint. Aſt recentiores in profundiorem delabuntur Scyllam, dum facta naturæ, experimenta atque phænomena perpetuæ ac conſtantis obſervationis tamquam dubia, incerta & fallacia negare, damnare, rejicere, non verentur, ut ſaltem in dies renovandæ philoſophiæ colores tanto aptius factis naturæ inducere valeant.

In hunc cenſum duci meretur obſervatio, ne dicam doctrina, de motu naturæ critico ac climacterico, immo quidquid ad hiſtoriam hujus phænomeni pertinet. Media ac regia via eſt via virtutis, ſapientiæ ac veritatis, a qua in utrumque latus deflectere idem eſt, ac in errorum ſentinam labi.

Actus vero criticus & climactericus habet fundamentum in œconomia cœleſti, immo divina, unde a ſola ratione alienam doctrinam criſium repetere non valebimus. Prout enim ſubſtantiæ viſibiles ipſarum quoque creaturarum terreſtrium, numero ternario in unitates compinguntur, ita attributa unitatum ternariarum ſeptenario abſolvuntur. Hic eſt iconiſmus & paralleliſmus inviſibilium in viſibilibus, in quibus explanandis ulterius jam non deſudabo, utpote contentus rei actu exiſtentis veritate.

Actus criticus etiam in numero dierum, ſeptimanarum, menſium, & annorum, medicis obſervationibus ita confirmatus eſt, ut qui generaliter de eo dubitant, ad minimum fundamentum rei in dubium vocare nolint, ſed unice cauſam ſtatus periodici in peculiari materiæ conditione, motusque certa inde ſubſequente alteratione ponant, vel ſecundum recentiſſimæ opinionis chimæram in harmonia præſtabilita quærendam ducant.

Quis vero amplius in dubium vocabit Naturæ factum, cum opinionum ac explicationum commenta plura jam circa hoc objectum dies deleverit? Quis non cognoſcit, qualem annus ſeptimus, ut criticus primus ætati humanæ adferat in vitalibus alterationem. Quis non attendit anni critici ſecundi effectus in utroque ſexu, pro conſervatione ſpeciei & inde dependente negotii generationis adparatu? Quis contingentem circa dimidium ſeptenarii ſeptimi, anno nempe 24. negabit mutationem, intuitu incrementi corporis quoad longitudinem tunc ceſſantis, itemque illam, quæ plenarie abſoluto ſeptimo ſeptenario, reſpectu evaneſcentis tunc potentiæ generandi? ſiquidem tunc, quando etiam non amplius in latitudinem creſcunt fæminæ, cum menſium ceſſatione etiam ſterilitas ingruit.

Ratione criticorum vero dierum in praxi clinica attentior commendatur obſervatio, ut ita manuductionem obtineamus, quomodo non ſolum ad actum vitalem eluctatorium reſpicere, ſed & præcipue eidem prudenter ſubvenire ac ipſum debite adjuvare, artis ope, conveniat. In acutis periodus criſeos ſeptenariæ omni ſedulitate obſervari debet, quia turbæ etiam fortuitæ, plerumque damna irreparabilia poſt ſe relinquere ſolent. Breviſſima criſis in peſte eſt, utpote quæ intra periodum dimidii ſeptenarii primi contingit, adeoque communiter tertio vel quarto die ægri luctam bene vel male abſolvunt. Mitiores criſes ma-

lignarum, continuarum & continentium expectant complementum ſeptenarii primi & ſecundi. Qui vero motus eluctatorii in hiſce febrium ſpeciebus ex peculiari vel individui, vel materiæ conditione periculoſiores ſunt, illi pariter dimidiatis ſeptenariis abſolvuntur, unde inflammationes internæ & externæ diſcuſſionem ultra dimidium ſeptenarii primi non admittunt. Variolarum ac morbillorum periodus critica duplicem ſeptenarium comprehendit, ſcilicet tempus ebullitionis ſeparatoriæ, tempus excretionis, ſuppurationis, ac tandem exſiccationis. Quævis periodus particularis habet dimidium ſeptenarium. Hac ergo ratione in quatuor periodis univerſum ſchema hujus morbi abſolvitur, ita tamen, ut actus, qui intra unam periodum abſolvi debuit, in altera difficulter, immo plane non contingat & ſuccedat, id quod cum dolore ac nauſea ſæpiſſime experiuntur medentes, indeque prudenter cognoſcunt, quomodo naturæ ductum prudenter ſequi & in caſu neceſſitatis ſalutarem ejus intentionem adjuvare debeant.

Actus criticus in numero ac menſura temporis pariter notari, immo intimius cognoſci poſſet, niſi frequentiſſimi errores in pharmacevtico ac diætetico regimine committi ſoliti, ordinatum curſum naturæ in debellandis morbis æque, ac in ſanitate conſervanda certam ac ſtatam periodum ſervantis, utplurimum deſtruerent & inverterent. Exempli loco etiam ſit menſtruus fluxus, cujus periodicus recurſus an ſecundum menſem aut phaſes Lunæ, an vero potius ſecundum periodum tertii ſeptenarii dierum ſit menſurandus, cuilibet facile innoteſcit, dum criſes minus ſonticæ plerumque ſunt languidæ & ad tertium ſeptenarium dierum facile protrahuntur, in quo initium, ad quartum uſque ſeptenarium ſeſe extendens, ſub ulteriori progreſſu ambitum menſtruum abſolvit. In febribus intermittentibus ſimilis actus talisque numerus ac menſura critica exquiſite

ſite

ſite obſervantur, immo adhuc clarius notari ab omnibus poſſunt, niſi ut jam dictum errores in medendo & regimine ordinem huncce Naturæ contra morbum pugnantis intempeſtive turbent.

Stat itaque hæc veritas, ab experientia deſumta, firmo prorſus talo, actus principii corporis noſtri rationalis tam ad ſanitatem reſtituendam, quam conſervandam neceſſarios, intra limites certi ordinis, menſuræ ac numeri eſſe comprehenſos, & eodem prorſus modo in ſtatu hocce diverſo eosdem perpetrari & abſolvi. Adeoque etiam negari non poteſt, quod elapſa qualibet fere periodo ſeptenaria ſingularis itidem actio deſpumatoria, ſeparatoria & excretoria magis promoveri ſoleat. Hinc, cum ſeptimus annorum ſeptenarius in corpore humano inſignem alterationem quoad vitalia negotia inferat, prout jam dictum fuit, nemo utique propterea mirabitur, quod critico hoc tempore, pro conſervanda ulteriori corporis integritate, adhuc ſeparationem & eliminationem aliquam impuritatum in eodem hactenus genitarum, vel ab extra eo delatarum moliatur, immo actu ſollicito & attento languide exequatur activum illud principium.

Quodſi vero ſcabioſam efflorescentiam in hunc cenſum criticæ ac climactericæ depurationis minime referendam eſſe quis judicare velit, cum ſaltem ſit malum a ſpeciali ac individuali diſpoſitione ſubnatum, paucisque obveniens, is ſaltem perpendat & in memoriam revocet alias hiſce non abſimiles magisque frequentes & ſolennes eidem ætati excretiones ſalutares ſpontaneas & activas. Nonne enim exempla proſtant ſatis copioſa, quod ſub iisdem periodis climactericis ſudores ac diarrhoeæ chronicæ evenerint, iisque criſibus orthoſtadia ſucceſſerit, ſi bene, placide ac æqualiter decurrerunt; itemque quod tales, ſi turbatæ, inordinatæ

natæ aut fortuitæ fuerunt, certiſſima ac evidentiſſima ſæpiusque funeſta damna induxerint.

Utut autem ſit, ſcabiei tamen in periodo climacterici magni evenienti, titulum criſeos chronicæ ac climactericæ, ſive actus naturæ deſtinato quodam tempore expurgantis, non dabimus; aſt experientiæ etiam duplici locum non denegabimus, poſt ſcabiem nempe talem placide decurrentem firmam adhuc, contra morem ſenii incipientis, ſanitatem inſecutam; & contra, ex impedita hac depuratione, ſubito valetudinis detrimentum, immo interitum plane acceleratum fuiſſe.

Quodſi itaque ſcabies in juniore ætate (in qua etiam annorum ſeptenarios hæc criſis obſervat, ſcilicet primum & ſecundum, uti ſedula obſervatio ſæpe docuit,) abſolute poſtulat prudentem medicam tractationem, ne excretionum moleſtias doloroſas ardentesque illico ſopientibus reprimamus: ita certe in ſenii initiis hanc cautelam tanto magis obſervare debemus, ne contra intentionem Naturæ, maxime in ejus neceſſario ac utili, immo inevitabili, molimine, quidpiam tentemus.

Scabies ergo juniorum (qui pro corporis augmento largiore lymphæ collectione indigent, & ubi tamen laudabilis iſte humor facile in craſi ſua gelatinoſa per diætam crudam acidamque coagulari & corrumpi poteſt, adeoque frequentiori depuratione non opus habet,) requirit miniſterium actui naturæ adpropriatum, ut vel depuratio interna ſpontanea toleretur, ac ſub legitima diæta ſaltim adjuvetur ac promoveatur, vel materia corrupta corrigatur atque ad evacuationem faciliorem diſponatur. Experientia tunc jubet catarrhalia, reſolventia diuretica, lignoſa in uſum vocare, iisque purgantia interponere & ſpecifica corrigentia, ſulphurata, mercurialia in- & externe debito tempore ſubjungere.

Quodſi

Quodſi juniorum vigor hunc ordinem ac methodum poſtulat, tum tanto magis adultiorum fervor, imminui incipiens, ſtimulum quendam, non vero remoram, requirit, ut lucta chronica cum languida expeditione ad metam ſperatam tendat. Quæcunque enim methodus in omni morbo ſecuritate alteram ſuperat, ea & neceſſitate & certitudine excellit. Ita in ſcabie adultiorum, uti & juniorum præſtat, ſi temperata mundificatione & materiæ peccantis correctione motum excretorium, ſi etiam ſpecialis criſis non ſubſit, potius adjuvare, quam ſymptomata moleſta ſtatim ſupprimere.

Nemo itaque riſum ac luſum Harvæanum moveat, ſi in ſcabie tali chronica adultiorum, quam pro criſi climacterica ex ſollicitudine aliqua reputandam eſſe ſuſtineo, methodum medendi per expectationem omnibus ſtimulis ac evacuationibus heroicis mercurialibus, antimonialibus, lignoſis præferam. Natura enim in lucta peculiari atque ſollicita, qualis eſt critica talis, admodum ſenſibilis eſt in ſemel ſuſceptis moliminibus, adeoque facile in turbas, non ita repente iterum placandas, conjici poterit. Unde ſola diæta ſimplex ſub anno climacterico, conſiſtens in temperantia, victu tenui, animi libertate, potu ac motu adpropriato conjunctis, plus valebit, quam ingens mundificantium ſpecificorum farrago.

Medicina ſi quæ in auxilium vocari debet, non tam opus eſt, ut talis unice ex pharmacevtica deſumatur penu, ſiquidem præter dolorum moleſtiam reliqua ſanitas in omnibus actibus vitalibus integra permanere ſolet; ſed ſufficit prudens ægrotorum regimen quoad animi pathemata ipſamque diætam, & tunc medicina in alimentis optima eſt, ſi ſcilicet mundificantia anticatarrhalia & diuretica lenia, veluti Rad. Cichor. Scorzon. Petroſel. Herb. Chærefol. Fumar. Urtic. Hed. terr. Acetoſ. Naſturt. Sem. Aniſ. Fœnic. Junip.

 &c.

&c. jusculis, carnibus, aliisque cibis adjiciantur, utpote qua ratione salutares horum virtutes commodissime ad M. S. deferri valebunt.

Ex pharmacia autem specialiori prodeant Essentiæ ac Tincturæ aperientes, anticatarrhal. alexipharm. Succin. Tart. Lignor. Pilulæ polychr. &c. quibus remediis nunc & tunc, ut vulgo dicitur, æger optimo cum effectu, observatis simul hactenus recensitis regulis, uti potest. Acidulæ ac thermæ absint; commovent enim ac reprimunt violento impetu, ac insuper qualitas vitiosa lymphæ aquoso-vitriolico robore non subigitur.

Mercurialia sunt tonsorum heroica fulmina, ad quæ interdum nimis mature confugiunt: Turbant autem certe motum depuratorium. Peregrinum illud fermentum magis in sanguinea massa, quam solis lymphaticis humoribus hæret, hincque magis antiscorbutica, quam antivenerea correctio requiritur. Martialia communiter viscera constringunt, quæ pro secretorio actu absolvendo pervia esse debent. Commentum illud de sulphure martis balsamico aperitivo exolevit hodie, insuperque experientiæ solidæ, immo fundamento analytico a priori contrarium est.

Sulphur simplex adsumtum impuritates scabiosas ab interioribus corporis partibus ad exteriores pellit, uti externe adhibitum ad interiora easdem reprimit. Pulveribus absorbentibus & temperantibus hinc admisceri solet; potest vero etiam absque damno omitti. Sulphurata reliqua vel sunt a menstruo oleoso, uti e. g. Ol. Junip. magis exaltata, vel sunt sulphure destituta, ut Tincturæ Antimon. & Sulph. quæ sunt Tincturæ saltem salinæ alcalinæ; unde hoc scopo pro diuresi leni adhiberi poterunt. Externa quævis, maxime sub initio & incremento, sunt suspectæ notæ. Sulphur cum Rad. Helleb. alb. effertur tamquam specificum in linimentis, varioque usu, præmissis internis. Mercurius vi-

vus

vus in Unguento ad carpos & tarſos ſecurius adhiberi poteſt. Solutio Sach. Saturni temperat ardorem æſtuantem in artubus.

Epilogi loco jam adhuc quædam pro cognoſcendis fundamentis ætiologicis hujus mali adducam, ut quomodo cauſa continens ſe ſe habeat ad antecedentes omniumque harum conditio ad criſin climactericam, pateſcat. Adfectus hic præcipue obſervatur in ſubjectis diætæ lautæ, vitæ otioſæ, animi magis mobilis. Quando vigor ætatis in ſubſiſtentiam vergit, hinc & ſecretionum ſucceſſus ſegnius contingit, & inde ſeroſitates remanentes magis acriores evadunt, ſicuti ipſa urina ſpiſſior & ſalſuginoſa magis redditur. Sub his ergo circumſtantiis fieri aliter haud poteſt, quin ſerum iſtud ſalſum lympham, veluti acetum lac, in coagulum & congrumeſcentiam deducat. Corrupta itaque lympha eo tempore, quo natura generalem œconomiæ vitalis alterationem ſubit, expoſcit etiam univerſalem depurationem, ne ab eadem ſtagnante & retenta colatoria organa aliaque viſcera obſtruuntur, ſicque phthiſici & aſcitici adfectus ſubſequantur.

Hæc conſideratio pathologica a priori, uti fundamento rationali non deſtituitur, ita tanto magis confirmat epicriſes clinicas circa methodum ac medicamenta propoſita. Ante omnia igitur actui tali depuratorio liberum progreſſum in univerſali diſtributione per omnes partes, in quibus diapnoica ſolennis ſanguinis deſpumatio contingit, procurare, immo expectando eundem promovere debemus, cum & particulares apoſtaſes ad loca ſpecialia, teſte pedum œdemate, tolerantiam ac prudentem tractationem poſtulent.

Tandem etiam de Scabie quadam particulari pauca, occaſione obſervationis cujusdam, adjicere lubet, & quidem de illa ſpecie, quæ in membro externo erumpens vix tha-

leri peripheriam superat, & tamen per longum temporis spatium, immo totius ætatis cursum ita durat ac tolerari debet, quoniam manente aut revertente hac excretione sanitas illibata manet, facta vero ejus retropulsione subito fermentatio febrilis morbida periculosa succedit. E multis exemplis quotidie fere obvenientibus, unum de universali, & unum de particulari recensebo. Fœmina quædam a prima statim nativitate per totam corporis peripheriam gestabat albam, cuticulæ, instar Lepræ, deturpationem, exceptis iis saltem partibus, quæ aëri libero erant expositæ. Squamæ furfuraceæ sæpe decidebant; cæterum sanitas erat integra. Tentabatur discussio per lignosa anticatarrhalia interna, sed absque effectu, siquidem motus febriles hectici supervenire videbantur. Linimenta maxime alias celebrata adplicabantur, sed ob retropulsam inde efflorescentiam convulsiones superveniebant. Variolæ succedentes dein per integrum annum connatam hancce deturpationem cutis tollebant. Postmodum sudor ille salutaris & copiosus, qui antea successerat, (ad diapnoëm enim ordinariam natura haud inclinabat,) iterum cessabat, priorque siccitas revertebatur. Menses, graviditas, balnea, parum erroneam hanc expulsionem alterabant, quin potius constans sanitas, vigor & pinguedo corporis constans adhuc robur naturæ designabant. Quid ergo hic sentiendum & agendum erat? Tolerare crisin extraordinariam & ferre sudorem siccum præstabat utique, docente ac confirmante experientia, quam excretionem salutarem, ut morbidam, opprimere. Alterum exemplum in sequentibus consistit: Vir 26. annorum, sanguineo-cholericus, vegetus animo, diæta & corpore alacris, in nucha ejusmodi scabiosam efflorescentiam sæpius sentiens, consulit Medicum, qui tandem ipsi præscribit Linimentum quoddam consolidans. Adplicatur illud, speratumque exerit effectum, sed convulsiones succedunt. Rediens

diens ſcabies Epilepſiam ſuſtulit, poſtmodumque ſolum laxatione rhabarbarina mitigabatur. Sic alius vir, & quædam fœmina in manu talem efflorefcentiam per longum ſatis tempus geſtarunt tamquam criſin ac indicium ſanitatis vegetæ. Exſiccatio ejusdem morbum imminentem febrilem ordinarie adnunciavit; recurſus autem criſin ſalutarem ſiſtebat. Utraque hæc ſubjecta in vegeta virili ætate obierunt febre acuta, non vero conſtat, an ſalus hæc morbida fuerit neglecta. Sic ergo & hæc obſervatio de ſcabie critica, noſtram ſupra adductam, de climacterica, illuſtrat, dum non minus errat activum & rationale corporis noſtri principium, quando impurum fermentum ex univerſo corporis ambitu in exiguum aliquod ſpatium cogit, quam ſi miaſma peſtilentiale ex tota maſſa humorum in bubonem colligit. Prout vero natura medicina quadam interna hac methodo ac via ſibi conſulit, ita medicina externa ſalutarem hanc metaſtaſin invertere ac deſtruere haud debet.

OBSERVATIO XVII.

Dn. D. JOAN. SAMUEL. CARL.

Morbi convulſivi, indolis prorſus extraordinariæ.

Varii utique generis occurrunt in pathologicis convulſivi motus, hosque inter quidam adfligunt ſenſibiliora ſubjecta ſine ſenſu doloris, immo ſine ſenſu memoriæ interno, & quidem ſub vario phænomenorum ac ſymptomatum ſchemate, ut multi exiſtiment, novam nervorum turbatorum tragœdiam repræſentari, immo neceſſe eſſe, ut prorſus extraordinarii tales morbi novum in ſyſtematibus medicis locum conſiderationis theoreticæ ac practicæ obtineant. Hujus commatis exempla quædam jam proferam, eum potiſſimum in finem, ut tandem intimior perſcrutatio præter-

naturalis hujus actus vitalis patescat, immo œconomia medicinæ internæ, salutaris atque erroneæ, eruatur ac discernatur.

Fœmina 30. annorum, sanguineo melancholici habitus, animi de reliquo temperati diætæ ordinatæ, vitæ generis tranquilli & nullis peregrinis turbationibus obnoxii, (nisi quod œconomicæ angustiæ clandestinas animi sollicitudines forte attulerint,) semper quoties gravida erat, peculiari motu convulsivo adficiebatur, qui ignotum plane motuum spasticorum schema referebat, insuperque adeo extraordinarias mentis alienationes producebat, ac si fascinatio quædam, aut, cum id ob piam ægræ mentem conjicere haud licuerit, supernaturalis astralis, coelestis influentia in culpa fuisset. Ingruente enim proxysmo, qui mox tetanum, mox alium corporis universalem & particularem spastico-convulsivum adfectum sistebat, multæ mentis, aut, ut aliter exprimam, animæ ac animi plane extraordinariæ alterationes observabantur, dum nempe fœmina hæc alias temperatissimorum animi & corporis morum, subito summa cum agilitate altiora inaccessa loca conscendit, angustissima pariter sine remora petiit, insolitas cantilenas cecinit, immo & peregrinas linguas locuta fuit. Finito paroxysmo nullius rei memor erat, neque sensu molesto dolorum sese adfectam esse aut fuisse, conquerebatur. Fœtui interea in utero detento nullum damnum illatum fuit, sed facile ac feliciter eundem in lucem edidit, multorum postmodum liberorum mater. Cum vero revertente ingravidatione tota hæc morborum convulsivorum, immo raptuum spiritualium, scena iterum aperiretur, fieri aliter non potuit, quin etiam consilia atque auxilia medica, pro eradicando hoc malo, ex omni climate ac fonte conquirerentur & adplicarentur. Irritis vero omnibus conclusum fuit tentare, annon per salivationem mercurialem nervorum obstructiones ac inquinationes specificæ & pro-

fundæ

fundæ referari ac tolli possint. Hac feliciter absoluta abiit statim, excessit, evasit, erupit gravissimum hoc malum convulsivum & ecstaticum, quod tam longa annorum series, totque pharmacevtica & chymiatrica validissima instrumenta destruere non valuerunt. Summis ergo laudibus extollebatur tum temporis undique curatio ista salivatoria, ut hinc non solum inconsiderate & indistincte usurparetur, sed & mercurialium medicamentorum ingens numerus produceretur & excogitaretur, ex inani potissimum persuasione, ac si fortissimo hoc præsidio omnes morborum chronicorum ferociorum caterva, uti inquinamenta lymphæ venerea, illico debellari & profligari possint. Ast mature desiit præmatura admiratio, postquam deprehensum fuit, morbos sanguineos non ita salutariter ferre & admittere stimulos mercuriales, uti quidem de lymphaticis ac serosis notum est. Immo in casu speciali tandem cognoscebatur fallacia causæ, dum cessatio mensium post salivationem absolutam legitimo termino eveniebat, quæ iterato largo fluxu uterino ultimam clausulam huic excretioni imposuit, ac ita hac pariter ac ipsa ingravidatione non amplius continuante etiam turbæ istæ insigniores hystericæ simul conquieverunt.

Filii hujus matris ab eadem motus arthriticos, cephalalgicos & hypochondriacos in hæreditatem suscepere, sed nil de nova hac morbosa nervorum adfectione experti sunt. At filiæ miris turbarum convulsivarum, licet longe alterius indolis, schematibus obnoxiæ redditæ fuerunt. Nam statim ut juvenculæ, vegetæ licet ac floridæ, sanitatemque integram monstrantes, corripiebantur sæpe paroxysmis convulsivis, nunc totum corpus concutientibus, nunc partes ac membra specialia repente exagitantibus, ac si ventus nervos perflaret, nunc vocis interceptione, nunc ejus irritatione clamante, ridente, flente. Variationes actio-

num vitalium, animalium, rationalium tot erant, ut in dies nova quasi tragoediæ ſcena aperiretur; ſanitatis tamen ac vitalitatis labes tam eximia inde non ſubſecuta fuit. Medicamenta omnis generis adhibita nil ſolaminis attulerunt pro eradicatione mali. Major natu ex illis, ſe ſaltem ex uſu pulveris nitroſi levamen aliquod perſentiſcere, profitebatur, & ita in ætatem provectiorem, ſub ægritudinum convulſivarum turma, pervenit. Minor in hecticam juvenilem incidit, inconvenienti methodo medendi forte provocatam, dum uſu martialium ferociam ſpaſticorum motuum mitigari deprehendebatur, ſicque ſucceſſivus eorum abuſus viſcera adſtrictione induravit.

Triplex hic caſus morbi convulſivi originem & finem, immo tranſitum hæreditarium ejusdem indicare ac illuſtrare valebit, maxime quomodo naturali ac artificiali medicatione turbatio hæc ſpirituum vitalium tandem auferri queat. Cum vero ex ſingulis caſibus individualibus ſemper aliquid novi pro pathologiæ ac therapiæ incremento pateſcat, hinc & alios adhuc brevibus ſubnectere placet.

Virgo tertiana laborans, ad nuptias invitata, ſolennitates has miro deſiderio ambit, & ita febris ſuppreſſionem per chinata admittit. Incidit hinc in turbas varias ſpaſticas, quæ ſimul creberrimas ſternutationes, inter alia ſymptomata, excitarunt, mature tamen temperantium, maxime Spir. Vitrioli dulcis uſu ſopitæ fuerunt.

Alia, ſed nondum menſtruata, 17. annorum, teneri habitus animi pariter ac corporis, corripitur pari caterva motuum convulſivorum, non tamen epilepticorum concuſſionum, ſed ſolum tetanicarum, gyroſarum ac rigidarum artuum tractionum. Laxantia & Venæſectiones adhibebantur, maxime vero pulveres temperantes cum Lumbricis terreſtribus, ſicque malum inter 3. vel 4. menſes evanuit.

Ado-

Adolescens 15. annorum motibus talibus spasticis corripitur, ac per plures menses eosdem tolerat, qui specialibus abdominis murmurantibus turbis sese præ aliis schematibus distinxerunt. Balneo tandem levamen obtinuit hic æger.

Alius ejusdem ætatis, phlegmatici temperamenti, habitus vero sanguineo-plethorici, catarrhis adsuetus, incidit media hieme in morbum convulsivum, qui quotidie peculiarem paroxysmum & schema novum motuum tetanicorum, ecstaticorum, delirorum, &c. produxit. Cum per aliquot septimanas singulis diebus hæc comœdia durasset & omnium fere fontium therapevticorum rivuli essent degustati ac fere exhausti, in memoriam tandem incidit consuetudo annui catarrhi, sicque emesis turbam mirificam motuum feliciter sustulit.

Virgo 22. annorum, sanguinea animo & corpore, leviter menstruata, non satis ordinatæ diætæ, in similem convulsivorum motuum labyrinthum devolvitur, in qua in dies per aliquot horas excruciata fuit, immo sæpius rigore syncoptico adflicta ita immobilis jacuit, ac si morti jam proxima esset. Medicamenta universalia & particularia satis sollicite fuerunt conquisita & adhibita. Emesis per sulphur antimon. tertiæ præcipitationis excitata paroxysmi furorem ita mitigavit, ut per plures dies non redierit. Specificum ex pulv. stercor. gallin. etiam levamen aliquod notabile attulit. Per integrum tamen annum molestissimi hi motus erronei duraverant, insimulque varia vitalia incommoda ac pericula induxerant, ac medentem satis anxium sæpius reddiderant.

Aliæ duæ virgines eodem tempore in similes pathematum hystericorum furores, ab uterino tamen illo furore plane alienos, incidebant. Causæ internæ erant ignotæ, immo & causæ procatarcticæ externæ, ne quidem per con-

jecturam poterant indagari : Erant enim agreſtis vitæ generis ac diætæ ratione plane alienæ a priori illa, animo ac conditione nobiliori. Specificum ſtercoreum ſupra adlegatum odore pariter ac ſapore erranti ac turbato principio vitali nauſeam creavit forte, ut a motibus iſtis extraordinariis deſtiterit.

Hac occaſione quoque recordor contagii cujusdam convulſivi, ejusdem fere cum eo, quod hactenus deſcripſimus, energiæ, adeo, ut etiam ***morbum aſtralem***, immo ***magicum*** multi hoc endemium totius aulæ malum nuncupare non erubuerint, præcipue cum ipſe Medicus eodem fuerit correptus. Aegrotantes erant diverſi temperamenti variæque ætatis & vitæ generis, ut ab interna diſpoſitione non potuerit adfectus ille proficiſci. Immo & ipſe vitalis habitus de cætero erat integer, ut nulla actionum internarum detrimentum aliquod monſtraret. Diſparuit vero motuum in nervis, vel ſpirituum turbatio erronea, uſu dicti ſpecifici ſtercorei.

Puer 10. annorum, animi corporisque alacritate vegeta præditus, ſanusque, niſi quod ex primis ætatis annis ozænæ aliquem fluxum paſſus fuerit, quo exſiccato ſtatim in febrem acutam incidit ; corripitur per plures jam ſeptimanas, immo menſes, ſemper circa mediam noctem jactabundis artuum motibus, qui intra horæ ſpatium deſinunt, ut iterum obdormiſcat, nec ullum ſenſum ullamque memoriam paſſionis hujus retineat. Exhibetur eidem ſæpe nominatum ſpecificum ſtercoreum, ſed absque effectu ; ſubjungebantur anthelmintica, cum aliquo levamine, tandem reverſa ozænæ criſis malum penitus ſuſtulit.

Nolo plures accumulare caſus. Duos ſaltem adhuc addam, ex duplici fundamento prodeuntes, nempe a Ti-

neæ

neæ retropulsione, & mercurialium usu in sanguineis siccis temperamentis.

Puella 10. annor. post scabiosarum capitis impuritatum subitaneam exsiccationem incidit in ejusmodi adfectum convulsivuum, quo sæpe inter alia negotia corripitur, ut attonita quasi & stupida evadat. Subito tamen semper iterum iste oculorum, capitis & corporis stupor evanescit. Remedia anticatarrhalia & juniperina exhibita malum mitigabant, sed non penitus eradicabant, sub mensium eruptione forsitan plenarie sopiendum.

Fœmina 47. annorum, sanguinea, turbas spasticas mensium cessantium cum pertinaci alvi adstrictione patitur: Cum vero mercurius dulc. iterato pro solutione alvi adhiberetur, tandem turbæ spasticæ abdominales in artus devolvebantur, brevique post in concussiones plenarias epilepticas transibant. Mature vero iterum disparuere usu lumbricorum terrestrium, & olei animalis, quo & alii motus hysterici erronei sæpe sopiuntur.

Epicrisis.

Recensui jam aliquot exempla turbarum convulsivarum, sine sensus, immo actus vitalis aut animalis peculiari læsione ac destructione. Feci id saltem perfunctorie, quoniam si actuum ejusmodi diversa ac innumera schemata graphice depingere susciperem, certe tempus & spatium deficeret. Nulli medentium deerit occasio spectandi quasdam scenas spirituum convulsivo motu exagitatorum. Ipsæ mulierculæ, præsertim aulicæ, enarrare norunt historias peculiarium morborum nervos adfligentium. Saltim scaturigo mali pervestiganda jam est, num causa materialis principaliter subsit, quæ expurganda, & ita labores naturæ medentis, uti in aliis morbis, adjuvandi & expediendi; vel num potius malum ab errore ac impetuosa commotione principii

 vita-

vitalis, a turbis ſpirituum animalium, ab influentis aſtralibus, ſimilique intemperie, ſine materia, pendeat. Quodſi vero connexionem ac qualitatem cauſæ non perſcrutari valeamus, tamen e re erit, ut in cauſas procatarcticas inquiramus, earumque efficaciam invertamus.

Quamquam ergo in alteratione hac vitali, quæ ſub ejusmodi actu convulſivo contingit, præ aliis vitalitatis læſionibus morbidis, ſive per intenſionem motus progreſſivi, pulſorii ac febrilis, ſive per alterationem motus tonici eveniant, purum errorem naturæ aut animæ vitaliter agentis, agnoſcam, quæ citra ullam proportionem materialis objecti, vitalitati noxii, in ejusmodi enthuſiaſmum convulſivum ſeſe præcipitari patitur; nihilo tamen minus experientia ſpecialis quemvis obſervatorem docet, ſemper aliquod objectum noxium ac peregrinum quidpiam ſubeſſe, quæ anxiæ & trepidanti animæ occaſionem primam ſuppeditarunt, quamve activum hoc principium non ſtatim augmento ac validiori directione motuum ordinariorum adgredi valuit.

Notum eſt illi, qui œconomiam actus vitalis in morbis intimius perſcrutari didicit, quod mutatio hujus actus in ſtatum ac gradum præternaturalem atque extraordinarium fiat ob materiam aliquam noxiam, ex latifundio humorum eliminandam. Quando ergo hæc excitatio æqualiter fieri poteſt, tunc nil aliud fit, & actus in morbis nil aliud eſt, quam actus vitalis naturalis progreſſivus ac tonicus auctior. Quando vero uterque actus ad ſupremum uſque gradum intenditur, tunc ratione motus progreſſivi oritur febris intenſiſſima, æſtus gangrænoſus, pulſusque admodum celer, ratione motus tonici aucti vero eveniunt convulſiones epilepticæ, ſub quibus etiam in acutis morbis ægri, reliquis moliminibus irritis, tamquam ſub extremis conaminibus naturæ, expirant.

Quem-

Quemadmodum itaque motuum convulsivorum gradum extremum constituunt epileptici, hique nullum adæquatum scopum intendunt ac consequuntur, sed saltem sunt actus erronei; ita primi & leniores gradus cujuscunque motus convulsivi saltem sunt aberrationes motus tonici, & irritati agentis titubationes quasi, quæ nullum regularem & salutarem excretorium effectum post se trahunt. Hinc etiam non possunt hi motus tam respectu causarum, quam ipsius finis, quidquam aliud quoad theoreticam considerationem indicare, quam quod ab aliis alienæ hypotheseos fautoribus supponitur, spiritus nempe animales & vitales, in furorem quasi raptos, singulares tales aberrationes inducere.

Interea, uti animæ, in moralibus facile ad iram proclivi, objecta irritantia sedulo sunt subtrahenda; ita in vitalibus probe quoque attendendum, eoque potissimum respiciendum est, ut, dum ex sensibilitate, trepidatione & dispositione hæreditaria facile frequentissimæ motuum turbationes oriuntur, similiter quælibet objecta etiam levia submoveantur, id quod maxime in consideratione pathologica ac therapevtica locum habet, quoniam ad hoc genus morborum præcipue sexus fœmininus, animo ac corpore debilis ac sensibilis, inclinare deprehenditur, atque insuper ex indoctæ etiam plebis testimonio, per experientiam confirmato, abunde constat, quod parentes iracundi animique sensibilioris communiter progenerent liberos, qui ex leviori quacunque alteratione actuum vitalium, ob dentitionem difficilem, refrigerationem, scabiem retropulsam, lumbricorum copiam, &c. immo & sine tali causa, solum ob moralem aliquam irritationem, facile convulsiones, & quidem vehementissimas, experiuntur.

Horum itaque convulsivorum actuum exempla satis nota sunt, & speciatim, quod ad scopum ordinarium salu-

tarem excretorium directe non tendant, ac raro ſcabies, lumbrici, variolæ, aut dentes concuſſorio tali motu expellantur. Hinc facile quilibet intelligit, quod convulſiones hujus vel illius generis non niſi erronei motus ſint, hoc tamen non obſtante objecta irritantia debite indagari ac removeri debeant. Propterea etiam, ſi procatarcticæ illæ non negliguntur cauſæ, facile quoad diagnoſin concludi poteſt, ad qualem ſpeciem convulſiones ſint referendæ, immo & ipſa inde facilior redditur, ne in turbarum iſtarum chimæris panicum, ratione periculi & lethalitatis, concipiamus terrorem, cum certe plura & hic reperiantur, quæ terreant, quam quæ perimant. Raro enim tanta quoad mixtionem humorum ac ſtructuram viſcerum occurrit læſio, quæ periculum mortis inferat. Plures convulſiones varii ſchematis per ſe evaneſcunt, uti iracundi motus, verbis, geſtibus, factis non ulterius excitati. Quando vero per heroicas methodos & activiora pharmaca exagitantur, tunc certe gravius turbantur ac pertinacius durare ſolent.

Proinde indicationes rationalis therapiæ in ejusmodi caſibus non injuſte primario eo tendunt, ut univerſalia præmittantur, & quidem ſaburram primarum viarum removendo, quantitatem ſanguinis imminuendo, impuritates corrigendo, &c. Ita deſcendit curatio convulſionum commode in cauſas procatarcticas, ut, quæ conjecturalis, vel vera indago eruit, in ſpecie removeantur.

Noti itaque ſunt caſus, in quibus vermes miras convulſionum ſpecies excitarunt, & ubi generalibus ac ſpecificis anthelminticis tales nervorum tractiones ſpaſticæ mitigatæ fuerunt, ſiquidem tunc mercurialia, amara, & Lumbrici terreſtres inſigne levamen adferunt. In ſcabioſorum exanthematum retroceſſione anticatarrhalia, ſuccinata, tartarea, immo etiam contagium alterius ſcabioſi, impurita-

tes

tes lymphaticas iterum proliciunt, prout plura exempla convulsionum ita sublatarum testantur.

Emetica non solum mucositates ventriculi ac pectoris, tenacius ibi hærentes, immo copiosius collectas, removent; sed & insuper turbatum principium agens a motu erroneo avocant, & ad ordinatam excretionem disponunt. Sic salivatio, veluti turbatio gravior leviorem non raro oppressit, sicuti arsenicum motum febrilem pertinaciorem sub venenoso furore delet ac cohibet. Specifica in hoc genere morborum quam maxime habent locum, atque merito hinc quærenda sunt. Intemperies enim utplurimum est sine materia. Habent ergo stercoracea aliquod specificum fermentum, quod agentis turbationem obliterare valet, uti stercus suillum hæmorrhagiarum quarundam impetum mitigat, teste ubique experienta. Sic etiam, quando a terrore malum exortum fuit, uti in fœminis non raro contingit, tunc gemmata locum ac usum præ aliis habent.

Rejicio vero eas methodos omniaque remedia, quæ materiam ac motum vitalem ordinarium quovis modo turbant ac lædunt, quale exemplum dedi in curatione per martialia. Constipant talia plerumque organa excretoria, quæ in subjectis, convulsionibus obnoxiis, communiter sunt teneriora, insuperque sensibilis animi status facillime talem toni alterationem periculosam suscipit. Illa vero, quæ vel generaliter, vel specifice his adfectibus opponuntur, nec de reliquo humoribus ac motui obsunt, absque ulla formidine possunt exhiberi. Profecto stercoracei pulveres, Lumbrici terrestr. & alia ex animalibus parata, imo & ipsum oleum animale, omni periculo carent, etiamsi optato interdum effectu frustrentur. Antimagica & sympathetica adhibere communiter suadent agyrtæ & vetulæ; sed alia inde & quidem longe perniciosior impressio in agens turbatum infertur, quam quidem prior extitit. Interitum

vero

vero & periculum retardatio ac medicina per expectationem non infert, immo diuturnior ac pertinacior duratio non ex convulsionibus sibi relictis, sed ex incongrua turbatione vitalium actionum per infinita & multifaria remedia, potissimum sequitur.

Ut autem nunc paucis ea, quæ fusius hactenus dicta sunt, comprehendam, eo potissimum mea vergit sententia, morbos ejusmodi convulsivos esse motus naturæ erroneos, qui interdum quidem pro objecto habent excernendorum aliquam retentionem, sed actum esse inadæquatum, nec ad scopum rite tendere. Inde etiam prognosis ita periculosa non est formanda, cum vitia viscerum & humorum ita gravia non subsint. Interim motus turbatus optime corrigitur temperatione antispasmodica & specifica. Absint vero impetus materiam & motum vitalem lædentes. Abstinentia præstat. Peragit tranquilla potestas, quod violenta nequit.

OBSERVATIO XVIII.
Dn. D. JOAN. SAMUEL CARL.
Quartana suppressa.

Fœmina 26. annorum, sanguineo melancholici temperamenti, habitus corporis robusti, animi satis tranquilli, diætæ etiam minus exquisitæ, post primum puerperium iter ingreditur ad agnatos, quo absoluto domum rediens, versus autumnum febre quartana corripitur, quæ satis quidem ordinata erat, attamen, cum sub usu digestivorum & resolventium amarorum usque ad solstitium hibernum protraheretur, indignationem concipiens super chronicam ejus indolem & inprimis formatam sibi prognosin, febrem nempe hanc ad vernale tempus usque duraturam esse, suppressionem anxie urget. Exhibentur ergo ipsi aliquot doses

doses pulveris Cort. Chin. sistitur inde febris intermittens, sed brevi post succedit accuta intensissima, & quasi inflammatoria, cum delirio, quæ tamen usui remediorum ordinariorum temperantium, præcipitantium, diaphoreticorum fixorum & volatilium feliciter cedit. Tandem etiam pro febris intermittentis revocatione ordinantur doses aliquot pulveris balsamici, unde quartana in ordinem redit. Jubetur hinc usum eorum continuare, quem tamen recusat, quia febrem resuscitassent. Dantur ergo Pilulæ, Elixirium & Infusum vinosum resolvens, quibus adhibitis, adpropinquante vere febris sponte cessat & ægra ad pristinum sanitatis statum revertitur.

Epicrisis.

Sufficit unicum attulisse exemplum Quartanæ turbatæ ac revocatæ, cum infiniti casus undique occurrunt, intermittentium summe corruptarum, immo in immedicabiles aberrationes hecticas, cachecticas, hydropicas, &c. deductarum, qualia exempla illis in locis, ubi solennior chinatorum remediorum usus, immo abusus viget, abundantissime conspicere & observare licet.

Quartana intermittentium quidem pertinacissima maximeque rebellis est, sed lenissimi ac lentissimi depuratorii ac resolutorii actus præ tertiana & quotidiana, ita ut in essentiali sui habitu extra individuales subjectorum turbas tam præcipitem actuum febrilium exacerbationem ac impetum in frigore, æstu motibusque excretoriis non exerat.

Melancholici temperamenti prædominium in subjectis hujus febris sese utplurimum manifestat, unde causa continens, ex habitu hoc individui primum vestigium monstrat, quod visciditas aliqua in & circa primas vias tenacius obhærescens potissimum concurrat, motumque febrilem chronicum reddat.

Est hæc febris utplurimum autumnalis, uti tertiana & quotidiana magis vernales sunt, quoniam saburra primæ concoctionis successive collecta tum in motum suscitatur, quando scilicet temporis ac tempestatis habitus ad visciditates humorum magis inspissandas & ad stases ac infarctus circa vias primas, immo colatoria abdominis organa, producendos aptior est, inprimis si loca habitationis magis aëri crasso humido & uliginoso fuerint exposita.

Quando subjecta tali tempore præcipue diætæ lautæ, vel crudæ, vitæque sedentariæ indulgent, immo inde robur corporis unacum pinguendine naturali auctum esse opinantur, tunc vel ipsius vulgi prognosis iisdem morbidam colliquationem indicat: **Diejenigen, so gar zu schnell fett und starck werden, müssen es mit einem Fieber verkrancken und ausschwitzen; oder können gar in einen Steck-Fluß verfallen.**

Febris hæc paroxysmum suum versus occasum solis utplurimum inchoat, uti tertiana versus prandium, ob recordationem errorum, in prima digestione commissorum, ut ita tenebræ, aër crassus & melancholici temperamenti augmenta ac incitamenta multum omnino conferant, pro causa viscida in motum excretorium deducenda. Horror concussorius sensum frigoris non adeo auget, uti in tertiana, sed saltem rigor delassans & fatigatorius urget, **ein heftiges langes Ziehen in den Gliedern;** quoniam materia tenax, firmiter impacta vel intestinorum tunicis, vel glandularum compagi, impetui spastico & vehementiori non cedit, sed potius lento & simul continuo impulsu opus habet. Hinc etiam nullæ a natura, uti in tertiana, commotiones evacuationum emeticarum ac purgationum catarcticarum suscitantur ordinarie in quartana, nisi specialis individui dispositio, aut symptomatum tertianæ propriorum qualiscunque complicatio accedat. Hanc igitur ob causam

cum

cum natura ad hos excretionum impetus non vergat, merito quoque ars eo non ducit; si vero ab imperitis inconsulto tales excitantur, tunc motus facile vacui anxii, cum febris exacerbatione, subsequuntur.

Quodsi febris hæc sibi relicta toleretur, nec diæteticis arbitrariis turbis, maxime cruda & larga ciborum ingestione, qualis polyphagorum est, irritetur, ut exinde singularis illa species, quam vocant **die Freß-Fieber, Zehr-Fieber**, oboriatur, tunc, si inprimis abstinentia potius ac tranquillitas observatur, facile per se, nisi viscerum abdominis obstructiones subsint, incunte vere remittit, immo sponte evanescit, ut nullum inde damnum metuendum sit. Inde dicteria vulgi prognostica enata sunt: **Man muß es, biß die Bäume wieder ausschlagen / dulten, weil mit dem Blätterabfallen das Fieber seinen Anfang genommen. Wenn es zu früh ausbleibet, oder gar gestillet wird, so stehet die Sache nicht sicher.**

Alius est status ætiologiæ, immo prognoseos, in quartana, quem etiam plebs edocere valet, quando subjecta provectioris ætatis, & majori humorum spissitudine & infarctibus viscerum abdominis laborantia, hac febre corripiuntur: Ibi enim non solum profundius hæret malum, exactioremque concursum naturæ & artis exigit, tardiorem sui mitigationem febris postulat, & præmaturam suppressionem ægrius tolerat, immo facilius & frequentius recurrit, ut metuendi ac subsecuturi alias icterici, hydropici & hectici adfectus avertantur. Inde vulgi dicteria cum experientia & ratione perfecte conveniunt: **Bey kränckliche Naturen, wo es innerlich nicht sicher stehet, ist das Fieber noch eine Hülffe und Hoffnung. Man muß es gehen lassen, ja gar unterstützen. Bleibt das Fieber zu bald aus, so nimmt Geschwulst, Auszehrung, und d. gl. noch mehr zu.**

Ex ejusmodi ſtatu quartanæ ſimplicis & magis complicatæ, facile cum plebe credere ac intelligere valemus, febris hujus principaliora ſymptomata, frigus nempe & æſtum, eſſe quoque neceſſaria ac utilia molimina, ad aliquam materiam noxiam eliminandam, cumque materia tenax ſit, eam idcirco non niſi per lentam abſterſionem ac emollitionem a viſcerum compage ſemovendam eſſe. Nemo ergo adeo neceſſaria incommoda febris, æſtus nempe, doloris, inquietudinis, &c. imprudenter ſtatim profligabit, aut ſuſprimere adlaborabit, quoniam pro conſervanda vita ac ſanitate abſolute neceſſe eſt, ut moleſtia brevis toleretur. Bruta merito adpello ægrorum & medentium molimina, qui nexum phænomenorum, actuum & paſſionum nec ab experientia capeſſere, nec manifeſto ratiocinio ac ſenſu intelligere volunt, eaque omnia idcirco audacter oppugnant. Provoco ad experientiam quotidianam, quæ de hac febre, pariter ac tertiana, copioſiſſima exempla ſubminiſtrat illorum, qui, uti jam dictum, ſola tolerantia & debita diætæ obſervatione, ſine multis medicamentis, ad orthoſtadiam plenam, immo firmiorem, quam antea, iterum deducta fuerunt. E contrario fertiliſſima quoque ſeges horrendorum eventuum in campo medico conſpiciendam ſe ſiſtit, quando hæc febris per artificia oppreſſoria in lethales metaſtaſes deſiit, & quidem tales ac tantos ſucceſſus adfectuum introduxit, ad quos neque genius morbi, nec individui per ſe ante vergebat.

Exinde in ſummam formidinem indicationum ac indicatorum ſuppreſſionem poſitivam hujus febris reſpicientium, ſum delapſus, ut ſub diuturno ſatis praxeos meæ ambitu vix unicas paucas Cort. Chinæ conſumſerim, nullum inſimul vero etiam ægrum reliquerim, qui corruptæ febris curationem novam deſideraſſet, qualem tamen ſub aliis methodis uberrime deprehendi. Immo, ſi etiam aliquis

quis optatus successus fortuna duce fuerit impetratus, tamen dein oculi manusque trepidi post mensem, annum & annos quidpiam detrimenti conspiciendum monstrandumque invenere. Hinc in simplici pariter ac complicato quartanæ statu mihi eadem methodus semper, tam a priori, quam a posteriori convenientissima visa fuit, quam quoque in reliquis intermittentibus, mitiori saltem gradu, retinui, exhibendo nempe in ipso die febrili, ante paroxysmum unam vel alteram dosin pulveris digestivi, ex Tart. vitriol. & exigua portione Lapid. Cancr. parati; proximo vero die ante paroxysmum præbendo dosin Pilular. balsamicarum, & die intercalari remedia amara, stomachica & abstergentia, in forma Essentiar. Elixirior. Infusor. vinos. ex Herb. Card. ben. Trifol. fibr. Cent. minor. Absynth. Rad. Gent. rubr. Cort. aurant. &c. Intentio sub hac methodo eo vergit, ut versus paroxysmum abstersio saburræ mucidæ promoveatur, ante paoxysmum vero leni laxatione illa jam jam liberata removeatur, & tandem die vacuo per stomachica, aliaque similia, cruditates in primis viis & in compage viscerum adhuc hærentes incidantur, resolvantur & ad evacuationem præparentur.

Emetica, purgantia, sudorifera & V. Snes nunquam in febrium intermittentium, multo minus in quartanæ curatione in auxilium vocantur. Turbant hæc remedia, sicuti id in aliis deprehendi, in propriis vero casibus nunquam imitatus sum, universum ordinem ac æqualem decursum febris. Spissitudo enim & tenacitas impetui motus excretorii, maxime præmaturo, antequam resoluta ac emollita sit, non auscultat; correcta vero levi stimulo obtemperat. Ventilationem sanguinis curative in nullo fero morbi genere commendare soleo, sed saltim præservative. Speciatim autem febres per V. Snem magis turbari, atque in acutas & hecticas facile mutari deprehendi. Sudorifera

colliquationem hecticam pariter promovent, nec materiam viscidam, poris organorum colatoriorum firmius impactam, resolvunt & liberant, quin potius magis eandem inspissant. Chinata, etiam parcius exhibita, in febris hujus ακ ῆ, vel etiam proxime circa solstitium, motus salutares supprimunt, ac materiam febrilem in subjecto cæteroquin sano magis adhuc viscidam reddunt, unde facile patet, cujusnam consequentiæ, si non summe periculosæ, attamen maxime dubiæ, fuerit usus chinatorum remediorum, in statu quartanæ magis complicato.

Interim tamen omnem iis usum derogare nolo, commendans solum ut ad ordinem naturæ circumspectum probe semper attendatur. Omnis namque actus in quartana, uti & in singulis aliis morbis, est propter materiam: Hæc itaque debet removeri, si motum tollere velimus. Materia non potest secerni, nisi sit prius mobilis facta, adeoque tum demum evacuatio, ipsiusque motus cessatio expectari, immo salutariter promoveri potest. Hac ergo ratione in tertiana, remota materiali causa, ægroque adpetitum & vires recuperante, una alterave Corticis Chinæ dosis, dummodo non adeo magna fuerit, habitualem paroxysmi indolem emendat ac tollit, id quod etiam anodyna præstant, ipsaque martialia: Sic in quartana adpropinquante vernali tempore, vel quando corpus iterum satis repurgatum est, juxta plebejum loquendi modum, etiam una vel altera dosis erroneum nimiumque motum cohibet, sicque metus iste tollitur, quod febris justo diutius tolerata in consuetudinem abeat, immo totam humorum massam corrumpat ac destruat.

Interim febrem qualemcunque supprimere longe minoris difficultatis est artificium, quam revocare, noxas turbatæ emendare, ac totum actum in ordinem reducere. Regula mechanicorum hic quoque valet: Facilius est movere quietum, quam ad quietem reducere commotum. Utrique

que ſane caſui aptum hoc dictum eſt, ſcilicet violentæ commotioni ac prudenti ſedationi. Quantæ difficultatis opus ſit febrem, dyſenteriam, hæmorrhagiam, Podagram, catarrhum, dolorem præ- ac immature cohibita & ſuppreſſa revocare, aut emendare, experientia triſtiſſima abunde edocet.

Suppreſſio talium febrium ſatis raro tempeſtiva, immo etiam raro præmatura, ſæpiſſime autem immatura prorſus contingit, præſertim, quoniam in iis ſæpe, intuitu conſtitutionis, ſubjectorum, materiæ peccantis, ac viſcerum abdominis corruptio major pertimeſcenda eſt. Quando vero non ſolum virium, adpetitus & ſomni, proſtratio ſubſequitur, ſed & ulterius cachectici, icterici, hectici effectus ſuccedunt, tunc arrigunt aures Pamphili, tunc concurrunt Thraſones, tunc Davi convocant Oedipos, & herculea febrium arma Chinata variis laxantibus, corrigentibus, ſalinis, balſamicis acuere nituntur, raro autem exoptatum effectum conſequuntur, adeo, ut potius viſcerum induratio incipiens per novos martialium, volatilium, mercurialium, aliorumque ſtimulos ad plenariam ſcirrhoſitatem deducatur, & lethali tandem hecticæ ingruenti via ſternatur.

Inter omnia autem ſubſidia, quæ quartanæ, per medicinæ ac diætæ errorem turbatæ ac ſuppreſſæ, opponi ſolent, inſimulque ſperatum aliquem effectum non raro exſerunt, nullum blandius atque certius deprehendi, quam Pilulas genuinas Stahlianas. Amarities balſamica, aperiens & reſolvens, adhibitis etiam paucis doſibus, ſtricturam relaxavit, & motum naturæ autocraticum reduxit, ut febris revertens ipſi ægro ſpem revocaverit, de viribus naturæ ſuppreſſis iterum exſurgentibus, pro materia febrili adhuc reſidua ſubigenda. Ita febris recurrens prudenter & juxta ordinem denuo tractatur per digeſtiva, ſalina & amara, pro muci reſolutione, & toni roboratione, usque dum perio-

periodus certa tranſierit, morbique ſubactio perpetrata fuerit.

OBSERVATIO XIX.

Dn. D. JOAN. SAMUEL CARL.

Variolæ adultorum cum peculiaribus ſymptomatibus.

VIr juvenis 24. annorum, ſanguinei temperamenti, floridi, ſucculenti, athletici habitus, corripitur pathematibus febrilibus, æſtu, dolore capitis, dorſi, aliisque ſymptomatibus, adventum variolarum denunciantibus. Die tertio prorumpit ſanguis e naribus, & diarrhœa cholerico-pituitoſa ſuccedit. Quarto variolæ ordinatæ ac largæ erumpunt. Dantur primis ebullitionis diebus pulveres abſorbentes & temperantes, Suppurationis diebus Eſſ. alexiph. parca doſi. Ebullitionis, eruptionis, ſuppurationis & deſiccationis actus ita placide, uti in pluribus aliis, ſuccedit. Alvi ſiccitas negligitur uſque in & poſt tempus deſiccationis, ubi Pilulæ polychr. ſufficiebant: raro enim in aliis ſubjectis primis diebus laxatio & Venæſectio celebrabitur. Multo minus externa quædam in ſubſidium vocabantur, præter regimen ſumme placidum, & Camphoræ uſum.

Alius, ejuſdem ætatis, ex contagio fratris corripitur pariter variolis copioſis, ſed pedetentim ſuccedentibus, ut die quarto ubertim prorumpentes, die ſexto jam in ſuppurationem abierint, & die 7. 8. 9. ſemper novæ prodierint. Die 11.& 12. ſymptomata febrilia ſubito augeſcebant, ægrumque, variolis inæqualiter ita ſuccedentibus, maturantibus & deſiccantibus, deficit energia vitalis.

Alius 28. annorum, ſanguineus pariter, ſucculentus, ſum-

ſummo vere incidit in variolas confluentes, ubertim ac catervatim prorumpentes, ut quinto die omnes viderentur palam adeſſe. Anxietas præcordialis, ex ſummo motu corporis ac refrigeratione increbeſcens, indicabat ſimul pectoris ac pulmonum infarctum. Abſorbentia, colliquantia, alexipharmaca adhibentur. Aequaliter omnia procedunt, niſi quod ubertas, minusque ſufficiens ſuppuratio octavo & nono die malam indolem variolarum indicarent. Die 11. ac 12. æſtus ſubito increbeſcebat, cum anxietate, pulſu trepidante, variolis palleſcentibus, aqueis, paucis in ſuppurationem tendentibus exſiccatoriam, unde die 12. mors ſubſequebatur. Secto cadavere pulmones infarctu ſanguinis gangrænoſo turgebant, variolis per totum corpus nondum maturatis. Erat itaque perineumonia a variolis confluentibus.

Fœmina 24. annor. ſumme plethorica, ſanguinea, ſucculenta, corripitur inſultibus ac turbis febrilibus, variolas minitantibus. Datur laxans rhabarbarinum & vena ſecatur in brachio. Prodeunt variolæ ſatis copioſæ. Exhibentur pulveres abſorbentes, temperantes, interpoſitis alexipharmacis in parca doſi. Die 11. omnibus bene conſtitutis adſtantes & agnatæ conſilia conferunt, de forma aulica conſervanda. Suadetur Decoctum ex Myrrha, Lithargyr. cum aceto & vino. Admittit ægre Medicus ejus adplicationem in fronte. Suppuratio hinc non legitime ſuccedit, ſed variolæ ſubtus magis ſerpunt, ſie geſchworen unter ſich. Eveniunt in variis partibus, fronte maxime, profundiores abſceſſus, oſſa nudantes. Adhibentur extus balſamica, ex Eſſ. Succin. Myrrh. balſ. Peruv. Interne Eſſ. alexiph. largius exhibetur. Omnia tandem cum moleſtia ac labore multo in ordinem redacta fuere.

Puer pariter variolis confluentibus laborans, calidum potum reſpuit, nec quidquam, quam cerevisiam admittit.

Adſtantes ex indulgentia hanc porrigunt, ſed variolæ per totum ambitum aquoſæ manent. Non ſuppurantur, ſed diarrhoea accedit. Status pro deplorato habitus tractatur interne alexipharmacis, externe panno, cum cera & Camphora obducto, involvitur quaſi totum corpus. Redit hinc tandem præter opinionem ad priſtinam ſanitatem.

Alii oculorum panno, alii tuſſi lenta, alia diarrhoea poſt variolas adfliguntur, plures Eſſ. alexiph. Pimpin. alb. & abſtergentibus nitroſis intermixtis tractati, iterum convaluerunt.

Chymiatrorum nonnulli variolas emetico antimoniali præoccupare, invertere & exturbare aliquando nitebantur, uti alios morbos chronicos, ſed magna ægrotantium pars periit, manifeſto indicio, quod excitatio emeſeos lenis cum laxatione mannata cautione indigeat.

Alius Spiritu Vitrioli dulci, vel ſaltem cum aqua diluto, miasma varioloſum corrigere ſtuduit ac promiſit, ſed pariter infelici ſucceſſu. In tempore ebullitionis Tinct. Aquileg. Waldſchm. uſum habet pro mitigando motu orgaſtico & ſecretione adjuvanda; ſed in progreſſu actum excretorium ſufflaminat.

In diſcretis, immo & confluentibus variolis conſtans methodus ac temperata ſalutari exitu confirmata fuit, quæ in eo conſiſtit, ut 1.) in contagio lene laxans ex Rhabarb. Mercur. dulc. fol. Senn. &c. exhibeatur; 2.) in plethoricis Venæſectio inſtituatur; 3.) tempore ebullitionis pulveres temperant. & abſorbent. vel bezoard. itemque potiones diapnoicæ ordinentur; 4.) tempore eruptionis pauca vel nulla medicamenta adhibeantur, & ſaltem regimen temperatum conſervetur, ne lenis ſucceſſus nimium præcipitetur; 5.) in ſubſidentibus, aut retrocedentibus Eſſ. alexipharm. Stahl. parcioribus, ſed paulo frequentius repetitis doſibus in ſubſidium vocatur, quæ etiam 6.) tempore ſup-

pura-

purationis ac deficcationis conducit. 7.) Regimen femper fit fumme temperatum ; 8.) Infufum Thee , itemque Decoctum Hord. aut Lent. pro lubitu concedatur , & tandem 9.) externe nil , præter Camphoram, adplicetur. Sic variolæ adultorum , uti juniorum , placide & falutariter decurrebant , fub diæta infimul temperata ac moderata ; larga enim ciborum ingurgitatio , in mitiori etiam ftatu , facile copiofiorem purulentam materiam pro maturatione fuggerebant , ut non folum magis elevatæ fuerint variolæ, fed & profundius penetraverint & notabiliores foveas poft fe reliquerint.

Inoculatio variolarum , ab Anglis primo fufceptam , imitari permittebant quidam Germanorum Magnates , fed conamen iftud infelici exitu fufpectum mature reddebatur , eaque propter ftatim iterum omittebatur.

Morbilli eundem in omnibus ordinem fervabant , etiam quoad minifterium medicum. Omnia , etiam fontica alias fymptomata , erant mitiora ; fub initio æftus nimius & fub fine frigidum regimen peffime cefferunt.

Epicrifis.

Non immerito multi neotericorum theoreticam ac therapevticam Variolarum confiderationem in SYDENHAMIO quærendam commendant, utpote qui non folum admodum exquifite indolem , ordinem & progreffum hujus morbi defcripfit , fed etiam autocratiæ minifterium aptum , maxime fola continentia & quiete obfervandum , fubjunxit. Proinde potiffimum obfervationem quatuor temporum in periodo critica duorum feptenariorum , fcilicet *temporis ebullitionis* , a primo ufque in quartum diem ; *temporis eruptionis* , a quarto ad feptimum ; *temporis maturationis* , a feptimo ad undecimum ; tandemque *temporis deficcationis* , ab undecimo ad decimum quartum , fedulo refpiciendam

 com-

commendant. Ita enim hæc febris exanthematica non ſolum accurate periodum criticam duorum ſeptenariorum oſtendit, ſed etiam miniſterio medico hodegum ſuppeditat, quid intra quemlibet terminum agatur, & iterum agendum indicetur.

Profecto invertere tunc naturæ ordinem, immo ſolum negligere, ſummæ temeritatis ac inſcitiæ ſignum eſſet, ſive ductum diagnoſticum, ſive prognoſticum, ſive therapevticum adprehendere velimus. Id ipſum ii in primis ſæpius cum damno experti ſunt, qui inconſiderate tertio vel quarto die laxans demum exhibere auſi fuerunt; vel quando tertio, vel etiam ſeptimo die expulſione præmaturius, aut ſerius promovere voluerunt. Semper enim, quo & quando natura vergit, eo & tum eſt ducenda.

Quotquot vero, durantibus iis quinque vel ſex ſeculis, poſtquam hoc ſpeciale contagium ab Africanis ad Europæos eſt translatum, methodi tum ſpontaneæ, tum artificialis expulſionis innotuere, illæ omnes ſalutariter eo vergebant, ut tempeſtive ac placide ad ſuperficiem cutis, parteſque præcipue exſangues illud deferretur. Inde natura ipſa ordinarie interna colatoria & excretoria organa adſtrictione activa obſtruere ſolet, ne fermentum varioloſum ad interiora regurgitet, id quod alvi adſtrictio, urinæ ſuppreſſio, &c. ſatis evidenter demonſtrant.

Quodſi itaque medicinæ internæ directio tendat verſus ſuperficiem, tum vel maxime omnes methodi & qualiacunque regimina, huic viæ ac motui contraria ab arte miniſtrante abeſſe debent. Ita GUNDELSHEIMERI methodus, alternis diebus lene emetico-catharticum, ex ſyr. emet. cum Manna adhibendi, paucos non niſi dies duravit, paucioribuſque eam imitari placuit. Tanto magis ex inoculationis hiſtoria deprehenſum eſt, plures æque periiſſe contagio violento, nec ab infectione ordinaria defendiſſe hoc

arca-

arcanum. Admirationem vero ſummam excitavit illa experientia, quod plures ſola autocratia naturæ facilius emergant, quam arte; plures ex plebe, quam ex magnatum ac divitum familiis; plures juniorum, quam adultiorum. Aetiologia horum phænomenorum plana quidem eſt, ſed artificiis abſtruſior cenſetur.

Cum agreſtis vitæ homines liberos ſuos variolis obſeſſos, libere per hypocauſta diſcurrere patiantur, nec æſtuoſis lectulis includant, didicerunt inde ditiores ſuos ægros in temperatiore regimine conſervare, ſicque mitiorem ac ſecuriorem morbi decurſum promovere. Præterea cum plurimi plebeiorum nulla fere medicamenta adſumant, inde didicere magnates & magnatum archiatri, paucis ac leniſſimis uti pharmacis, ut æqualis ſucceſſus excretionis nullo ſtimulo acceleretur, aut perturbetur. Ita ubique felices ſunt pauperes, qui divitibus eleemoſynas conſiliorum & auxiliorum, opum ac vitæ elargiuntur.

In adultis Venæſectionem præſervatoriam admodum utilem & neceſſariam, in primo autem ebullitionis inſultu inſtitutam ad minimum non plane noxiam eſſe, monſtrat quotidiana experientia, immo ipſius naturæ motus hæmorrhagicus. Ita enim imminuta plethora reliquam tanto ſecurius moliri valet excretionem. Sic & laxatio matura, non autem ſero nimis excitata, cruditates primarum viarum tollit, ac ita præcavet, ne tales ſub diuturna adſtrictione alvi colligantur ac coacerventur, ſicque dein diarrhœa in variolis ſatis periculoſa oboriatur. Sufficit vero laxatio rhabarbarina: Purgatio vehementior abſit.

Quantum fieri poteſt, tempus ebullitionis ac eruptionis primæ, æqualis & ordinatæ, ſi ita procedit, ſola continentia, ſub quieto & temperatiſſimo regimine tranſigatur. Sufficit leniſſimum abſorbens, diaphoreticum fixum ex Conch. ppt. Antimon. diaphor. pauco Nitro & Aquæ

diapnoicæ. Reliqua sæpe pro gratia magis in medicina aulica adhibentur, quam pro necessitate medica. Actus æqualis facile levissimo stimulo confunditur.

Quodsi vero variolæ sessiles manent, vel depressæ fiunt, indeque ægri turbantur, tunc Eff. alexipharm. & Scord. sufficit in refracta ac iterata dosi adhibita. Tempore suppurationis ac desiccationis tutius diaphoreticorum quadantenus usum ad - & subjungo, ut natura delassata erigatur ac ita despumatio promoveatur, maxime vero ne quidpiam in pectore ac visceribus residuum maneat. Omnium externorum usus summa cum circumspectione admitti debet, ne motus a centro versus peripheriam vergens facile turbetur. Præstat omittere, aut trepida non nisi manu adhibere fovearum præservatoriam curationem. Camphora pro colli & oculorum defensione sufficit, sive de collo suspendatur, sive lintea, spiritu ejus leviter imbuta, admoveantur. Reliqua artificia contra foveas cuncta damnanda ac rejicienda sunt. Primis enim temporibus internam separationem & huic succedentem eruptionem turbant; ultimis vero ansam præbent, ut intimius penetret partesque adrodat materia purulenta, & sic profundiores foveas post se relinquat.

In legitimo progressu, durante suppuratione, ingluviei minime indulgendum est, cum per se liqueat, quod variolæ ita quoad magnitudinem augeantur. Pauculum vini tum temporis non nocet, & quidem minus, quam cerevisia, quæ facile laxitatem alvi præmaturam inducit, id quod de usu & abusu jusculorum pinguium quoque est notandum, contra matrum ac adstantium nimiam sollicitudinem.

Variolæ confluentes, nimisque copiose prodeuntes, immo, uti adpellantur, succedaneæ, nec non complicatæ cum aliis morbis, v. g. Peripneumonia, &c. sunt certe admodum

modum periculosi ominis, adeoque majori cum prudentia tractanda, ne in motu æquali & constante nimium præcipitentur. Variolarum reliquiæ in pectore, oculis, &c. pariter admodum difficulter removeri possunt. Si Essent. alexipharm. & Cascarill. usu continuato lenis ac adsidua miasmatis noxii remotio obtineri non potest, tum profecto impetus alii remediorum chymicorum nodos non solvent. Hinc, quo magis justo in ordine succedit totum negotium, eo attentiorem debet se monstrare ipse naturæ minister. Securitas enim ægri & medentium sæpe maximam infert noxam. Diætæ, aeris, quietis & caloris vitia hic quam maxime sunt vitanda.

Accedente diarrhœa pulveres absorbentes nitrosi, interposito usu alexipharmacorum, omnibus aliis adstringentibus præferendi sunt. Nec etiam unquam anodyna, theriacalia & stomachica securum aliquem præstabunt usum.

Contagium avertere velle per laxantia, est impedimenta futuri actus excretorii removere: Invitari vero ac quasi coëmendo advocare illud velle, si mitioris fuerit indolis, est conatus plane temerarius. Hinc magnates ex contagii metu in adultiore ætate periculosius plerumque decumbunt; e contrario autem pauperum infantes maturius infestantur & facilius succumbunt.

Convulsiones tempore eruptionis nil periculi communiter adferunt; promovet enim eam motus hic impetuosior, præsertim si intimius in massa sanguinea hæret miasma. Optima tunc remedia sunt antispasmodica, Lumbrici terrestres & præcipitantia. Quando vero in declinatione accedunt convulsiones, tunc parum auxilii admittunt, & lethali utplurimum eventu terminantur.

Apostases febriles versus artus, quæ non raro tumores ipsamque spinam ventosam inferunt, communiter eveniunt

niunt ex inſufficiente ac regurgitante motu varioloſo. Interne tunc alexipharmaca, externe vero ſaponacea, & inprimis ſapones chymici conducunt. Quando vero corruptio carioſa emergit, tunc parum conſilii ſupereſt, quia fermentum ſeri acre retentum reliquam lymphæ maſſam in coagulum ac congrumeſcentiam deducit, unde oſſium ſubſtantia ſucceſſive abſumitur, cum hectica lethali inſequente.

Lacticiniorum uſus multis, immo plurimis pernicioſus fuit deprehenſus: In febribus enim lac nec potum, nec cibum ſecurum præbet. Imprudentia hominum frigidum potum, ſi cerevіſiæ uſum formidant, in lacte quærit ac admittit. Vitium id eſt pauperum, non facile autem divitum.

Morbilli, uti in omnibus ſymptomatibus ac circumſtantiis mitiorem progreſſum ſervant, ita ſi negligantur quoad regimen aut medicationem, damna æque periculoſa poſt ſe trahunt. Ex refrigeratione particulari pedum, tempore eruptionis admiſſa, intenſiſſimus oritur dolor, diapnoe revocata facile remittens.

(*Hafnia Erfordiam miſſa d. 20. Sept. 1739.*)

OBSERVATIO XX.

Dn. D. JOAN. DAN. SCHLICHTING.

Alcohol vini enormem narium hæmorrhagiam extemplo compeſcens.

PUellæ novem annorum, teneræ admodum, nuperrime ſubito intra duas horas floridus ſanguis, ad libras quinque circiter, e naribus profluebat, junctis pulſu celeri,

ri, calore, ſiti, aliisque ſymptomatibus, cui interea & in- & externa varia, præſertim Hippopotami dens, fruſtra fuerunt adhibita. Quare illico accerſitus ego, alcohol vini parce, ac ſenſim ſenſimque naribus attrahendum, juſſi. Poſthac præſcribebam Spiritum Vitrioli, juncto Laudano liquido, cum frigido potu, præſertim aqua pluviali, refracta in doſi adſumendum. Vix vero elapſis ita viginti quatuor horis, ſanguis ad integram uſque libram ſubito iterum prorumpebat, prævia levi ſternutatione, uſu tamen ſpiritus vini, naribus attracti, ſtatim iterum cohibita hæc impetuoſa excretio ſubſtitit, penitusque convaluit poſthac pinguefacta puella.

Hoc igitur alcohol, ſpecifici inſtar, a me & ab alio Medico hic feliciter ſemper adhibitum fuiſſe, reticere non potui, tamquam ſtypticum pharmacum, non minus in hac, quam in paſſivis vulnerum hæmorrhagiis, efficax.

Periculum etiam feciſſe Chirurgum cum Therebinthinæ ſpiritu, mihi conſtat, quem tepidum in utrumque narium foramen lente ſiphone injecit, quo pacto ſanguinis profluvium momento fuit ſufflaminatum, neque, quamvis æger illico ſæpius ſternutaret, poſtmodum rediit.

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. JOAN. SAMUEL. SCHLICHTING.

Ilei inteſtini præternaturalis proceſſus, novi inſtar cœci, in bubonocele obortus.

CUm hujus anni menſe Julio, cadaver juvenis viginti annorum, aqua ſubmerſi, anatomicæ ſubjicerem ſectioni, obvius factus eſt peculiaris ileo inteſtino adnatus proceſſus, quinque ſpithamarum longitudine a cœco communi remotus, qui ſacci inſtar inde propendens, am-

plitudine ileum ipsum, longitudine vero duos æquabat pollices, parumper incurvus, intus cavus, sed flatu saltem distentus. Spectatores mirabantur, quid esset novi. Ego judicabam, bubonocelem præcessisse in juventute, ubi prolapsum intestinum e latere expansum fuerat, dilatatum, & peritonæi exemplo in saccum transmutatum.

In hernia igitur incarcerata, ubi ejusmodi saccum solum, non vero reliquum intestinum, clausum deprehendimus, liber ciborum, potulentorum, pharmacorum & clysmatum per intestina transitus animadvertitur, & bis a me observatus fuit. An vero, præter PALFYNIUM, quispiam ejus mentionem fecerit, plane ignoro.

En ergo effigiem & situm Tab. II. Fig. I.

A. Intestinum præcisum superius.
B. Idem inferius.
C. Processum curvatum, flatu distentum.
D. Ligamentum, quo ejus arcus intestino junctus est, parum hic incisum.
E. Intestini curvaturam, ubi mesaræum adnectitur.
F. Curvaturam oppositam.
G. Intestini latus dilatatum, expansum & tandem in saccum mutatum.

OBSERVATIO XXII.

Dn. D. JOAN. DAN. SCHLICHTING.

Vulnus ventriculi, intestinorum & abdominis, quomodo rite consuendum?

VAriis dum inter se diffident sententiis & Medici & Chirurgi, in consuendo ejusmodi vulnere, ac de vita & morte ferendo judicio, (sæpius jam alias instituto experimento,) mense Julio nuper præterlapso litem istam rur-

sus

ſus dirimere ſuſcepi. Cani nempe Moloſſo, ſub umbilico integumentis per lineam albam tranſverſim diſſectis, ileum inteſtinum tranſverſim quoque præſcidi, ut partes diſciſſæ meſenterium verſus parum modo inter ſe adhuc cohærerent. Quatuor dein ſuturis nodoſis a ſe invicem proportionate diſtantibus ſauciatum inteſtinum conjunxi, omenti partem ligatam reſecans, externum ventris vulnus amplum gaſtroraphia, ſex ſuturis nodoſis (ubique per peritonæum, muſculos, pinguedinem ac cutim acu ſimul trajecta,) conſtante, adduxi, atque tum alterum conſuti ilei, alterumque ligati omenti filium una cum partibus hiſce, ad externum vulnus jam conſutum attraxi, ibidemque firmavi.

Ingruente nocte canis lac dulce, cum aqua remixtum, lambere renuebat fere, aſt die ſequente illud adpetebat acriter, ſed non niſi ſex ejus unicas per totum diem exhibui. Tertio die oſſa rodebat, quartoque jam craſſo cibo inhiabat, quem tamen prohibebam. Quinto lambebat omnia exhibita avide. Hucusque dies noctesque febricitantis inſtar horuit, aſt non niſi unica vice vomuit, nimio ex improviſo porrecto cibo. Sexto die fuit alacris, in circumferentia vero vulneris durus adparuit tumor. Quotidie ſemel Tincturam Myrrhæ vulneri inſtillavi, nullo, niſi primo die, vinculi adparatu inſtituto; nam ligaturæ conſuetæ loco, cani vulnus lambendum reliqui. A ſeptimo ad undecimum usque diem bene valebat; duodecimo omnes ſuturas, quæ præſto erant, diſſolvi; ſiquidem vulnus tunc ferme erat coalitum, atque porro reliquam curam cani ipſi commiſi, jam ſanitati reddito. Præſentibus 14. Chirurgis diſcipulis experimentum illud inſtitutum fuit.

Menſe Auguſto ſequente, die vigeſimo nono, in cane prægrandi, ex Dania adducto, idem experimentum eadem encheireſi, felici æque cum ſucceſſu, ſuſcepi, jejuno inte-

ſtino haud ita graviter, attamen tranſverſim quoque vulnerato, ac una ſaltim ſutura nodoſa iterum conjuncto.

Jam dicto huic ultimo cani, die decimo Auguſti, in ventriculi anteriori latere, prope fundum, vulnus, duorum pollicum longitudine, inflíximus, per quod chymus ſtatim profluebat, hocque dein quatuor ſuturis nodoſis ſicuti antea inteſtinum, conjunximus, attracto poſtmodum, ad externum vulnus, gaſtroraphia ſimili jam unitum, ventriculo, ibidemque adligato, præciſa prius parte omenti ſubligata, quæ digiti longitudinem æquabat.

Sauciato cani ſimiliter, ut priori, per vices porrectum eſt lac dulce, aqua dilutum, ad unciam unam vel plures; habuit ſe ut prædictus ille; horruit vehementer primis diebus; nil vomitu reddidit, niſi nimium exhibitum alimentum; tertio die jam oſſa adrodere cœpit; gradiebatur poſt primum diatriton, ut prior; poſt diem duodecimum, gaſtroraphia ſoluta, martyr reconvaleſcens nobis adparuit, vulnere poſthac lambendo ſolum intra perbreve tempus coalito, ita, ut die vigeſimo nono menſis ejusdem, canis idem ad novumaliud experimentum ſuſtinendum jam ſatis aptus & capax viſus fuerit. Eundem, confido ac ſcio, fore proſperum hominibus eventum, quum illos ita ſauciatos eadem encheireſi, meo juſſu, adjutos, facile, cito ac feliciter ad priſtinam ſanitatem eſſe redactos, & vidi & novi.

OBSERVATIO XXIIII.

Dn. D. JOAN. DANIEL. SCHLICHTING.

Vulnera, in utramque pectoris cavitatem penetrantia, haud lethalia.

Quod communi Medicorum conſenſu adſtruitur, vulnera nempe utramque thoracis cavitatem perforantia, eſſe lethalia, hoc iisdem menſibus, Julio nempe &

pe & Augusto ipsemet experiri volui, nactus duos canes prægrandes (experimenta in præced. observ. descripta passos,)quorum latus utrumque cultro pertudi, inter secundam & tertiam, ac inter tertiam atque quartam costam, in loco paracentheseos consueto. Aër tum libere in - & egrediebatur per vulnus, digito stilove illud ubi diducebatur, denegato subito ori naribusque aëris in - & egressu. Quamprimum vero digitus stilusve extrahebatur, statim & musculi & cutis super vulnus (licet sat amplum & longum,) collapsum, sub in - & expiratione inturgescere & constringi observabantur, illudque una cum sanguine concreto illico obturabant, ut ne hilum quidem aëris in pectoris cavum amplius intraret, restituta tum subito naribus atque ori respiratione, idque fiebat, quoties digitis, vel stilo, vulneris labia diduximus in latere utroque simul, aut ab opere cessavimus. Martyr uterque per semihoram circiter id sustulit adhuc superstes, eique vulnera, alcohole vini elota, ac nodosis suturis iterum unita, lambenda reliqui, bis terve Myrrhæ Tinctura iis modo instillata, nullo sequente vel asthmate, vel tussi, vel ullo alio pectoris malo.

OBSERVATIO XXIV.

Dn. D. JOAN. DANIEL. SCHLICHTING.

Tendo ex parte discissus, nullius mali symptomatis causa.

Posteaquam diu nimis vulgi errore immersus fueram, tendinem, aut nervum, quoad dimidiam sui partem discissum, disruptumve, ingentium symptomatum, phlegmones præsertim, abscessus, gangrænæ, &c. causam & originem esse. Ecce! casu obvenit anno elapso quidam, cui tendines carpi, una cum arteria radiæa, pulsum ubi exploraplora-

ploramus, quoad magnam partem, erant hoſtili cultro reſciſſi, ut inſigniter hiarent. Chirurgus linteo carpto Therebinthinæ ſpiritu madido vulnus opplet, arctaſque circumdat faſcias, neque niſi poſt quintum diem easdem ſoluit, quando carne recenti vulnus jam erat omnino repletum, inducta demum intra tres hebdomadas arida cicatrice, nullo interea animadverſo ejusmodi pravo ſymptomate. Plures etiam conſimiles ejusmodi hiſtorias ab hujus urbis Chirurgis communicatas, referre poſſem, niſi tempus deficeret.

Ut autem exactius adhuc veritatem iſtam experirer, canes iterum in ſubſidium ſumſi, quorum tendines plus minuſue inciſione læſi, ut interdum vix amplius cohærerent, vulnere Therebinthina pura, aut vini ſpiritu, aut nullo pharmaco diligato, obſervato interim nullo ſymptomate, quod ullo modo conſectarium ejusmodi mali ominis præbere valeret.

OBSREVATIO XXV.

Dn. D. JOAN. DANIEL. SCHLICHTING.

Singularis rupti tendinis notitia.

Tendines rumpi ac dilacerari, eosque ſutura & vinculo jungi, non ſolum pluribus notum eſt, ſed & ipſe ego vidi ac præſertim penes homines pariter atque beſtias. Aſt tendinem illum craſſum & robuſtum muſculorum, qui tibiam extendunt, levi corporis lapſu in ſolium, ſupra rotulam diſrumpi penitus, haud ita cunctis innotuit. Seni Medico, Dn. G. eadem cauſa, quinque ante annos circiter, id contigiſſe, cute tamen integra, memini. multique norunt, absque ſubſequente magno dolore, vel inflammatione. Nulla vero ab imperi-

to Chirurgo facta διαπλάσει, etiamnum tibiam extendendi impotentia relicta est.

OBSERVATIO XXVI.

Dn. D. JOAN. DANIEL. SCHLICHTING.

Epiglottidis rara elevatio, ligamento ejus abbreviato.

Biennium elapsum nunc est, cum me consultum conveniret rusticus Frisius, diu pridem catarrhis obnoxius, qui angina laborantis instar loquebatur, atque per sex circiter annos se ita adflictum fuisse conquerebatur. Indagaturus mali causam præsente Chirurgo, conspexi, post apertionem oris, epiglottidem, ratione apicis multum elevatam & ad linguæ radicem sursum & antrorsum nimis attractam, ubi insuper etiam ligamentum ejus, linguæ junctum, atque ab EUSTACHIO nitide depictum, & visui & tactui contractum ac multum abbreviatum adparuit. Hanc ob causam epiglottis, quæ pontis instar glottidem alias tegit, officio suo fungi nequibat, atque alimentum deglutiendum quodvis, nisi consulto multum caveret miser, ita in laryngem facile delabebatur, junctis tussi, anxietate, aliisque molestis symptomatibus. Ligamentum quidem illud abbreviatum forfice discindendum suasi, sed factum an id sit, nec ne, ignoro, rusticus siquidem haud reversus est.

OBSER-

OBSERVATIO XXVII.
Dn. D. JOAN. DANIEL. SCHLICHTING.
Menstrua protheiformia.

Puellæ 7. annorum sanguinis fluxus per genitalia prorupit, qui quovis mense, usque ad annum ætatis decimum quintum, modo alias naturæ consueto, recurrit, sanitate illæsa subsistente. Ast tum subito suppressa hæc excretio, virgine terore perculsa, aliarum protheiformium hæmorrhagiarum atque Epilepsiæ demum causa extitit. Siquidem a terrore mox sanguis profluxit, nunc ex tibiis genubusque, nunc ex umbilico, ex mammarum papilla alterutra vel utraque, nunc ex mento, ex genis, ex nasi pinna, ex oculorum canthis, ipsaque fronte; immo denique, quod omnes mirabantur, qui id conspiciebant, ex apicibus quinque digitorum sinistræ manus guttatim stillavit sanguis per intervalla, copia satis notabili. Neque, deterso eodem, in locis enumeratis, præter angusta admodum foramina, quæ demum fluxu deficiente sponte disparebant, vel quidquam conspici potuit. Contingebat autem hoc semper tam consueto tempore menstruo, quam reliquo intermedio, cessante interim penitus excretione cruenta per genitalia. Cessante vero dein anno ætatis 16., hæc quoque fere habituali protheiformi hæmorrhagia, & quidem ex novo terrore, ejus in locum successit gravis Epilepsia, & quolibet mense circa terminum eruptionis consuetæ pristini fluxus exacerbata fuit, virginemque sic per integrum annum misere excruciavit, promanante aliquando iterum guttatim ac parce in declinatione paroxysmi, (qui plerumque per viginti horas magna cum vehementia durabat,) florido sanguine hinc illinc ex partibus jam nominatis, inprimis vero e quinque digitorum

rum apicibus manus finistræ, quæ tamen excretio interdum etiam sponte imminuebatur, aut prorsus emanebat.

Multa interea temporis fuerant frustra adhibita pharmaca, atque cum primis phlebotomia, undecies intra anni spatium, in undecim Epilepsiæ accessionibus, tam in brachio, quam in pede, instituta, absque tamen ullo subsecuto levamine. Sub his ergo circumstantiis accersitus ego, atque rei portentum, cæterorum Medicorum instar, miratus, miseram efficaci methodo sublevare adgressus sum, proscriptis omnibus calefacientibus & phlebotomia. E contrario autem 1.) ut quotidie matutinis ac vespertinis horis pediluvio ex aqua calida & sale communi uteretur, suasi; 2.) pulverem temperantem, ex Tart. vitriol. Tachen. Nitri crystallis. succin. ppt. & Cinnab. nativ. ana drachm. 2. constantem, & quater de die ad Scrup. 1. adhibendum præscripsi. 3.) Pilulas sequentes ordinavi: Rec. Asæ fœtid. Gumm. Ammoniac. Extr. Absynth. drachm. 1. Pilul. Ruff. drachm. 3. Castor. Scrup. 2. Salis volat. Succini drachm. dimid. Terebinth. Venet. q. s. ut F. Pilulæ No. LXXX. de quibus mane ac vesperi 3. aut 4. adsumsit, unde alvus, semper antea adstricta, quam lenissime quotidie soluta fuit.

Sic misera demum horum usu intra mensis spatium plenarie convaluit, redeunte tum menstruo fluxu, ac evanescente Epilepsia motuque omni hysterico, neque unquam postea revertente fluxu illo protheiformi, nisi anno vertente, ubi eidem rursus perterrefactæ semel e mammis, ut antea, sanguis stillabat, menstruo fluxu imminuto, id quod tamen methodo jam descripta intra breve iterum sublatum fuit, ut ita virgo ista nunc per quinque annos ab omni incommodo liberata, vitam adhuc degat sanam vegetamque.

OBSERVATIO XXVIII.
Dn. D. JOAN. DANIEL. SCHLICHTING.
Ruptura veficæ a δυςτοκία, prodeunte demum per genitalia contrito veficæ calculo.

Mulieri 40. annorum, per 5. dies, quum δυςτοκία laboraffet, poft partum illa invita urina perpetim ac guttatim prodibat, erofis multum partibus obfcœnis. Elapfo bimeftri fpatio ad illam, febre continua, ex genere fere intermittentium, dolore, macie, debilitate fumma, apepfia, fiti, &c. pene confectam, vocatus, corticem Peruvianum confeftim in ufum vocabam. Tertio die poft excrevit ægra difficulter admodum per vaginam multas calculi lamellas, juncto craffo ejusdem pulvere, in copia fatis magna, per dies tres, ita ut maritus eas fæpe e vagina digito extrahere coactus fuerit. Hanc ob caufam judicare aliter haud potui, quam quod in δυςτοκία vefica urinaria calculo turgida & quadantenus diftenfa, una cum uteri vagina, eidem arcte adnata, fuerit attrita, compreffa lacerata, ac denique rupta, pofthac inflammata, ulcerata, in loco vaginæ proximo, atque calculus ipfe, vi partus dolorum fractus & contritus, ac poftmodum per veficæ & vaginæ uteri partem ulceratam, magisque tum demum apertam, roborantis medicamenti ufu, Corticis nempe Peruviani, fucceffive expulfus. Contigit illud ipfo hoc anno MDCCXXXIX. atque ejusmodi cafus fæpius accidere, vix tamen femper debite attendi exiftimo, prout etiam doctiff. Dn. ROONHUYSE id jam pridem in fcriptis fuis notavit. De reliquo fœmina ifta adhuc fuperftes, fatisque vegeta ac fana eft, nifi quod urinæ incontinentia adhuc laboret, forfitan ob ulcus nondum plenarie confolidatum.

OBSER-

OBSERVATIO XXIX.

Dn. D. JOAN. DAN. SCHLICHTING.

DE

Injectionum, ex Essentia Myrrhæ paratarum, insigni utilitate in Empyemate & Hepatis abscessibus.

CUm nunquam juraverim in verba Magistri, tanto facilius idcirco a me impetrare potui, ut, viso sæpius infelici vulgarium injectionum successu, Myrrhæ Essentiam cum alcohole vini paratam, loco illarum, in pectus empyicum post paracentesin injiciendam curaverim, id quod penes quinque jam homines felicissime successit, neque eorum ullus inde sensit vel tussim, dyspnœam, dolorem, anxietatem, vel aliud quodcunque incommodum, aut mali ominis symptoma, quod vulgo falso fingitur; sed potius, percepit quilibet levem titillationem, qualem ab hausto vini spiritu, in ore, faucibus & ventriculo persentiscimus, puris quantitate quotidie simul imminuta, illoque in crassum coctumque mutato atque ulcere demum ipso brevi post siccato. Spiritum etiam vini simplicem & rectificatum subinde solum injecimus, eodem cum effectu, evitatis ubique turundis. Sic etiam nautæ cuidam ex casu ab alto hepar contusum in suppurationem abiit cum vulnere externo, ex quo prima vice ad duas fere libras pus album prodiit. Suadebam tunc illico, ut notabilis portio Essentiæ Myrrhæ ad uncias circiter octo injicerentur. Apostema dein circumcirca linteis convolutis & fasciis compressum, arcte deligabatur, quolibet quinto die vinculum solvebatur, & decimo quarto post factam aperturam, omne intus & extus ruptum fuit omnino consolidatum, ut brevi post æger, de

cujus restitutione antea non immerito dubitabatur, perfecte sanus ad Indos trajiceret.

(*Amsterodamo Erfordiam missa d. 20. Sept. 1741.*)

OBSERVATIO XXX.

Dn. D. JOAN. SEBASTIANI ALBRECHT. DE

Lumbricite elegantissimo.

AN corpora texturæ mollioris etiam ex animali regno in minerale transgredi possint, i. e. in lapideam substantiam converti, merito quis posset dubitare varias ob causas, nisi exempla hoc ipsum probarent luculentissime. Ipse ego *Lumbricites minores* inter se complicatos, uti frigido tempore hiemali sub terra se abscondere solent Lumbrici, *in lapide fissili albo ex Latomia Ubermanshofiana* prope Pappenheim possideo, ex benevola communicatione Dni. Consiliarii & Archiatri WAGNERI, viri in inquirendis rebus naturalibus perindustrii & in commercio literario humanissimi. Meminit insectorum plurium, dives olim his thesauris SCHEUCHZERUS, passim in suis scriptis. BUTTNERUS quoque in *Ruder. diluvii testibus pag. 226. §. 136.* refert, se Querfurthi inter conchitas etiam observasse *Lumbricitem*. Sed cum vix elegantius exemplum repererim figura ab aliquo Auctore expressum, quam illud, quod ego inter alia in museo adservo, operæ pretium esse duxi, ut illud accurate delineatum sisterem. Reperi id ipsum ante aliquot annos, cum auditoribus meis excurrens in agros,

ut

ut colligeremus herbas & lapides, prope *Lauteram* (*) in agris ibidem proximis circa torrentem, quem vocant den Orlaß-Graben, qui olim dives fuit copiosis & elegantissimis variorum conchitarum speciminibus. Lapis ejus est coloris & substantiæ, ut quisque facile videat, limosam olim fuisse terram, quam ingredi facile potuit *lumbricus.* Figura ipsa monstrat, quomodo ille anteriori sui aliqua parte se se abscondat, capite vero iterum prodire conatus sit. Anterior quoque pars latior est, tunc corpus varie flexum demum in caudam magis teretem & acutam terminatur.

Explicatio Fig. 2. Tab. II.

a. Caput Lumbrici.
b. Locus ubi se abscondit.
c. Flexuræ in arcus.
d. Cauda.

(*Coburgo Erfordiam missa d. 15. Septembr. 1739.*)

OBSERVATIO XXXI.

Dn. M. ALBERT. DANIEL. MERCKLEIN. DE

Refractionis ratione in unoquoque frusto vitreo facillime invenienda.

NOsse rationem refractionis in omni massa vitrea, ad dioptricos usus adaptanda, magnum utique, sit venia verbo, mysterium est. Vitra non sunt omnia ejusdem soliditatis, id quod a variante ingredientium compo-

(*) Conf. NEICKELII *Museograph.* *Dr. Joh. Kanolds* Anhang zum I. Theil von *Museis p. 145. Coburg.*

positione potissimum dependet, in cujus causam inquirere Physicis incumbit, non Opticis. Declinatio radiorum, oblique in diaphana haecce incidentium, variat focum verum, seu punctum concursus multum, & in sphaericis pro diversitate consistentiae in massa vitrea. Haec si non exacte Optico nota sunt, nunquam de vera Tubi perfectioris longitudine certus esse poterit, multo minus de ratione amplificationis, quoties nempe Tubus objecta majora, quam nudo oculo contemplata, sistat. Sit e. g. Tubus astronomicus, cujus lens objectiva ex scutella 24. pedum, in radio sphaerae considerata, efformabatur, ocularis vero ex trium digitorum scutella terebatur utrinque aequaliter. Quodsi Hugeniana ratio refractionis ut 2. ad 3. universalis est, constans in omnibus vitris cujuscunque compositionis, respectu massae, esset, tunc focus cum radio scutellae 24000. & 300. aequalis esset, adeoque Tubi longitudo, addito oculari, 24300. maneret. Ast nec objectivae, nec ocularis Lentis focus coincidit tali modo in nostro Tubo cum radiis scutellarum, licet hae exactissime, secundum manuductionem *Leutmanni*, sint excavatae, istae vero omni diligentia cum triplici motu machinae simul tersae, laevigatae & politae. Quodsi juxta methodum hujus observationis examinaveris focos, deprehendes istum in objectiva 21280. in oculari 266. adeoque $27\frac{20}{100}$ in ista, $\frac{34}{100}$ in hac abbreviatum. Hujus variationis causam qui nescit, juraret, scutellam ad radium 24. pedum excavatam, forte erroneam esse, & saltem 21280. revera cavam, pariterque scutellam 300. modo mentientem, tantum 266. habere. Ast, si refractionis rationem hujus massae vitreae, ex qua Lentes efformatae sunt, investigaveris, videbis eam non esse ut 2. ad 3. sed prorsus aliam, nimirum ut 532. ad 832. vel ut 133. ad 208. Hac Lentium talium ratione refractionis inventa, magna cum animi voluptate verum illarum focum, adeoque ve-

ram

ram Tubi longitudinem, calculo arithmetico invenire licet. Sunt nimirum Tubi hujus longitudinis in ſe, non ſine incommodo reſpectu diſtractionis, & veri foci inventionis, laborioſi toties, quoties cœleſtia mundi corpora totalia contemplari debent, niſi machina illorum unacum fulcro firmiter, methodo præſertim mea, fuerit adaptata. Hoc naturale horum Tuborum incommodum, ſupraveniente incertitudine de vera longitudine Tubi, & mihi in inſtituendis primis hujus 24. pedes longi Tubi obſervationibus, moleſtiam non unam ſuppeditabat. Inhærebam hactenus huic errori, inter Opticos pro Axiomate recepto: *In ſphæricis rationem refractionis adeo religioſe non eſſe examinandam, ſufficere adſumſiſſe Hugenianam ut 2. ad 3.* Secundum quam foci vitrorum cum radiis ſcutellarum coincidant. Hic error manuducebat me ad alium, extrahebam nempe Tubum ad longitudinem 24300. quam juxta communem calculum habere debuiſſet, ſed objecta prorſus nulla per Tubum adparebant, contrahebam, diſtrahebam ad aliquot digitos Tubum, ſed fruſtra. Hærebam dubius, de Lentium perfectione convictus, & longitudini 24. pedum (quæ tamen erat falſa) abſolute inſiſtens, uſque dum, exemto oculari, in rationem refractionis ejus inquirebam. Hac cognita, quæ ſimul verum hujus Lentis focum indicat, procedebam ad veram totius Tubi longitudinem inveniendam, rejecto nunc præjudicio de univerſali ratione ut 2. ad 3. in ſphæricis ſufficiente. Modus inveniendi rationem refractionis, & focum verum, adeoque & veram Tubi longitudinem ſequens eſt:

Operatio I.

Pro invenienda refractionis ratione.

I. Teratur ex fruſto quodam maſſæ tuæ vitreæ Lens aliqua convexo-plana, e. g. trium digitorum, ita ut ſcutella ſit

ex-

exactissimum sphæræ suæ segmentum, ipsaque Lens methodo Leutmanniana, ceu omnium in sphæricis perfectissima, triplici motu simul sit tersa, lævigata & polita.

II. Imponatur Lens hæc Cameræ obscuræ, & apertura ejus sit $\frac{3}{10}$ radii, id quod in vitro e. g. trium digitorum erit 30. & obvertatur superficies plana Objectis, dein extrahatur atque contrahatur paullulum Camera obscura, donec objecta dissita in opposita Charta alba adpareant nitidissima.

III. Metiatur hæc distantia chartæ albæ usque ad axem superficiei convexæ Lentis tuæ ope circini, observato omni rigore possibili mathematico, ducaturque deinde in pedem nostrum, in Opticis nobis usitatum, ubi omnes operationes similium observationum perfectissime dimetiri poteris. Sit e. g. hæc distantia 532. & erit hæc sinus anguli inclinationis.

IV. Ad hunc sinum 532. addatur radius sphæræ, qui est 300. & summa 832. erit sinus anguli refracti, qui ambo, si in formam fractionis componantur, $\frac{532}{832}$ rationem refractionis Lentis tuæ in se comprehendent, nempe ut 532. ad 832. vel, si ad minimam reducatur fractionem, ut 133. ad 208.

Hac via jam omnium massarum vitrearum rationes refractionum jucundissime certe investigare licebit. Qui animo, pari curiositate mecum imbuto, præditus est, is omnium suarum Lentium, quas possidet vel in Tubis, vel Microscopiis, vel aliis machinis, rationem refractionis methodo hac jam examinare & focos & longitudines istarum secundum hanc metiri poterit. Quare ad secundam operationem, nempe ad inventionem focorum verorum, accedam.

Opera-

Operatio II.

Pro inveniendo uniuscujusque Lentis ſphæricæ vero foco.

I. Inventa ratione refractionis, juxta Operationem I. quæ hic loci ſit ut 133. ad 208. omnium reliquarum, ex eadem maſſa, hanc rationem refractionis habente, terſarum Lentium verus focus ita invenitur: Subtrahatur denominator fractionis 208. a Numeratore illius 133. reſiduum 75. ponatur pro termino primo in regula de tribus. Secundum terminum conſtituat Numerator fractionis tuæ 133. Tertius terminus ſit ſemper radius ſphæræ iſtius, ex qua Lens efformata. Quarta proportionalis ſic inventa indicabit numerice verum Lentis focum.

II. Sit ex. gr. Lens objectiva ejusdem maſſæ 12. vel 24. pedum: Infer itaque, ut differentia rationis 75. ad Numeratorem rationis 133. ita radius Lentis objectivæ 12000. vel 24000. ad verum focum, & ſic quotus determinabit iſtum. Ponamus, majoris perſpicuitatis gratia, exempla hæc numeris ſuis calculata, ut ad normam horum in reliquis omnibus Dioptrices ſtudioſus facilius procedere queat.

Differentia.	*Numerator.*	*Radius Lentis objectivæ.*
75. ———	133. ———	12000.
	12000.	
	266000.	
	133.	
	1596000.	

```
      6
      21
75. | 1596000
    | 150
    |   75
    |   150
    |    000
```

(21280. *Focus verus Lentis convexo - plana.*
(10640. *Focus verus Lentis convexo - convexa* —

Differentia.	*Numerator.*	*Radius.*
75.	133.	24000.

```
  133.
24000.
------
532000.
  266.
------
3192000.
```

```
       445
75. | 3192000
    | 300
    |  150
    |   375
    |    450
```

(42560. *Focus verus Lentis convexo - plana.*
(21280. *Focus verus Lentis utrinque convexa* —

III. Poteſt etiam verus focus, ſeu hæc quarta proportionalis, ita inveniri, ut radius lentis, per quam ratio refractionis inventa fuit, ex. gr. 300. ad verum hujus Lentis focum, qui eſt 266. ſi utrinque convexa, vel 532. ſi convexo - plana, ita radius Lentis objectivæ 12000. vel 24000. &c. ad focum Lentis objectivæ.

Jam ex cognita ratione refractionis, ſecundum verum per eam inventum focum, etiam vera totius Tubi longitudo facile determinari poteſt, quod ſequens tertia Operatio indicabit.

Opera-

Operatio III.

Pro invenienda vera totius Tubi longitudine.

I. In Tubo unoquoque, si fuerit astronomicus, ex duabus convexis conflatus, quæratur secundum præcedentia, ex inventa ratione refractionis duarum Lentium focus verus, ex. gr. sit Lentis ocularis focus verus 266. quæ ex 300. tersa, & Lentis objectivæ ex 24000. utrinque æqualiter convexæ, focus verus 21280.

II. Addantur foci duarum Lentium, & summa, ex. gr. 21546. determinabit longitudinem totius Tubi, ex qua objecta visa adparebunt vivacia, unico hoc adhuc prænotamine supposito, quod, pro diversitate Myopum atque Presbytarum, Tubus semper parum diduci, vel contrahi debeat, id quod tamen raro duos vel tres superat digitos.

His omnibus bene sic observatis, Tuborum meliorum constructio facilior reddetur, certitudo distantium a se invicem Lentium statim indicabitur, (quam alias ex mero mechanismo, si Tubi præsertim longiores sunt, non sine summa molestia determinare poteris,) & simul amplificatio istorum, quoties scilicet aucta videantur objecta, per istos visa, reperietur, secundum modum in sequente operatione describendum.

Operatio IV.

Pro invenienda ratione amplificationis, quoties nempe objecta per Tubum visa adpareant majora.

Dividatur focus verus Lentis objectivæ, ex. gr. 21280. per focum verum Lentis ocularis, ex. gr. 266. Quotus, qui hic erit 80. indicabit rationem amplificationis, adeoque

objecta per hunc Tubum viſa, ad eadem objecta nudo oculo contemplata, ſunt in ratione ut 80. ad 1. Manet ergo amplificatio eadem hujus Tubi in ratione refractionis, ut 133. ad 208. cum ea, quam habuiſſet, ſi ratio refractionis ut 2. ad 3. fuiſſet. Lens enim objectiva, ex 24000. terſa, focum etiam in 24000. inveniſſet, ſicut Lens ocularis in 300. ſi ratio refractionis ut 2. ad 3. manſiſſet. Divide 24000. per 300. quotus itidem erit 80. En! quæ legum naturalium & in opticis conſtantia! quæ perfectio! Quem egregium uſum Obſervatio hæc habeat, unacum methodo hac faciliima atque jucundiſſima, a nemine Opticorum hactenus publicata, & tamen in componendis Tubis elaborandisque perſpicillis pro myopibus atque presbytis ſumme neceſſaria, reperient ii, quorum intereſt vitra omnibus numeris perfecta, & ſphærica, & potiſſimum hyperbolica elaborare. Liceat itaque perſpicuitatis gratia unum atque alterum adhuc addere exemplum.

Adportantur exempli gratia mihi ex alia officina vitriaria fruſta vitrorum, vel tabulæ vitreæ denſiores. Ex una harum Tubum quatuor convexis lentibus armatum 6. pedum, ut Optici loquuntur, denominatione ab objectiva facta, conſtruere mens eſt. Corrigatur maſſa igne, juxta Obſervationem meam primam Voluminis IV. Actorum Academiæ pag. 507. ſqq. inſertam. Dein efformentur tria ocularia, ex ſcutellis radiorum 100. 200. 400. ita ut oculare I. ſit utrinque unius, oculare II. duorum, oculare III. quatuor digitorum. Lens objectiva utrinque æqualiter ex 6000. terſa. Elaboratis ſic quatuor his convexis, quæritur dein de vero harum Lentium foco? Quæratur ergo juxta operationem I. hujus Obſervationis ratio refractionis, quæ verbi gratia ſit $\frac{374}{777}$ & cum hac inventa ratione ſimul focus verus ocularis tertii invenitur, quod ſit 374. ſi nempe hæc ocularis tertia ex 200. convexo-plana, Cameræ obſcuræ

præ-

prædicto modo inferitur, & focus verus, ceu sinus anguli inclinationis, quæritur. Si jam dimidium hujus foci 374. nimirum 187. sumatur, habebis focum verum ocularis secundi, & si hoc dimidium 187. iterum per 2. dividas, quotus $93\frac{1}{2}$. erit focus verus ocularis.

Ad inveniendum objectivæ Lentis focum verum infer ita: Ut differentia rationis 200. ad Numeratorem rationis 374. sic radius 3000. ad focum verum, & sic quarta proportionalis erit 5610. si objectiva convexo-plana. Enucleata sic jam ratione refractionis & inventis per eam veris quatuor convexarum Lentium focis, longitudo totius Tubi facile prodibit, Addantur foci trium ocularium, summa ducatur in 2. Producto addatur focus verus Lentis objectivæ, & summa indicabit Tubum hunc terrestrem 6. pedos 9. digitos 2. grana & o scrupulum longum esse.

Ocularis I. ex 100. utrinque = convexi focus verus = $93\frac{1}{2}$.
Ocularis II. ex 200. utrinque = convexi focus verus = 187.
Ocularis III. ex 200. convexo-plani focus verus 374.

Summa = 655.
2

Productum = 1310.
Objectiva Lentis ex 3000. convexo-planæ focus verus = 5610.

Summa = 6920.
Longitudo totius Tubi.

Ponamus jam, focum verum ocularis I. debere manere 100. præsupposita hac ratione refractionis, ut 374. ad 574. Et focum ocularis II. 200. & ocularis III. 400. una

cum Lentis objectivæ foco vero 6000. Quæritur ex quibus radiis sphærarum, vel ex quibus scutellis terenda erunt vitra? Respondetur: Inferatur: Ut focus verus ocularis III. 374. ad radium ocularis III. 400. sic focus futurus 400. ad radium scutellæ futurum. Et sic cum duabus reliquis ocularibus & Lente objectiva. Quoti indicabunt quartas proportionales, vel radios aliarum scutellarum.

Focus verus. — *Radius* — *Focus novus.*

374. ——— 400. ——— 400.

400.

160000.

3
290
16422
374 | 160000 (427. *Radius scutellæ pro oculari III.*
1498
748
2618

213½. *Radius scutellæ pro oculari II.*

106¾. *Radius scutellæ pro oculari I.*

Focus verus Lent. object. — *Radius.* — *Focus novus*

5610. ——— 6000. ——— 6000.

6000.

36000000.

3
996
234693
561 | 36000000 (6417. *Radius scutellæ.*
33660
22444
5611
3927

Si igitur oculare I. ex 106¾. vel ex 107. oculare II. ex 213½. oculare III. ex 427. utrinque convexum & objectivum vitrum ex 6417. æqualiter convexum efformatur, foci veri manebunt 100. 200. 400. 6000. & longitudo Tubi erit 7. pedes 4. digitos. Quod rationem amplificationis attinet, manet ista in utroque casu eadem, nempe ut 1. ad 30. Dividatur focus Lentis objectivæ 6000. per 200. ceu focum

focum ocularis medii, itidem focus verus objectivæ 5610. dividatur per focum verum 187. ocularis medii, in utroque caſu quotus erit 30.

200 | 6000(30   187 | 5610(30
       | 6 | 561

Liceat alterum adhuc addere Exemplum: Presbyta deſideraret a me auxilium ope ſpecilli, ut propiora, quæ alias non ſine moleſtia juſto plus removere deberet ab oculis, videat in juſta atque commoda diſtantia. Calculo arithmetico inveniſſem futuri ſpecilli focum verum 1560. quam methodum inveniendi ſegmentum ſphæræ, pro unius cujusque Presbytæ oculo indoneum, alio tempore communicabo, cum Hugeniana vel ſtudio, vel vitio typographico, ſit vitiata. Quodſi jam ex ſcutella, cujus radius 1560. ſpecilla utrinque æqualiter elaborarem, & ratio refractionis eſſet ut 2. ad 3. tunc effectum præſtarent deſideratum. Poſito autem, rationem refractionis, juxta modum ſuperius indicatum, eſſe ut 133. ad 208. vel ut 374. ad 574. focus certe plane alius, nullum Presbytæ auxilium ferens, prodiret. Infer modo, ſi placuerit: Ut 75. ad 133. ita 1560. ad focum verum, & quotus foret 1383. adeoque 177. juſto brevior; (ſi quotum nempe per 2. divides, quia objectiva convexo-convexa intelligitur;) Vel infer ita: Ut 200. ad 374. ita 1560. ad focum verum 1458. ceu dimidium quoti 2917. & in hoc caſu eſſet 102. juſto brevior. Jam quæritur, ſi focus verus neceſſario debeat eſſe 1560. & ratio refractionis tamen eſſet ut 133. ad 208. ex qua ergo ſcutella ſpecillum terendum? Reſpondetur: Infer: ut focus verus 1383. ad radium 1560. ita focus novus 1560. ad radium novum 1766. adeoque ex ſcutella unius pedis ſeptem digitorum 6. granorum & 6. ſcrupulorum ſpecillum utrinque convexum, vel ex 883.

con-

convexo-planum elaboratum, Presbytæ dabit auxilium. De his omnibus, hac obſervatione indicatis, nihil certe reperiet Lector in ſcriptis Opticorum hactenus evulgatis. Loquuntur quidem de ratione refractionis, & oſtendunt etiam modum inveniendi iſtam, ſed quanto cum diſcrimine, intelligent iſti, qui Auctores Opticos perluſtrarunt, & jam hanc meam methodum juxta iſtam ponunt. De adplicatione rationis refractionis ad Tubos & ſpecilla, altum penitus apud omnes eſt ſilentium.

(*Fröhſtockhemio Erfordiam miſſa d. 12. Octobr. 1739.*)

OBSERVATIO XXXII.

Dn. M. BONIFACII HENR. EHRENBERGERI.

de

Speculis quibusdam vitreis cauſticis.

Quamquam rerum viſibilium qua talium ſcientia, quam *Opticam* vocamus, inde a prima ejus origine multas ſucceſſu temporis conſecuta eſt acceſſiones, ut tandem in maxima excreverit volumina: non tamen dubitandum, quin ſtudio huic gnaviter incumbentes, nova ſubinde inventa ſive quoad theoriam, ſive quoad praxin, ſint offenſuri. Quis tantum olim primæ ſolum partis & theoreticæ quidem, ſperaſſet augmentum, quantum jam ſuo tempore relinquit *Franciſcus AGUILONIUS?* Cujus tamen propoſitiones attenta mente perlectæ, altiusque inſpectæ, Lectorem, ut in plures etiam incidat, haud raro diſponent. Id quod fecerunt quoque multi opticarum rerum gnari, nec in prima ſolum parte, ſed in reliquis etiam, Caoptrica & Dioptrica, diem docuit dies, ut & harum inſignem jam habeamus acceſſionem, quæ tamen ad id perfectionis culmen jam perveniſſe, quod plura additamenta reſpuere videa-

videatur adſerere non audemus ; ut potius, ſi quis catoptrica & dioptrica fundamenta conjunctim conſiderare & combinare vellet, novam plane partem Catoptrico - dioptricam, nec eam exiguam, poſſet, adſtruere. Cujus in una alterave demonſtratione, quæ haud contemnendæ erit utilitatis, hac occaſione dabimus exemplum, ſupponentes ea, quæ vel in Dioptrica circa tabularum Sturmianarum explicationem dedimus fundamenta; quæ ſtrictim hic attingere ſufficiat; nimirum: Angulum reflexionis angulo incidentiæ; & : Radium oblique vitrum ingredientem frangi tertia circiter (a) parte ad perpendiculum, & egredientem, dimidia parte a perpendiculo.

Cum præter alia ſpeculorum quoque concavorum haud exiguus ſit uſus, ut ea non modo adhibeamus ad experimenta, quibus radiorum collectorum ſolis, lunæ, ignis culinaris, vis urendi, liquefaciendi, ac calefaciendi, demonſtratur : ſed & iisdem opus habeamus in laternis, ad lumen fortius excitandum, ac ſpeciatim in laterna magica, item ad conſtruenda teleſcopia & microſcopia Newtoniana, ad teleſcopia quoque catoptrico - dioptrica Hugeniana, atque polemoſcopia, præſertim, quæ ſunt recentioris inventionis, (b) itemque ad faciem noſtram multo majorem repræ-

a) Etſi enim cel. *Iſaacus NEWTON* angulorum horum inter ſe rationem accuratius, at majoribus numeris determinavit, ſcil. anguli inclinationis in ingreſſu ſinum refractionis eſſe ut 300. ad 107. & refracti, ut 193. in egreſſu autem ſinus angulorum, inclinationis, refractionis & refracti ſe habere ut 193. 107. & 300. Conf. *Acta Erud. Lipſ. ad ann. 1693. pag. 1.* Tamen quia virri craſſities varia hanc ἀκρίβειαν hic non admittit; ſufficiat nobis ratio numeris mininis expreſſa.

b) Cujus exemplum videri poteſt in Clar. C. G. *HERTELS Anvveiſung zum Glas-Schleiffen pag. 99. & Tab. XII. fig. 3.*

repræſentandam, aliaque phænomena catoptrica exhibenda; ea autem, quæ ex chalybe aut ære efficiuntur, quamvis non prorſus rejicienda, tamen ſint & pretioſiora, & paratu difficiliora. Non deſunt Opticorum recentiorum quidam, qui ſpeculis vitreis illorum loco utuntur, ex lentibus ſive utrinque, ſive plano - convexis una, & quidem convexa, parte ſtanno obductis. Quamquam non negandum, vitrea iſta ſpecula concaua initio adhibita non caruiſſe quoque ſuis incommodis: maxime, quod ob duplicem reſtexionem, unam ſcilicet in prima vitri ſuperficie, alteram in ſecunda, ſive profunditate & termino, ubi folium ſtanneum adplicatum eſt, etiam duplices ſæpe imagines remittunt, prout conqueritur ZAHNIUS. (c) Cui quidem incommodo medelam adhibiturus cel. DAVID GREGORIUS *in Catoptricæ & Dioptricæ Sphæricæ Elementis*, Oxoniæ Anno 1695. foras datis, ſpeculum ex vitro convexo - concavo conſtruendum, convexa parte terminato, excogitavit, quod efficiat, ut radiantis longinqui imagines binæ a binis ſuperficiebus ſpeculi effictæ, coincidant, quodque adeo optimum ſit vel ad comburendum, vel ad longinquorum imagines efformandas: (d) At vero, quoniam hoc ſpeculorum genus adhuc rerum propiorum imagines duplicat, & folium ſtanneum in ſuperficie convexa firmiter adplicatum requirit, cujus tamen juſta adplicatio, fatente TRABERO, (e) diffici[illegible] rifactu eſt |: quia juxta convexitatem prius typus ex cera, [illegible]gilla, aut gypſo eſt conficiendus, ut ſtannum ſuperinduci poſſit; etiam chartæ folium, quo in operatione utuntur, ut ſtannum firmiter adhæreat, ſine omni ruga eſt adplicandum: Igitur ejusmodi ſpecula vitrea parcius

(c) Teleſcopii fundam. III. Synt. III. Cap. X. pag. 633.
(d) Conf. Acta Erud. Lipſ. ad ann. 1696. pag. 338.
(e) Nervo Opt. Lib. II. Cap. XVIII. pag. 136.

cius adhibuerunt. Quodsi vero lentium vitrearum convexo-planarum superficiem planam obduxissent stanno, tot ac tantas difficultates offendissent minime, quin potius animadvertissent, talia specula vicem speculorum concavorum commode posse subire. Hinc operæ pretium fore putavi, leges radiorum in his speculis paulo penitius considerare. Sit igitur sequens

Propositio I.

Radii paralleli in speculum vitreum, cujus superficies anterior sphærice convexa, posterior plana & probe terminata est, uniuntur ante illud in distantia circiter semi diametri ejusdem convexitatis.

Demonstratio.

Sit speculum BESDB. *Fig. 1. Tab. III.* cujus superficies plana BE. stanno terminata. Incidat radius RB. axi AX. parallelus, qui in superficie convexa fractus tenderet, si posset, versus G. ac uniretur in distantia sesqui diametri: sed vero in superficie plana repulsus, reflecti cogeretur antrorsum in eadem distantia, in A., ac uniretur cum axe. At dum rursus per convexam, superficiem transire necesse habet, frangitur dimidia parte a perpendiculo L. B. hincque tendit in F. ita ut B. F. sit æqualis radio C. B. Tribuamus enim angulo BCD = alterno CBH = verticali RBL, tres partes, & habebit angulus reflexionis in ingressu, HBG = alterno BGC, 1.; cui angulus reflexionis RBA conveniat necesse est, adeoque angulus inclinationis in egressu LBA erit 4. Hinc ABF, tamquam angulus refractionis a perpendiculo, 2. & sic angulus BFC, tamquam alternus anguli RBF, qui ex angulis reflexionis & refractionis componitur, obtinebit partes 3. ut itaque triangulum FBC. sit æquicrurum, sicque BF = BC. q. e. d.

Consectarium I. Omnes igitur radii cum axe paralleli, in distantia semidiametri concurrent, & ibi adplicatæ materiæ combustibilis excitabunt incendium.

Consectar. II. E contrario candela in F. posita, radii in speculum illapsi, tamquam e foco divergentes, reddentur paralleli.

Scholion. Supponimus hic omnia, quæ alias circa specula concava metallica postulantur, aut demonstrantur, uno hoc excepto, quod de foci distantia hic videmus demonstratum. Cumque tale speculum in laternis, speciatim magicis, usum suum præstet: tale adhibendum est, cujus focus non nimis brevis, ne si admoveatur candela, hæc illud disrumpi faciat. Id quod in illis speculis vitreis causticis, quæ sunt ejusdem sectionis cum priori, timendum magis est, si superficiem convexam habent terminatam. Talium enim speculorum focus multo est brevior: Id quod clarius reddet.

Propositio II.

Radii paralleli in speculum vitreum convexo-planum, cujus convexitas terminata est, haud procul ab axe illapsi, cum hoc uniuntur ita, ut radius reflexus sit tertia circiter pars semidiametri.

Demonstratio.

Sit eadem lens vitrea BESDB. sed cujus convexitas BDSE. extrinsecus terminata speculum referat. Incidat radius MS. cum axe XD. parallelus; qui superficiem planam perpendicularis ingrediens nullam refractionem patitur, sed in S. reflectitur, ut angulo incidentiæ MSC. sit æqualis angulus reflexionis CSK, & sic DK fere dimidium semidiametri. Sed vero radius iste reflexus in egressu ad O. a perpendiculo frangitur parte dimidia, ut si angulus inclinationis KON. esset partium 2., angulus refractionis KOI. obti-

obtineret 1. & JKO, tamquam alternus cum KON itidem 2. DIO vero 3. Ut autem angulus DIO 3, ad semidiametrum CS. (nam vitri crassities hic non attenditur,) ita se habet ICS aut ICO, qui est 1. ad IO, hoc est tertiam partem semidiametri CS. q. e. d.

Consectarium I. Quia igitur focus I. nimis abbreviatur, non nisi lentes majoris sphaeræ huic speculorum generi accommodantur.

Consectarium II. Hincque specula vitrea, quorum lentis planities radios repellit, ex hoc etiam capite præferuntur.

Propositio III.

Lens plano-convexa, ad speculum planum planitie sua quam proxime admota, eundem fere focum gignit, quem speculum vitreum, cujus plana superficies terminata est, nimirum lentis semidiametrum.

Demonstratio.

Sit speculum planum BE. *Fig. 2. Tab. III.* imponatur lens plano-conxexa VTN. cujus sit radius VC. Incidat radius RV. cum axe DG. parallelus, qui ita refringitur, ut, nisi speculum BE obesset, cum axe concurreret in distantia diametri, in G. sed vero in speculo reflexus prorsum uniri cogeretur in eadem circiter diametri distantia, in J.: nisi denuo lentem vitream ingredi necesse haberet, & regressus in superficiem planam tertia parte ad perpendiculum VR, (crassities enim vitri habetur pro nulla, & sic radius VR. perpendiculi vicem subire potest) fractus tenderet versus D. Ast vero in egressu per convexitatem, ubi angulus inclinationis est LVD, iterum refractionem patitur, dimidia parte a perpendiculo VL; itaque deflectit in F. Demus igitur angulo VCT. partes 6, erit angulus GVC = VGC, 3. & similiter VIT: quia triangulum IVG habetur pro æquicruro,

cruro. Ergo etiam alternus RVI erit 3. & refractionis angulus, in ingressu, DVI, 1. RVD vero 2. Cumque LVR æqualis sit opposito VCT, erit etiam 6, & LVD, tamquam angulus inclinationis in egressu, 8; sicque angulus refractionis DVF, 4. & hinc IVF 3. cui & VIF = IVR conveniunt; adeoque VFT, 6. obtinebit. Ut itaque triangulum FVC sit æquicrurum, & VF = VC semidiameter. q. e. d.

Propositio IV.

Lens utrinque æqualiter convexa speculo plano proxime admota focum retro projicit in distantia circiter dimidia semidiametri convexitatis.

Demonstratio.

Sit lens VTNO, *Fig. 3. Tab. III.* cujus semidiametri CV, CT & IV, IO. Admoveatur ista speculo plano BE. ducatur axis IC, huicque radius parallelus RV. qui in V duplicem refractionem passus tendet versus C. & a speculo exceptus in B. repellitur versus I. denuo autem circa V. lentem ingressus tamquam perpendicularis irrefracte ad superficiem lentis superiorem pervenit, ibique dimidia parte a perpendiculo VL. refractus, cum axe conjungitur in F. Sint igitur anguli acuti C. & I, 1. & erit quoque angulus LVR cum C. oppositus 1. similiter RVI, cum I. alternus, 1. adeoque angulus inclinationis in egressu retro facto, LVI, 2. hincque angulus refractionis IVF etiam 1. & VFT, tamquam alternus cum RVF, 2. Jam: in triangulo VFC angulo F, qui est duarum partium, opponitur semidiameter VC; ergo angulo C. qui est unius, opposita sit oportet dimidia semidiameter VF. q. e. d.

Consectarium I. Hac ergo speculorum planorum cum lentibus, sive plano-, sive utrinque convexis, adplicatione

ne

ne conjuncta, eadem plane phænomena exhibere licet, quæ speculis concavis exhibentur. Nisi quod per reflexionem & iteratam refractionem radii paulisper debilitentur ac imaginem tam vividam gignere haud valeant.

Consectarium II. Quodsi lens, sive plano-convexa, sive convexa utrinque cum speculo concavo, aut vitreo convexo plano conjungatur, magnitudo imaginis multo reddetur major, attamen etiam propter refractionem crebrius factam, obscurior.

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. M. BONIF. HENR. EHRENBERGERI.
DE
Speculis ex menisco parandis.

ARchimedes, veterum Mathematicorum facile princeps, inter alia excellentissimi ingenii ac vastæ profundæque rerum mathematicarum cognitionis indicia, quibus nominis sui memoriam tradidit posteritati, hoc quoque edidisse fertur: quod speculo quodam ustorio classem Romanorum, Syracusam obsidione cingentem, in flammam dederit. Confirmatur hoc GALENI, ZONARÆ, TZETZIS, CARDANI & aliorum complurium scriptorum effatis & consensu; nec de aliis ejus ingenii monumentis ullum inter eruditos movetur dubium: Attamen de hujus historiæ veritate dubitarunt & adhuc dubitant non pauci. Immo non desunt, qui inter nugas & aniles fabulas meraque mendacia eam referre haud hæsitant: Quos inter nominare liceat GABRIEL. NAUDÆUM, Gallum doctissimum (a) &

(a) *In Syntagm. de studio milit. Lib. II. p. 658.* Ubi plures adducit rationes dubitantes, vel negantes.

& JULIUM REICHELTUM, Mathem. Profeſſorem Argentoratenſem celeberrimum, cum ejus Reſpondente auctore, *Jo. Weigero*, Argent. (b)

Credo equidem, ſi ratio ſpeculi ejusmodi aliquatenus fuiſſet detecta, non facile fuiſſe inventum, qui hiſtoriam iſtam in dubium vocaſſet. Aſt, quoniam viri docti nullo modo ſibi poterant concipere, quomodo in tantam diſtantiam, qua claſſis Romana abfuiſſe creditur, focum ſpeculo alicui conciliare valuiſſet Archimedes; inciderunt citius in dubitandi rationes, quam ut, qua arte uſtionis punctum longius comparetur ſpeculo, inquirerent. Illarum vero rationum, non quidem prorſus contemnendarum, (c) potior redit ad ſilentium ſcriptorum coævorum, aut ætati Archimedis proximorum, v. g. *Polybii, Dionis, Diodori Siculi, Livii, Plutarchi.* Id quod tamen celeb. D. LIEBKNECHT, in ſua de *Speculis cauſticis* diſſertatione, (d) multorum librorum veterum interitu factum eſſe, pluribus comprobat. Reliquæ rationes, utpote de GALENI loco aliter intelligendo, ac de auctoritatis TZETZIS exiguitate, exigui videntur eſſe momenti. At potiſſima omnium, quæ non paucos tenuit ſuſpenſos, quo minus fidem haberent huic hiſtoriæ, procul dubio eſt hæc, quod ratio latuit hactenus comparandi ſpeculi, cujus focus in tantam, quanta requirebatur, diſtan-

(b) *In Sylloge theſium ex diſciplinis mathematicis* anno 1707. publice defenſa, cujus theſis ultima eſt hæc: *Non eſt credibile, Archimedem Romanorum naves ſpeculorum uſtoriorum ſubſidio combuſſiſſe.* Vidd. Nova litt. Germaniæ, Hamburgi 1708. collecta p. 220.

(c) Quas PASCHIUS collegit, in *Inventis nov-antiquis cap. VII. pag. 730.* ubi ipſemet inclinare ad partem dubitantium videtur.

(d) Jenæ 1704. habita & in forma, quæ dicitur octava, typis excuſa p. 24. ſqq.

distantiam projiceretur. Nam extra teli jactum classis romana constituta dicitur demum ope speculi incendio consumta.

JOANNES BAPTISTA PORTA, quidem machinam promisit, sed non præstitit, quæ ad infinitam distantiam comburat; (e) & HIERONYMUS CARDANUS etiam, (f) speculum se constructurum jactavit, quo ad mille passus ignem accenderet. Utrique autem KIRCHERUS nimiam tribuit arrogantiam, & addit: Germaniam, Galliam & Italiam se peragrantem non majorem speculi ustorii focum invenisse, quam tandem Mediolani apud illustres Septalas, quorum speculum, ex metallo a *Manfredo Septala*, confectum, passuum focum quindecim habere deprehensum esset. Quæ quidem foci longitudo, aut potius brevitas, ad hoc opus minime suffecisset.

Annon autem vel casu aliquo, vel arte, speculum haberi queat, cui longior focus concilietur, hoc dubitamus minime. Quod enim ad specula vitrea ex lentibus formata attinet, de quibus in antecedente Observatione quædam attulimus: adparuit, jam focum haberi semidiametro convexitatis æqualem. Forte autem inveniemus, divina gratia adjuti, speculum, quod habeat focum adhuc majoris longitudinis, vel cujus certe focus brevior, alius ope, reddi possit longior. Hinc animus est, meditationes semel susceptas de Speculis ex lentibus confectis prosequi longius, quousque paginæ angustia permittet.

Propositio I.

Speculum vitreum ex menisco ita paratum, ut ejus terminata stanno liquato cavitas sphærica semidiametrum habeat, conve-

(e) Vid. PASCHIUS l. c. p. 731.
(f) De *Subtilitate Lib. IV. p. 158.*

xitatis pellucidæ diametro æqualem, radios parallelos illapſos retro diſpergit, ita ut prorſum ducti concurrant poſt ſpeculum in diſtantia diametri convexitatis, aut ſemidiametri cavitatis terminata.

Demonſtratio.

Sit meniſcus DOEB. *Fig. 4. Tab. III.* cujus cavitas DOE ſit terminata modo conſueto. Sit ſemidiameter convexitatis DC. & ſemidiameter cavitatis terminatæ DG. dupla. Incidat radius RD axi AX parallelus, qui ingrediens ſuperficiem pellucidam non verſus H. perget, ſed ita frangetur, ut continuatus in diſtantia ſeſquidiametri cum axe concurreret in X. ut angulus refractionis HDX ad angulum refractum XDC. eſſet ut 1. ad 2. Sed vero in ſuperficie interiore DOE, ad quam oblique incidit, reflectitur, ita ut angulo incidentiæ NDP (= XDG, tamquam verticali,) fiat æqualis angulus reflexionis PMD. Tenderet igitur repulſus verſus M, niſi iterum convexam ſuperficiem pertranſire neceſſe haberet, ut itaque novus angulus refractionis in regreſſu egreſſuque MDP. ſit dimidium anguli inclinationis LDM. & refractio radii reflexi fiat a perpendiculo, quod eſt DL. Coincidet igitur radius reflexus & refractus cum DP. quæ linea eſt perpendiculi DG. continuatio; adeoque retroducta cum axi concurrent in G. ſive ſemidiametro cavitatis DOE. Sit enim angulus HDC, = verticali RDL, = oppoſito DCO, 6. erit HDX, = vertic. RDN. 2. & XDC, = NDL, 4; CDG vero = CGD, quibus ſemidiametri opponuntur, & PDL. verticalis, habebunt 3. Erit angulus GDX. qui angulo incidentiæ PDN tamquam verticalis, æqualis eſt, 1. Cui angulus reflexionis PDM. conveniat neceſſe eſt, & ſic angulus inclinationis in regreſſu, MDL. eſt 2. hincque refractionis reflexæ angulus iterum

ſit

fit 1. adeoque MDP; & radius repulsus erit PD. hoc est semidiameter DG. continuata. q. e. d.

Corollarium I. Talismodi igitur speculum non inservit radiis parallelis colligendis, sed dispergendis, ac vicem subire potest speculi convexi vulgaris, cujus semidiameter est semidiametro concavitatis menisci hujus æqualis.

Corollarium II. Quodsi radii paralleli hic reflectuntur divergentes, multo magis divergentes illapsi, verbi gratia, ex A, post reflexionem a se invicem digredientur, ac lucis in A positæ radios speculum tale latissime disperget.

Corollarium III. Et quoniam radiorum regressio eandem servat viam, quam ingressio: sequitur, radios ita convergentes illapsos, ut in puncto dispersionis, vel centro talismodi speculi, concurrant, post reflexionem refractam fieri parallelos: Nimirum, si radius incidens esset PD. repulsum fore DR.

Corollarium IV. Ergo radii ita convergentes hoc speculo excepti, ut, si producerentur, ante semidiametrum concavitatis terminatæ concurrerent: in longissima tandem distantia unientur. Id quod per vulgaria quoque specula convexa effectui dari potest.

Propositio II.

Radii paralleli illapsi in speculum ex tali menisco confectum, cujus concavitatis terminatæ semidiameter sit triplo major semidiametro convexitatis transparentis, reflectuntur in se ipsos & fiunt rursus paralleli.

Demonstratio.

Sit pars speculi ex menisco, BOEB, *Fig. 1. Tab. IV*, & BO sit superficies terminata concava, cujus semidiameter sit BG, aut OG, convexitatis autem BE. semidiameter sit BC. aut EC. Incidat radius RB. cum axe AE parallelus,

lelus, qui ſemel fractus tertia parte ad perpendiculum, cum axe continuato concurreret in diſtantia ſeſquidiametri convexitatis, nimirum in G. Quia vero ex eodem puncto G, tamquam centro, concavitas BO ſupponitur ducta, erit ille radius ſemel fractus nunc ad inferiorem ſuperficiem terminatam perpendicularis, ſicque in ſe ipſum reflectetur, ut niſi denuo frangeretur in ſuperficie ſuperiore, retro pergeret in M, tamquam ſemidiametrum concavitatis continuatam. At vero in egreſſu retro iterum frangitur dimidia parte a perpendiculo, quod nunc eſt BL: tendet ergo in R. & repetet viam ſuam. Sit enim angulus BCE partium 3. erit hujus alternus VBC. & oppoſitus LBR etiam 3. & angulus refractionis in ingreſſu VBG. 1. refractusque GBC = LBM, 2; ſed radius ad ſuperficiem BO tendens repellitur in BM & denique frangitur in R, ut MBR ſit 1. adeoque verticalis cum VBG, ſicque tendit in ſe ipſum. q. e. d.

Corollarium I. Talismodi igitur ſpeculum vicem ſubire poteſt ſpeculorum planorum.

Corollarium II. Quodſi itaque, ſemidiametro ſuperficiei terminatæ exiſtente dupla ſemidiametri convexitatis transparentis, radii repelluntur divergentes; & ſemidiametro illa hujus tripla, radii fiunt paralleli: adparet, ſi major adhuc terminatæ concavitatis ſemidiameter ſit, quam triplum convexitatis pellucidæ, radios parallelos refractionem & reflexionem retro paſſos, concurrere cum axe in longiori diſtantia, & talia ſpecula habere focum multo longiorem, quam reliqua cauſtica. Id quod ex reliquis hujus ſchematiſmi lineis demonſtrabitur in ſequente Obſervatione.

OBSER-

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. M. BONIFAC. HENR. EHRENBERGERI.

DE

Speculis majori foco præditis.

CUm de Archimedis ſpeculis Hiſtorici & Mathematici in diverſas abierint partes, mirandum ſane eſt, de PROCLO, Philoſopho quoque gentilium & multo quidem iſto juniore, qui ſpecula uſtoria fabricaſſe, immo aliquibus primus inveniſſe, dicitur, eaque e regione hoſtilium navium, Bizantium oppugnantium, de muro ſuſpendiſſe; tantam controverſiam non eſſe ortam: etſi Hiſtorici hæc referentes eodem JOANNE ZONARA, ſex ſæculis Proclo juniore, nitantur, & ſpeculorum horum conſtructio æque ac illorum etiamnum lateat Philoſophos. Ut itaque inquirendi cauſſam habuerint, qua forma ſpecula iſta non tam fuerint, quam potuerint eſſe, prædita.

ATHANASIUS KIRCHERUS quidem, quem & celeb. LIEBKNECHTUS adducit, (*) autumat: multa fuiſſe plana ſpecula de muro ita ſuſpenſa, ut cujuslibet radii ſolis excepti ad idem punctum reflexi concurriſſent. De quo tamen machinamento, an effectui dari potuerit, laudatus *Liebknechtus*, merito ſe dubitare, dicit: quia radii per ſpecula plana reflexi & longius protracti, aut plane infirmi reddantur, aut nihil præter exiguum ſplendorem retineant.

Pace autem hujus viri, crederem equidem, non eſſe abſonum, multa ſpecula plana ad idem punctum probe directa (& quo plura, eo creditu eſt facilius,) tantæ eſſe virtutis ac roboris, ut ad magnum ſpatium incendium excita-

(*) Diſſertat. de *Speculis cauſticis pag. 43.*

re valeant, illius præsertim ligni ac materiæ, quæ, quod pix & oleum illinita sunt, facilius ignem capiunt; cum & multitudo speculorum debilitatam quoque radiorum efficaciam intensiorem reddere, immo denique ignis vulgaris calorem superare queat.

Interim tamen viri docti non destiterunt modum inquirere, quo majoris radii arcus duci, sicque etiam major foci distantia speculis causticis induci queat; cumque nullius arboris longitudo sufficiat ad semidiametrum, aut ad circinum ex pertica longissima compositum, cujus ope forma describi possit, ad quam ea cavitas speculi paretur, quæ focum vel centum pedum projiciat: alia ratione rem adgredi tentarunt. Excogitavit nimirum PERAULTIUS, doctissimus Gallus, machinam aliquam, eamque ipse descripsit in *Vitruvio suo*, gallice translato: atque ex hoc germanice reddidit JO. GABR. DOPPELMAYER, Professor. Mathem. Noribergicus celeberrimus, in *Bione continuato*, (*) cujus constructio potissimum huc redit: Axi ferreo probe complanato adplicantur duæ rotulæ, dentibus acutis instructæ; atque harum rotarum altera in extremitate axis est firmata, altera vero, quæ paululum minor, in axe mobilis, ut vel propius ad alteram adduci, vel longius amoveri ac cochlea muniri possit, prout major aut minor arcus majoris rotulæ auxilio est ducendus. Nam quo magis rotas a se removeas, eo majorum arcum rota major rotando describet, & tanto quidem majorem, quanto minor est rotarum inter se differentia, quantoque major a se invicem distantia. Utque innotescat penitius, quantum a se rotæ removeri debeant pro data arcus semidiametro, ita instituitur operatio: Nempe ad semidiametrum rotæ majoris, semidiametrorum rotarum dif-

(*) Cui tit. *Weitere Eröffnung der neuen Mathematischen Werckschule Nicolai Bions*, pag. 1.

differentiam, & radium sive semidiametrum arcus describendi, invenitur quarta proportionalis, quæ est rotarum distantia quæsita. Atque hæc inventa rotarum distantia ad diversos radios arcuum in axe probe est notanda ad futuros hujus instrumenti usus. Ubi tamen summa cautela opus est, quia etiam pili latitudine error commissus longam a vero aberrationem gignere potest. Ad talismodi igitur arcum inventa rotarum distantia ope majoris rotæ fiat sectio vel in lamina ænea, vel in charta spissiori, juxta quam speculum metallicum exacte est formandum.

Aliam rationem delineandi arcum majoris radii, sine circino, offendimus descriptam in cl. HERTELII *Anweisung zum Glas-Schleiffen*, (*) per triangulum valde obtusum, ex ligno duriore sectum & in margine probe politum. Quod dum ad duos clavos utrinque in tabula fixos adplicatum movetur, angulo suo obtuso arcum eo majoris semidiametri describet, quo angulus est obtusior. Sed de hoc instrumento melius adornando plura alia occasione, dicere animus est.

Hic vero, ubi de speculis causticis majori foco instruendis agere nobis propositum est, circinis etiam minori apertura, aut crurum cuspidumve distantia præditis, uti licet quam commodissime. Id quod nunc patebit dilucidius, ubi *Fig. 1. Tab. IV.* observationis antecedentis alteram partem explicare adgredimur sequentibus.

Propositio I.

Radii paralleli illabentes in meniscum, cujus concavæ superficiei terminatæ semidiameter ad convexæ anteriorisve superficiei pellucidæ semidiametrum habet rationem quadruplam, reflectun-

(*) Part. I. cap. I. §. 2. pag. 8. & Tab. II. Fig. 1. num. 3.

ctuntur ac franguntur ita, ut ante speculum concurrant in distantia semidiametri minoris sive convexitatis quadrupla.

Demonstratio.

Sit pars ejusmodi speculi EDS. *Fig. 1. Tab. IV.* cujus convexitatis transparentis ED semidiameter sit CD, concavitatis autem SD, semidiameter, DX, quadruplum semidiametri CD. Incidat radius QD cum axe AX parallelus, qui in ingressu ita frangitur, ut collineet versus G. ita ut GE sit triplum semidiametri EC. aut CD. At, quia XDI est perpendiculum, radius illapsus, cujus retro facta continuatio est DK, habebit angulum incidentiæ KDI, cujus reflexionis angulus respondens erit IDN. Quoniam autem radius sic reflexus per convexam & transparentem superficiem retropellitur, & frangitur dimidia parte a perpendiculo, quod jam est DH; declinabit ab N. versus F, ut angulus NDF sit dimidium anguli NDH. Sit igitur angulus ECD, = opposito, QDH, 12. partium: faciet radius semel in ingressu tractus, angulum refractum CDG, = verticali RDH, 8; & CGD (= opposito QDK,) erit 4. cui opponitur latus DX, quadruplum semidiametri minoris. Ergo lateri GX, quod hujus est pars quarta, oppositus erit angulus GDX = IDK, qui est angulus incidentiæ, cui convenit angulus reflexionis IDN. ut igitur angulus inclinationis in regressu egressuque sit NDH = 10. adeoque refractionis NDF = 5. Sed quia subtracto angulo NDH = 10. a QDH, = 12, remanet QDN = 2. erit adhuc EDQ = 3; cui = alternus EFD. Jam in triangulo CDF. semidiameter minor, sive convexitatis, opponitur angulo CFD, = 3; ergo angulus FCD = 12, qui illius est quadruplum, opponitur quoque quadruplo semidiametri minoris, DF. q. e. d.

Scho-

Scholion.

Supponimus hic ea omnia, quæ alias in demonſtratienibus dioptricis poſtulantur. 1.) Ut vitri craſſities habeatur pro nulla, ne turbetur demonſtratio. 2.) Ut latera triangulorum valde acutorum ſe invicem habeant fere ut eorum anguli opoſiti acuti. 3.) Ut hic loci in demonſtratione non petatur ſumma a nobis ακρίβεια, ſed ea, quæ tironibus ſufficiat & parum aberret. Accuratior enim plures adhuc, & radiorum illabentium, & craſſitiei ſpeculorum circumſtantias prærequirit, quæ autem inquirere, hujus loci non eſt.

Propoſitio II.

Speculum ex meniſco ita paratum, ut ejus cavitatis terminatæ ſemidiameter ad convexitatis pellucidæ ſemidiametrum ſit ut $3\frac{1}{2}$. ad 1. aut ut 7. ad 2. repellit & refringit retro radios parallelos ita, ut uniantur in diſtantia ſemidiametri convexitatis ſeptupla.

Demonſtratio.

Ne novo ſchematiſmo opus habeamus, concipiam u nobis in Fig. 1. Tab. IV. centrum X. eſſe in P. aut partem GX non eſſe majorem dimidia GP. Demus vero angulo acuto C, = QDH, partes 21. erit CDG, = KDH, 14., & CGD _ QDK, 7. Sit CD, 2. erit CG, 4; & DG. 6. DP vero (ſive DX ex hypotheſi) 7. & GP. ſeu GX, 1. ideoque ang. GDX = IDK, 1. & IDN etiam, 1; NDH vero. 16, ut relinquatur angulo NDQ. 5. Quia vero angulus refractionis in regreſſu FDN, eſt dimidium inclinationis NDH, adeoque 8, igitur ablato NDQ, remanet pro angulo FDQ ac ejus alterno CFD 3. Jam ut angulus F, = 3 ad CD: ita angulus C, = 21. ad DF, hoc eſt ſeptuplum CD.

Propositio III.

Si in speculo menisco semidiameter cavitatis terminatæ ad semidiametrum convexitatis est ut $3\frac{1}{4}$. ad 1. sive ut 13. ad 14: radii paralleli unientur in distantia circiter tredecupla semidiametri convexitatis.

Demonstratio.

Adsumatur semidiameter concavitatis terminatæ DT, ut GT sit quarta pars semidiametri CD, vel habeatur pro 1. & sic DT, loco DX adsumta, acquirat partes 13, quarum CD habet 4. Demus angulo acuto C = QDH, partes 39; erit angulus CDG, = KDH 16. & CGD = QDK, 13: angulus vero GDT = IDK, tamquam angulo incidentiæ, = IDN, angulo reflexionis, itidem 1. sicque NDQ 11.; NDH autem 28: adeoque ejus dimidium NDF, 14; a qua angulus QDN, 11. subtractus relinquit angulo QDF & sic quoque ejus alterno DFC, 3. Jam: ut angulus F, 3. est ad angulum C, 39. ita CD ad DF, At 3. est ad 39, ut 1. ad 13, ergo etiam CD ad DF eandem habebit rationem. q. e. d.

Corollarium. Quo propius igitur semidiameter concavitatis accedit ad sesquidiametrum convexitatis menisci specularis, eo longior fit ejus foci distantia.

Scholion.

Plures propositiones ut formemus, opus esse non duco. Qui enim eadem demonstrandi methodo processerit, facile invenerit, intelligi posse non modo, quam rationem semidiametri requirant ad focum quinquaginta vel centum pedum; sed & si ad mille pluriumve pedum, immo passuum focum desideres. Nimirum ad focum 50. pedum, si minor semidiameter habeat unum pedem, convenit major semidiameter $3\frac{3}{20}$. pedum; ad focum 100. pedum, si minor, sive convexitatis semidiameter unius pedis mensuram reti-

neat,

neat, requirimus semidiametrum concavitatis $3\frac{1}{35}$. pedum; ad 1000. vero pedes speculum radios parallelos uniens, concavitatis semidiametrum habebit $3\frac{1}{333}$. pedum, si convexitas ex semidiametro unius pedis fuerit parata. Id quod alia forte occasione reddituri sumus clarius.

(*Coburgo Erfordiam missa d. 8. Novembr. 1739.*)

OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. JOAN. GOTTLIEB BOETTICHER, Paraplegia perfecta, a mœrore & terrore suborta, feliciterque curata.

Centurionis status marini uxor, annos 58. nata, temperamenti cholerico-sanguinei, ad iræ incandescentiam valde prona, parva corporis statura & ante morbi insultum obesa, ultra semestre spatium priusquam malo gravi paralytico corriperetur, lassitudinem totius corporis insignem & tensivos in toto dorsi tractu, præprimis circa ejus spinam, nec non in lumbis, pedibus, persensit dolores, & mœrori posthac gravi ex variis ærumnis, fortunaque inprimis adversa tot in navi, insigne nomenque Leonis septentrionalis gerente, in qua ipsius maritus Præfecti officio fungebatur, per naufragium factum deperditorum bonorum (ex quo infortunio ipse Centurio, quasi in ecstasin raptus, magnum memoriæ suæ dispendium patiebatur) prognato, nimium dein dedita, cui paulo post improvisus terror panicus, ex incendio molæ, oleum ad smegma conficiendum suppeditantis, & non procul ab ejus ædibus distantis, corpus universum cum gravissimo sanitatis detrimento percellens, supervenit; e vestigio quasi ictu & fulmine tacta, Paraplegia, seu totius corporis resolutione,

ſolo tantum capite excepto, adficiebatur. Ut hujus morbi ſontici & perquam notabilis hiſtoriam graphice atque dilucide deſcriptam ſiſtam, ante omnia qua ratione ſymptomatum, ſub primo acceſſu mox obviorum, cohors ſeſe geſſerit, indicandum eſſe duxi. Omnibus nimirum in membris motus & ſenſus plane deficiebant, ut inſtar ſtatuæ, excepto capite, quod antrorſum & retrorſum, nec non ad latera movere poterat, cum omnium adſtantium dolore & compaſſione, erecta vel extenſa jacuerit. Per multas hebdomades inquietas tranſegerat noctes, unde in capite tam exquiſitus obortus fuit dolor, ut nullo modo vocem qualemcunque ſonoram, absque ingenti illius augmento perferre potuerit, illæſa tamen memoria & linguæ ſalva remanente quoad loquelam potentia. Sub primo Paraplegiæ inſultu frigoris tam immanis ſenſus in omnibus corporis extremitatibus obſervabatur, ut eadem gelu rigido quaſi emortuæ & penitus conſtrictæ viderentur. Excrementa alvina pariter ac urina absque ullo ſenſu prodibant; ciborum, præprimis liquidiorum, deglutitio non ſolum absque ulla difficultate ſuccedebat, ſed quod adhuc magis mirandum erat nullum plane ſenſum in œſophago abinde percipiebat, ut hinc omnia potulenta & alimenta, licet & hæc ſorbilia eſſent, in dilatatum veluti ſaccum, ſine ullo ſaporis & titillationis ſenſu, dilabi viderentur. Pulſus in utroque carpo ſemper, usque ad morbi decrementum, inæqualis & debilis, immo quandoque intermittens, obſervabatur. In dextræ manus ſuperficie uno die major, quam altero, erat conſpicuus tumor œdematoſus, ejusque digiti incurvati inflexiles & rigidi deprehendebantur, manus vero læva a tumore tali libera erat, ejusque digiti flexiliores & calidiores manebant. Quamvis etiam in erecto, vel horizontali ſitu conſtituta eſſet, ſemper tamen incurvato quaſi corpore ſe decumbere putabat. Cordis palpitationibus

nibus & frequentibus & vehementioribus in principio cum pulsu celeri, inæquali & depresso molestabatur. Alvina excretio non singulis diebus, sed tertio saltem, vel quarto succedebat. In artubus inferioribus aridura manifesta adparebat, superiores vero ab ea immunes & salvi erant. Urina tandem absque ullo sedimento in principio emittebatur.

In tali statu ægram deprehendi sub prima visitatione; jma ista sequuntur phænomena, quæ sub ulteriori quotidiana ejus continuatione & a medicamentorum præscriptiorum convenientium sedula adplicatione observavi & consignavi. Postquam ergo in tantum aliqualis mitigatio obtenta fuit, ut vigiliæ nimiæ imminutæ essent, (minime tamen narcoticis, ut Medicus *antecessor fecit,) & noctes dehinc quietiores habent, aluusqe liberior responderet & excrementa alvina, urinaque iterum cum aliquo sensu excernerentur, 1.) in linguæ totius tractu, loco amissi saporis, exquisitissimum sensum 2.) salivæ spumantis exspuitionem per integros duos menses, 3.) in ossis sacri et coxendicis regione dolores auctos & tantum non intolerabiles percipiebat, nec non 4.) quando brachia & pedes ab aliis elevabantur, dolores in juncturis graves persentiscebat, 5. quo magis membrorum, juncturarum, quin etiam dorsi, dolores increbescebant, eo magis excretio salivæ spumescentis decrescebat, 6.) superatis decem a primo accessus mei die septimanis, cum pulsus paulo magis æqualis existeret, & esculenta majori cum adpetitu, exactiorique saporis sensu in lingua & œsophago, capere pariter ac deglutire posset, urinam cum sedimento crasso majori in copia emitteret, in superiori ventriculi orificio aliqua observabatur durities per tres menses & ultra locum ibidem fixum tenens & ægrotanti anxiis & constrictoriis doloribus non levem incutiens metum, multum mihi negotii facessebat,

quæ autem medicamentis nervinis & antiſpaſmodicis tam internis, quam externis, ita diſcutiebatur, ut a loco deſcripto infra unbilicum ſe primo latitudinem unius ſpithamæ extendens, tandemque usque ad pubem in faſciculum, funis inſtar craſſi, collecta, a ſtrictura hac ſpaſtica plane remitteret, evaneſceretque. Elapſis ſic quatuor menſibus, cum a continuato medicamentorum uſu ſanitatis ſpes paulo major adfulgere iterum inciperet, dolores primo in dorſi regione, cumprimis circa os ſacrum, innominatum & coccygis, itemque femorum articulationes, atrociter ſæviebant, ut ob eorum vehementiam aliquamdiu omnem iterum amiſerit quietem, nec non ſecundo inſignem formicationis & frigoris ſenſum, cum moleſtiſſima preſſione gravatoria in ſcapularum, humerorum, cubitorum, itemque carpi & metacarpi juncturis, perſentiſcebat, quibus omnibus autem intra ſpatium duarum circiter ſeptimanarum, ſucceſſit formicatio gravior, tremor levis, dolorque diſtendens & lancinans, ac tandem cum ſenſus frigoris decremento, exiguus naturalis ſenſus & dictarum partium motus levis, præſertim a pollicibus manuum ad cæteros digitos, & a digitis ad cubitos & a cubitis ad humeros feliciter inſecutus eſt, qui a prima hac ſalutari mutatione, vel potius emendatione, intra octiduum tam evidens capiebat incrementum, ut non ſolum pollices & digitos, antea contractos planeque incuruatos, denuo aliquantulum extendere, ſed & cubitos liberius movere poſſet, ita ut, abſolutis quinque menſibus, ſuperiorum horum membrorum vigorem, ſenſum & motum plenarie reſtitutum deprehenderemus.

Ad inferiora dein reſpiciens membra, ſequentia circa illa adnotavi. Cum dorſi, inprimis vertebrarum ſpinæ & lumborum dolores increſcerent, & per univerſum pedum tractum usque ad digitorum apices ſe extenderent abdomen non

modo,

modo, sulcati instar agri; multis diversæ magnitudinis protuberantiis, a tendinum & nervorum spastica strictura subortis, obsideri incipiebat, sed & puncturæ dein, cum aliquali sensus & motus molestia, in pedum digitis animadvertebantur, quæ postmodum, spatio sex hebdomadum, per pedes & lumbos ad femora usque se extendebant, circa genu autem & tibiam frigus usque ad sensus & motus plenariam restitutionem perseverabat, hisque redeuntibus plenarie cessabat, pedesque tunc circa malleolos œdematoso tumore obsiti adparebant, quem vero pro signo restitutionis salutari habui. Notatu dignum porro erat, quod, quo magis membra pristino sensus & motus vigore frui incipiebant, eo magis inferiorum partium aridura quoque decresceret, donec tandem ista in obesitatem pristinam mutaretur. Neque minus & hoc observatu quoque dignum erit, quod incipiente sensu & motu, partibus in inferioribus passim per totam lumborum & pedum circumferentiam, nervosæ partes, instar arvi aratro discissi, in forma tuberculorum multorum elevatæ quoque fuerint, & quo magis morbus decrescebat, vel a sua vi deleteria desinebat, eo magis pulsus quoque in vigore & naturali æqualitate incresceret. Interim, licet membra pristino fruerentur robore, erecto tamen corpore, ob exquisitos dolores, in dorso & lumbis in euphoriam ejus aliquamdiu continuantes, sine fulcrorum subaxillarium adjumento, ultra sex hebdomadum spatium, progredi haud poterat, continuato tamen medicamentorum internorum & balneorum, ex formicis, a sordibus terrestribus liberatis, & herbis nervino - aromaticis præparatorum usu, grave quoque hoc incommodum tollebatur, & sic, cooperante divino auxilio, in gratiam cum sanitate pristina redibat, ut jam vegeta sanaque vivat, & omnibus suis rebus domesticis præesse queat, obambulet libere, & ædes iterum frequentet sacras, mensium fluxu debite & ordinate

dinate ad annum usque quinquagesimum primum continuante.

Pro hoc autem morbo feliciter tollendo 1.) insignem tulerunt opem Decocta ex Cortic. Lign. Guajac. Sassafr. Winteran. Rasur. Lign. Aloes resinos. Radic. Bryon. alb. Chelidon. maj. Valerian. Serpent. Virgin. Cichor. Sylv. Herb. Chamædr. Chamæpit. Betonic. Salu. Fumar. Flor. Stœchad. Arab. Serpill. Origan. Cret. Semin. Pœon. mar. Dauc. Cret. parata, & cum Tinct. Rhabarb. tartaris. ac Liquore meo aperitivo debita dosi remixta, addendo Syrup. Stœchad. Arabic. & flor. Pœon. compos. sicque usum eorum per aliquot hebdomadas continuando, ita tamen, ut quandoque loco Tinct. Rhabarb. Elixir. aperitiv. Claud.c. Tart. tartarisat. parat. adhibitum fuerit. His subjunctæ fuerunt pilulæ balsam. aperient. & abstergentes, quas singulis septimanis primi mensis exhibui, unde non modo cruditates in primis viis, a Decocto attenuatæ & præparatæ, leniter eductæ, sed & subinde excretio alvina cum euphoria quotidie subsecuta est. Dein etiam 2.) multum pariter ad curationis felicem successum contulit Tinct. anti-paralyt. m. d. cum Liqu. C. C. succin. remixtæ, & cum Infuso theeformi, ex Rad. & Herb. aperient. & nervin. parato, adsumta, cui interdum substituta fuit Essent. quædam nervino-balsam. ad gutt. XXX. vel XL. pro dosi, quin etiam tempore vespertino & circa noctem pulveres nervini cum Lumbric. terr. præpar. & exigua portione Extract. Castor. remixti, in convenientibus exhibebantur vehiculis. Inter externa eximiam inprimis opem tulerunt Emplastrum nervin. spinæ dorsi impositum, nec non Spiritus nervini cum antiparalytico quodam juncti, quibus & membra, & quandoque spina dorsi, prægressa frictione cum linteis calidis, quotidie bis & aliquando ter lavabantur, vel potius illinebantur. Abdomen, lumbi & pedum

dum plantæ, nec non ſuperius ventriculi orificium, Balſam Peruvian. nigro, per vices quoque, prægreſſa leni frictione, oblinebantur. Denique balnea ex Formicis & herbis fragrantibus nervinis, in aqua fervida maceratis, frequenter in uſum vocata fuerunt. Nec ſalutari effectu veſicatoria, quibusdam impoſita partibus, erant deſtituta. Nimis prolixum foret, totam curationis methodum, ſecundum formatas indicationes curatorias adornatam recenſere, unde ea ſaltem remedia, quæ præ omnibus reliquis maximam tulerunt opem, quibusque ſanitatis priſtinæ reſtitutionem maxime adſcribendam eſſe autumo, commemorare ſuſtinui, ſubjungere autem non pigebit, quod per vices analeptica, juſſu meo ſumta, & ἐμπέττα ex panatellis, avenaceis & hordeaceis parata, conjuncta raſura Cornucervi, Cortic. Citri rec. & Paſſulis min. nec non ex juſculis concentratis caponum, pullorum, carnis vitulinæ & herbis nervin. conſtantia, addita gelatina Cornu Cervi, ab ægra frequenter tribus poſtremis curationis menſibus adſumta, eximiæ & ſalutaris fuerint efficaciæ.

Unicum denique hoc ſcitu & obſervatu, ex deſcripti morbi hiſtoria, dignum eſſe duco, quod nimirum plerisque iis, ejusmodi morbo paralytico adflictis, primisque morbi menſibus copioſam exſpuentibus ſalivam, illæſa inſuper gaudentibus memoria, nec non urinam craſſam, cum ſymptomatum remiſſione, per tempus notabile emittentibus, doloresque membrorum, ſpinæ dorſi, femorum & lumborum, uſque ad morbi evidens decrementum perſeverantes, ſuſtinentibus, itemque iis, in quibus aridura partium denuo evaneſcit, partesque illæ ſucculentiores manifeſte evadere incipiunt, ac denique quorum membra, præſertim inferiora, in morbi declinatione oedematoſo obſidentur tumore, pulſusque magis æqualis fortior evadit, fauſtum omnino hariolari liceat eventum. E contrario au-

tem, quod symptoma admodum fonticum & periculosum constituat, atrophia partibus paralyticis superveniens, & quod eo periculosior sit illa, quo ætate provectior est æger, mecum omnes uno ore Medici confitentur experti; hinc & vicissim quin cuncti ægram nostram, ob pristinam valetudinem, sub gravioribus his circumstantiis recuperatam, inter filias albæ recenseant gallinæ, nullus dubito. Quid jam terror improvisus & gravis, inprimis in provectioris ætatis subjectis, sanguinem ad interiora, præsertim ad caput restringendo, ibidemque vel levissimam etiam causando congestionem, & hac ratione systemati corporis vasculoso pariter ac nervino præ omnibus constrictionem inducendo, ac ita fluidi nervei in illud influxum plus minusve impediendo; quin etiam, quid tristitia diuturnior, fibris partium motricibus robur & vires subtrahendo, fluidorum progressum per canales vasculosos languidiorem, eaque spissiora tandem reddendo, excretiones denique sufflaminando, atque obstructiones, immo infarctus vasorum & viscerum producendo valeant, ex hacce historia quilibet facile intelliget.

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. JOAN. GOTTL. BOETTICHER.

Gravis Memoriæ læsio, ex vehementi terrore, feliciter sublata.

CEnturio status marini, de cujus uxoris morbo paralytico satis periculoso in præcedenti historia mentionem uberiorem feci, 49. annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, qui ob naufragium, quod in littore insulæ Ferroæ navis Regia, cujus Præfectus erat, passus, & ob mag-

magnum suorum bonorum dispendium simul factum, primo in ecstasin aliquam delapsus, pauloque post memoriæ maxima privatus parte, & domum sic, præterlapsis paucis septimanis, reversus, meam implorabat opem & auxilium. Vix nominis sui in principio recordari poterat, sed instar Euripi fluctuantis oberrabat, nescius quæ quærere, nescius quæ respondere vellet, hinc quoque quando sciscitari aliqua desiderabat, quævis quæstio, quam proferebat, viginti circiter indigebat responsionibus, antequam responsi sensum memoria tenere & capere valebat. Nec tamen ideo responsi sensum memoria diu recondebat, quin uno vel duobus momentis elapsis denuo responsum excideret, ut dehinc integros dies in quæstionibus subinde movendis consumeret. Cum etiam insuper charissima ejus conjux, eodem tempore, calamitoso paraplegiæ morbo decumberet, isteque statum ejus tantum non deploratum quotidie summo cum animi dolore intueretur, mirum non erat, quod ex mœrore graviori inde suborto malum diutius perseveraret, & ad finem usque morbi illius continuaret, ita ut non nisi postquam illa reconvalescere incipiebat, æger etiam magis magisque ad pristinam redire sanitatem, mentisque suæ compos fieri deprehenderetur. A quotidiano spiritus vini usu, cui strenue indulgebat, admodum quoque memoriam debilitatam & simul exinde anorexiam inductam fuisse, hac occasione notari adhuc meretur. De reliquo sub continuato convenientium remediorum usu, observato debito regimine quoad diætam, plenariam iterum adeptus est sanitatem, ut adhuc dum incolumis & sanus vivat.

OBSERVATIO XXXVII.

Dn. D. JOAN. GOTTL. BOETTICHER.

Iracundia vehemens in senibus, causa morborum admodum sonticorum.

VIdua b. Archidiaconi Roskildensis, 82. annorum, parvi & obesi corporis, ad iracundiam summe prona, temperamenti sanguineo - cholerici, postquam anno MDCCXXXII. occasione hæreditatis distribuendæ ira gravissima accensa fuerat, paroxysmo primo apoplectico corripiebatur, qui autem convenientibus tempestive adhibitis medicamentis sublatus, in Epilepsiam terminabatur horrendam, hæcque demuo intra nycthemeri spatium in Hemiplexiam sinistri lateris degenerabat, quod motu in totum, sensu vero in tantum saltem destituebatur, cum linguæ paralysi & deglutiendi difficultate, oculorum, oris, narium & extremorum convulsionibus subinde intercurrentibus. Corpus instar trunci immotum jacebat, caput vero dolebat, quod exinde judicabatur, quoniam alteram adhuc sanam manum eidem frequentissime imponebat. In principio erat soporosa, postea insomnes ducebat noctes, & tamquam delira, varia incondita balbutiendo continuo fere mussitabat. Erecta a domesticis in altum, ponderis plumbei instar statim declinans propendebat, cum manu sana iracundiæ continuantem adhuc fervorem indicans, pulvinaria, spondam parietemque concutiebat, dentibus stridebat, frontem in rugas plicabat. Urinam sæpius sponte in principio emittebat, concurrentibus vehementioribus cordis palpitationibus summaque respirandi difficultate, quam ab aliquot jam annis solennem ipsi fuisse cognati referebant. Artus inferiores resoluti, atrophia emarcidi adpare-

parebant; superiores vero ab ea immunes, exsangues, motu tamen privati & flaccidi observabantur. Pulsus erat debilis & in læsa parte inæqualis, ac nonnunquam intermittens. Valde sitiebat, sed sitim, ob deglutitionis difficultatem, in principio extinguere nequibat. Atrocibus sæpenumero quoque tormentis hystericis, cum cardialgia & gulæ dira constrictione conjunctis, in sano statu jam dudum adflicta fuit. Interim tamen intra spatium octo dierum, cum eodem tempore, quo Phthisico civi & mercenario Roskildensi, cujus jussu eo profectus fueram, medicamenta porrigebam, ipsa illa meum quoque imploraret auxilium, omnia, adjuvante gratia divina, in melius adeo vergere incipiebant, ut verba rursus distinctius proferre, medicamenta & alimenta facilius adsumere & deglutire, atque digitos manus cum restitutione motus aliquali iterum erigere inchoaret. Elapsis dein 18. diebus non solum pedis digitos, sed & ipsum totum pedem, ad coxam usque cum decremento atrophiæ & motus sensusque restitutione, erigere & movere poterat. Hebdomadibus quinque vel sex superatis, status morbi, antea ab omnibus pro deplorato & conclamato habitus, medicamentorum efficacia, & continuo usu ita erat immutatus, ut fulcris subaxillaribus rejectis, ad progrediendum non modo in cubiculo, sed & ex eo ad alia loca domestica, pedibus, cum omnium familiarium admiratione & gaudio quodammodo uti posset; siquidem brachii, nec non manus digitorumque motu ac vigore eousque denuo potita tum temporis erat, ut pro esculentis & potulentis adprehendendis & ad os admovendis, iisdem libere uti potuerit. De reliquo a tertiæ septimanæ fine usque ad terminum plenariæ restitutionis longorum filamentorum, in frustula discerptorum, ex substantia mucida & glutinosa tenaci coalitorum, intermixto simul sanguine congrumato & atro, mox majorem, mox minorem, cum

 metu

metu ſuffocationis, graviter tuſſiendo, expectorabat quantitatem. Hoc phænomenon ſicuti notatu non prorſus indignum eſt, ita & hanc circumſtantiam non minorem quemlibet rapere poſſe in admirationem arbitror, quod remittente interdum ad aliquot horas peculiari hac excretione, ſtatim per renes cum urina ſimilis materia, qualis tuſſiendo ejiciebatur, inſigni in copia, cum ſenſibilioribus doloribus, dyſuriæ & ſtranguriæ alias familiaribus, pariter per aliquot horas emitteretur, & ſic ceſſante denuo per hanc viam materiæ iſtius evacuatione, expectoratio dicta alternatim cum reſpiratione ſumme difficili, & graviſſima tuſſi recurreret, ſicque binæ hæ ſingulares & crebrius repetitæ variationes fere eccriticæ, mutuum inter ſe commercium in ægrotantis euphoriam & ad ſalutarem uſque morbi eventum, mirum in modum ſuſtinuerint. Septimo tandem menſe finito cunctis ſuis domeſticis officiis iterum præeſſe inchoabat, adpetebat, comedebat, potabat, ut ſana, & cum priſtina plenarie in gratiam redibat valetudine. Superatis vero novem menſibus, inconſtans, lubrica & mutabilis fortuna huic annoſæ matronæ adeo infida iterum erat, ut cum familiarium quidam altercando ei rurſus bilem & ſtomachum immodeſte & graviter moverint, ex improviſo & exſpectatione citius, apoplexia correpta, ſubito vivere deſierit.

OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. D. JOAN. GOTTL. BOETTICHER.

Vertigo ſatis vehemens, a nimio potu Coffee, aliisque in diæta commiſſis erroribus.

MErcenarius & civis Hafnienſis 38. annorum, temperamenti cholerico-melancholici, a prima ſtatim juventute iracundiæ admodum deditus, quotidiano tan-

tandem usui Decocto fabarum Coffee, admodum saturato, usque adeo adsuescebat, ut & continua inter jurgia cum emtoribus suis illud indesinenter sorbillaret, unde primo somnolentia fere continua, deinde, elapsis duobus mensibus, vertigine corripiebatur tenebricosa, tam atroci, ut neque in publicum prodire, neque cum aliquo citra intercurrentem soporem, colloqui, vel rem aliquam habere potuerit. Quamquam autem satis jam vehemens & periculosum fuerit hoc malum; majora tamen illud & fere stupenda, ex comestione improvida & copiosa, immo vix non quotidiana, halecum sale conditorum, cœpit incrementa, ut inde lecto prorsus adfixus fuerit. Quotiescunque se ex uno latere in alterum devolvere, vel a pulvinari se erigere & caput attollere nitebatur, toties vertigine, dolore capitis gravativo, distensivo & spastico comitata, corripiebatur. Vertigo hæc descripta, cum somnolentia ab initio statim occurrente, indissolubili quasi vinculo connexa manebat, & hinc utraque hæc symptomata, omnino indicia instantis Cari, vel Apoplexiæ potius imminentis haud levia præbebant, quæ tanto certiora videbantur, postquam etiam de visus obscuratione, de coruscatione, & ante eorum aciem hinc inde obvolitantibus imagunculis variis, nec non de memoriæ læsione, de tinnitu, susurru aurium & obauditione æger conquerebatur. Neque etiam hæc satis jam periculosa calamitas sola mansit, sed & alia parum eidem absimilis, brevi post successit, dum nempe in tantam, cum febre lenta, incidit maciem, ut intra spatium exiguum magis sceleton, quam hominem repræsentaverit vivum, cum tamen torosus & mediocriter obesus antea fuerit. Nulla adpetebat esculenta, quin potius nauseam habebat gravem, sitiebat vero enormius, borborygmi audiebantur multi, & tantum non continui. Cardialgia flatulenta, nec non ventriculi & intestinorum tormina ipsum excruciabant frequenter

&

& graviter. Cordis palpitatione fere continua, nec non capitis doloribus, circa tempora & frontem potiſſimum ſævientibus, atque alvo pertinaciſſime adſtricta, inſuper divexabatur. Pulſus erat tardus, debilis, contractus ſæpeque intermittens, & quidem tunc præcipue, quando Cardialgia flatulenta majora capiebat incrementa, quo tempore etiam vomendi conatibus inanibus valdeque anxiis plerumque torquebatur. Urina utplurimum erat ſaturata, ſeu ex brunno rubra & craſſa. Curatio ipſa tandem, divino Numine opitulante, ſequentibus abſolvebatur remediis: 1.) Digeſtivis, aperientibus & attenuantibus, tam in forma ſicca, quam liquida; 2.) Enematibus; 3.) laxantibus per vices lenibus repetitis; 4.) Decocto pro potu ordinario, ex anticatarrhalibus, cephalicis, aperientibus & diureticis parato; 5.) Venæſectione in pedibus; 6.) antiſpaſmodicis cum ſalibus neutris & debitis vehiculis; 7.) balſamicis & roborantibus, quæ colophonem imponebant, & nunc incolumis ſanuſque vivat & multorum liberorum pater evaſerit.

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. JOAN. GOTTL. BOETTICHER.

Epilepſia terrifica, a lue peſtifera neglecta & præpoſtere tractata.

Anno MDCCXI. menſ. Novembr. miles gregarius ex claſſe regia ad Noſodochium præſidii militaris defertur, qui, ſuperata lue peſtifera, cum qua in nave quadam graviter conflictatus fuerat, paulo poſt ex nefanda tempeſtivæ medicationis procraſtinatione & ſordida negligentia, morbo correptus erat comitiali truculento. Etenim cum is, qui debitam valetudinis curam ibi gerere debebat, ei & compluribus aliis, lue iſta infectis, neque medicamina

na exhiberi convenientia curaverit, neque etiam necessitate ita exigente tempestive & satis perite morbum ipsum infringere adlaboraverit, factum hinc est, ut beneficio naturæ adhuc robustæ, sub primo febris pestilentialis accessu eruperit bubo circa parotides, qui autem, cum ad suppurationem non pervenerit, vehementissimos capitis dolores, agrypnias, diraque & atrocia deliria induxit, & sub vehementissimo horum symptomatum gradu retrocessit, ejusque in locum brevi post, per singularem procul dubio metastasin, alii duo in inguinibus successerunt, qui vero pariter neglecti nullamque ad maturitatem redacti, ob similem salutaris suppurationis defectum, evanuerunt, ac statim adeo atroces in omnibus membris excitarunt dolores, ut instar totidem arcuum contracta adparuerint. Hisce omnibus quoque neglectis tandem sontico isto morbo correptus fuit æger, & sic ut epilepticus ex classe regia in nosocomium delatus, meæque curæ concreditus fuit. Observavi tunc, quod quolibet die duobus paroxysmis epilepticis periodice infestaretur. Prodromi illorum erant tenebricosa vertigo, temulentia, agendorum oblivio, tremor & rigor extremarum corporis partium, nec non palpebrarum superiorum & labiorum oris motus tremulus; postquam vero ita aliquoties recursum suum servaverant hi paroxysmi, tunc etiam membrorum rigiditas a doloribus suborta, majus incrementum cœpit.

Curationem quod attinet innotuit mihi multa ab experientia, quod bubones, circa inguina & inprimis parotides erumpentes, nondum ad maturitatem deducti, sed a commissis erroribus potius retropulsi, non solum statum periculosum, sed sæpius funestum exitum attraxerint: Hinc antequam Epilepsiam profligare adnitebar, e re esse ducebam, ut initium cum diaphoreticis, bezoardicis & alexipharmacis facerem, quorum usu ad istum sanitatis gradum

quoque pervenit, ut non ſolum membra hactenus contracta iterum extenderentur, & ad priſtinum redirent ſtatum, ſed etiam Epilepſia ſemel nonniſi ſingulo octiduo cum levioribus ſymptomatibus recurreret. Multis interea in locis elatiora quædam in conſpectum prodibant ecthymata, purpuram albam referentia, lympha acerrima repleta, & poſt crepaturam ſtigmata cœruleo-nigra ad quartum uſque diem relinquentia, quæ poſthac cutim deſcalpendo, ſine ulteriori aliquo incommodo, evanuerunt. Reſtitanti & quovis octiduo ſemel leviter recurrenti Epilepſiæ ſpecifica antepileptica cum bezoardicis remixta, ſedulo oppoſui, ſic per Dei gratiam feliciter a graviſſimo hocce morbo liberatus, e noſocomio dimittebatur.

OBSERVATIO XL.

Dn. D. JOAN. GOTTL. BOETTICHER.

Apoplexia levis & pedis dextri Pareſis, a fluxu hæmorrhoidali ſuppreſſo oborta, tandemque in Apoplexiam funeſtam terminata.

VIr robuſtus, quadraginta octo annorum, ſartor & civis Hafnienſis opulentus, temperamenti cholerico-ſanguineo-melancholici, animi moroſi, admodum invidi & iracundi, ut a leviſſimis cauſis vehementer commoveretur, ex improviſo, cum a medicaſtro chirurgo Hafnienſi naſutulo, hæmorrhoidum fluxus (quem ſingulari naturæ beneficio, utpote plethoricus, & per multos annos hypochondriacus, ordinate hactenus expertus fuit,) adſtringentibus eidem ſuppreſſus fuit, Apoplexia ſatis vehementi, non tamen prorſus funeſta corripiebatur, quæ deint adhi-

adhibitis convenientibus remediis, in dextri pedis Paræsin degeneravit, hacque quoad maximam partem sublata, tanta tendinum istius pedis subsequebatur rigiditas, ut sine summa molestia incedere & obambulare haud potuerit. Oculi ipsius inde notabiliter minores evaserunt & intro quasi acti adparebant, hincque torvus omnes semper intuebatur obvios. Intemperantiæ admodum erat deditus, ideoque quando vino inebriatus erat, sæpenumero & tantum non, semper Epilepsiæ paroxysmo graviter tentabatur. Acidulis & thermis Pyrmontanis, suasu b. Dn. D. *Lahmii*, Practici Hafniensis, usus quidem fuit, sed magno cum detrimento, siquidem loco speratæ sanitatis, tendinum & nonnullorum musculorum pedis rigiditas, incrementum non exiguum, cum frequentius recurrente paroxysmo epileptico, postmodum cepit, qui antea, tametsi sæpius mero oneratus fuerit, non adeo vehemens frequensque fuerat. Ad historiam morbi paulo accuratius concipiendam recordari non pigebit, quod priora pathemata hypochondriaca cum augmento mali, potissimum consistere deprehenderim in copiosis doloribus spasticis, circa hypochondrium præcipue sinistrum sese exserentibus, molestissimo flatuum proventu, intumescentiam sæpius renitentem efformante & ad suffocationem usque cum frequenti tussi sicca, urgente, borborygmis multis, tormentis colicis fere similibus. Strictura gulæ atroci & frequenti, cardialgia dira & pertinacissima alvi obstructione, quorum omnium intuitu non solum phlebotomiam in pede sinistro institui curavi, sed & medicamenta adpropriata, ac ad hæmorrhoidalis fluxus revocationem congrua, exhibui, quibus etiam morbi ferocia aliquatenus quidem mitigata fuit, sed hæmorrhoidum beneficium nondum conciliari vel reparari multoque minus morbus tam inveteratus eradicari poterat. Hinc fluidorum dyscrasiam tollere nitebamur remediis alteranti-

 bus,

bus, Cacochymiam bilioso-acido-crassam, viscidam, in primis viis & mesenterio stabulantem, incidentibus, praecipitantibus, abstergentibus & evacuantibus, vitia hepatis corrigentibus, primarum viarum pariter ac reliquorum abdominis viscerum spasticam stricturam tollentibus, atoniam autem externarum partium auferentibus, easque roborantibus; porro meningum cerebri laesam oscillationem, indeque dependentem totius systematis nervosi & omnium membranarum, fibrarumque motricium partim irregularem contractionem spasmodicam, partim etiam atoniam emendantibus, & quidem in forma Decoctorum, infusorum, essentiarum, pulverum & pilularum, non neglectis externis tonicis congruis, ex spirituosis, oleosis & balsamicis paratis ac subinde adplicatis, hisque omnibus tandem obtinuimus, ut pedis rigiditas non modo a pristino suo rigore multum remiserit, aegerque passim in civitate obambulare, suaque officia exequi potuerit, sed & paroxysmus epilepticus mitior evaderet, rariusque recurreret, quin & pathemata hypochondriaca leniora persentiscerentur. Pulsus dextrae manus interim durus, inaequalis, saepe celer, saepeque intermittens observabatur.

Quoniam vero dissoluto & inordinato vitae generi, intemperantiae gulae & iracundis commotionibus nimium indulgebat, atque ab hisce vitiis, non obstantibus quotidianis meis dehortationibus, abstinere noluit, Apoplexia tandem, quam illi ante quatuor annos certissime sub his circumstantiis aliquando eventuram praedixi, subito extinctus fuit. Hoc vero praesagium eo certius confirmare potuit eventus, quo manifestius jam erat, quod ob incrementum contractionis oculorum, dolorumque pedis & occipitis spasticorum, quin etiam ex levi quacunque occasione recurrentem Epilepsiam & pertinaciter continuantem morbum inveteratum abdominalem, depravata denique fluida

&pro-

& proſtratum ſolidorum tonum totius machinæ ruina proxime jam jam immineat.

(Hafnia Erfordiam missa d. 22. Novembr. 1739)

OBSERVATIO LXI.

Dn. D. GOTTWALD SCHUSTERI.

De

Lethali baccarum Solani furioſi effectu.

Nuperrime Dn. D. *Dehne*, Poliater meritiſſimus, ſententiam meam de quandam tranſmiſſa bacca per litteras rogabat, quas idcirco una cum reſponſoriis meis, majoris illuſtrationis gratia, communicare placet.

P. P.

Præterita hebdomade tragicus caſus, notatu perquam dignus, Franckenbergæ accidit, ſcilicet vir quidam ex aquilegum ordine ejusdem loci, muneri ſuo ſatisfacturus, fontes ſalientes viſitabat, in via autem publica nigras baccas e frutice quodam ſibi ignotas decerpebat ac commedebat, ob gratum ſaporem dulcem numero duodecim earum deglutiens, unde paulo poſt crebriores admodumque vehementes vomitus, anxietates præcordiorum ac convulſiones ſubſequuntur. Suaſu pharmacopœi ibidem adhibentur bezoadica calida & volatilia, hinc circulatio ſanguinis non ſolum turbatur, ſed etiam gravis orgaſmus excitatur, concurrentibus pluribus aliis perquam ſonticis ſymptomatibus, e. g. delirii maniacis, obſtructione alui, &c. quæ lethali tandem exitu finiebantur. Hinc quæritur non immerito: Annon hæ baccæ fuerint a Solano *ſic dicto* furioſo *deſumtæ? inſuper etiam una earum pro examini tranſmittitur. Re bene indagata ſubmiſſe*

rogito, velis mentem tuam haud gravatim paucis mihi declarare. Interim vale & fave.

T.

D. Dehne

Responsoriæ.

P. P.

Baccas, quarum unam ad indagandum mihi misisti, Solani lethiferi & furiosi, *alias* Bella donna *dicti, fructus esse, pro certissimo habere potes. Id enim non tantum ex effectu, quem reliquit, lethali innotescit, sed bacca etiam descriptioni, quam Botanici dare solent, est quam simillima. Describitur vero, quod similis sit cerasis nigris maturis, facile invitet aut pelliceat, ut iis vescantur infantuli aliique, qui noxiam ejus indolem non exacte cognitam tenent. Multa a Scriptoribus rei botanicæ consignata jam prostant exempla eorum, qui ab esu baccarum hujus Solani neci dati sunt. Num autem pharmacopœus ejus loci non in eo deliquerit, quod bezoardica calida & volatilia exhibendo, vim baccarum deleteriam altius in massam sanguineam immiserit? ego adfirmare nullus dubito, existimans, in ejusmodi casu curationem oleosis, ad emesin usque sumtis, securius instituendam, primasque vias ab isto veneno vegetabili ante omnia repurgandas esse. Cura, ut iste casus Actis Naturæ Curiosorum inseratur, aut si mavis, ego, rectius de tota re instructus, curabo. Ita sentio.*

T.

D. S.

Epicrisis.

Equidem hoc venenum vegetabile, præter deleteriam & causticam acrimoniam, dulci viscedini immixtam, alio quoque principio sulphureo, sensus ligante, & motus

vitales

vitales turbante, gaudet, ut hinc medicamenta, quæ contra venena mineralia septica alias adhiberi solent, hoc in casu non sufficere videantur; & ego ratione ductus omnino judico, Solani furiosi principio virulento & corrosivo insimul sulphur quoddam narcoticum & mortiferum, Opio, Hyoscyamo, cicutæ aquaticæ, Strammonio, Daturæ Indorum, aliisque plantis ecstaticis & divinatoriis, stupori inferendo aptis natis, non absimile, verum potentius, conjunctum esse. Interim tamen etiam observatio quandoque docuit, lac tepidum cum oleo amygdalarum dulcium, sine igne expresso, largiter sumtum, ventriculum ad emesin provocasse, & tali modo deleteriam massam rejectam fuisse, qua remota, brevi post omnis mortis metus evanuit. Ventriculo & intestinorum canali probe purgato, pauxillum Theriacæ vel Mithridatii exhiberi lenisque inde sudor expectari potest, sub quo principium subtilius sulphureum, naturæ & generi nervoso maxime infensum, e massa sanguinea proscribatur. Si enim unquam, post adsumtum venenum minerale, motus spastici & convulsivi oriuntur atque lacteis & oleosis mitigantur; utique omnia ista phænomena, quæ post deglutitionem baccarum Solani furiosi in adducto hoc subjecto observata sunt, non nisi spasticæ stricturæ solidarum partium, & ex his inprimis membranosarum & nervearum tensioni tribui possunt, & nunquam etiam talia, si modo curationi locus fuerit, certius, quam invisçantibus iterum mitigata sunt; inprimis cum per eadem hæc remedia virulenta simul & peccans causa α. ω tollatur, qua sublata, cessat effectus.

OBSER-

OBSERVATIO LXII.
Dn. D. GOTTWALD SCHUSTERI.
De
Innoxio vapore ex maceratione telarum goſſipinarum in officinis fullonicis Chemnicenſibus.

CUm quotannis non tantum tot millia goſſipinarum telarum, (quas *Cannefas* & *Parchend* vocant, a noſtris textoribus conficiantur, ſed etiam in officinis fullonicis & inſolatoriis, (quarum duodecim extra urbis noſtræ mœnia numerantur, idque ſingulare habent, quod in iis Batavorum linteaminum inſolandi ars ſi non ſuperetur, tamen perfecte exæquetur,) ad futuram inſolationem præparentur & diſponantur, quæ præcedentem diuturniorem macerationem in ſero lactis vaccini requirit, quo cruditates ſuperſtites extrahantur, mirum ſane eſt, a putrido & nauſeoſo odore, qui ſub iſta maceratione exhalat, non frequentius inter noſtros populares & fullones malignos & peſtiferos oriri morbos. A primis enim temporibus exiſtimatum fuit, quod corrupti & putridi vapores, ex maceratione Lini, Cannabis & Spartii provenientes, vi caloris ſolis aëri immiſceantur, reſpiratione attrahantur, & morbos malignos ac contagioſos poſtmodum excitent. Jam vero ſi in officinis noſtris fullonicis telæ goſſipinæ ſero lactis veteri admodum diu immerſæ & maceratæ ſunt, tandemque ad inſolandum in planitie quadam exponuntur, dici haud poteſt, quam nauſeoſus & quaſi cadaveroſus fœtor inde exhalet, qui per varios ventorum flatus hinc & inde fertur & diſpergitur; nec tamen unquam a noſtris Phyſicis & Medicis obſervatum eſt, opifices in hoc labore occupatos, præ aliis hominibus morbis ſubjectos eſſe contagioſis. Immo, quæ ſingu-

ſingularis Dei gratia eſt, Cheminicium noſtrum, quantum quidem ego reminiſcor, & quousque praxin medicam hic exerceo, nunquam de epidemicis morbis querelam quandam movere neceſſe habuit, nedum unquam de endemiis, fullonum genti individualiter familiaribus. Quamquam itaque experientia contrarium demonſtret, exhalantes nempe a telis, inſolationi exponendis, vapores non adeo noxios eſſe: tamen me non injuſte facturum ſpero, ſi paucis expoſuero, quibus ex cauſis fiat, quod prædictæ exhalationes in noſtra regione non tam nocivæ ſint, cum in locis extraneis, aliisque mudi plagis, inprimis Italiæ oris, ſatis peſtiferæ animadvertantur. Qui Linum, Cannabem & Spartium in aqua emollita & macerata aërem inficere & corrumpere credunt, id ex ingrato odore, quem pro effectu putredinis habent, demonſtrare volunt, eundemque magnam vim morbos excitandi habere ſtatuunt. Equidem non negandum eſt, quod aër ſub inſpiratione in pulmones ingreſſus, ad id potiſſimum inſerviat, ut ſanguinis progreſſum vi ſua elaſtica & expanſiva urgeat, adjuvet & ſpiſſiorem ac motui ineptum hunc humorem reſolvat ejusque attenuationem promoveat, qua ratione idem ille omnino immediate ſanguinis maſſam adficere & alterare poteſt. Conſtat enim unicuique jam jam per experientiam, quod reſpiratio cœlo exiſtente ſereno totum corpus quam celerrime reficiat; cum e contrario eadem in locis, ubi aër craſſior multisque peregrinis halituoſis impuritatibus refertus atque corruptus eſt, non tantum parum reficiat, ſed etiam homines imbecilliores reddat. Ita hac quoque ratione aër variis heterogeneis, putridis & corruptis particulis imprægnatus, atque per pulmones ſanguini commixtus, tam ejus circulum retardare nimiumque turbare, quam fundamenta ſucceſſuræ putredinis & diſſolutionis in ipſa ſanguinis maſſa ponere valet; unde etiam in corrupta diatheſi ſanguinis malignorum

& pestiferorum morborum originem & indolem consistere, complures Medicorum autumant, utut etiam ii, qui contrarum evincere conantur, quoque non desint.

Quod itaque ad causas attinet, quarum beneficio incolæ nostri neque tam pestifero cæteroquin vapore inficiuntur, neque ab aliis etiam morbis infestantur; omnino aperte confitemur, id primario ex specialissima divina fieri gratia, quæ benignissime & clementissime avertit, ne miasma malignum in corpora tam facile penetret; secundario vero ad causas naturales præ aliis sequentes referendas esse, nos quidem, salvo doctiorum judicio, statuimus. Primo flumina, officinas fullonicas præterlabentia, multas noxias particulas ad se trahere, veritati videtur quam maxime consentaneum: Sicuti enim observatio docet, quod patina, aqua frigida repleta & in hypocausto, tabaci fumo referto & cooperto, seorsim posita, illum omnem attrahit, indeque aqua flava, & summe fœtida evadit; ita potissimum etiam præterfluentem undam multum ad aëris depurationem conferre, ex physicis abunde demonstrari potest. Deinde urbis situs, ventis septentrionalibus inprimis expositus, secundam causam physicam constituit: ventis enim, præcipue aquilonaribus, inest vis vapores corruptos coercendi & enervandi; & quemadmodum aër calidus & siccus virtute pollet, nubilum cœlum expandendi & particulas putridas in motum deducendi; ita ex adverso frigidus expansionem imminuere, motum halituosorum miasmatum cohibere, &, quo ista minus exaltentur, vel venenosam indolem nanciscantur, impedire solet. Tertia causa est, quod ob loci nostri planitiem, venti absque ullo impedimento undique libere permeare, aërem ubique depurare, noxios vapores dissipare; & miasmata jam jam ad putridam corruptionem inducendam aptissima summeque proclivia, celerrime annihilare possunt. Hisce adcedit quar-

to,

to, quod urbs noſtra ad radices Sudetorum montium extructa ſit; cum vero aër montanus reliquis ſemper ſalubrior habeatur, itaque ejusdem uſum etiam aliquid ad loci noſtri ſalubritatem conferre poſſe, non immerito judicandum eſt. Atque hæ ſunt cauſæ phyſicæ, quæ probabiliter efficiunt, quo minus dicti peſtiferi vapores incolis noſtris noxam inferant, morbosque ſonticos producant. Quod vero in ſpecie inſolatorum gentem concernit, hæc quidem præ cæteris incolis, periculo infectionis ſubjecta videtur, ſed tantum abeſt, ut ideo ſingularibus & frequentioribus adficiatur morbis, ut potius optima gaudeat incolumitate. Horum autem ſanitati, noſtra quidem ſententia, fortiſſimus ille motus, quo ſemper opus habent, in ſubſidium venit, dum non raro linteamina telasque tundendo ruſticos in horreis ſuperant, unde hoc labore eorum corpora & partes ſolidæ in ordinario ſuo vigore & elatere magis roborantur, circulus ſanguinis optime coſervatur, perſpirationes & reliquæ ſe - excretiones promoventur, ut hinc miasma inſpiratum, vel deglutitum, aut alio modo corpori inſinuatum, per excerniculum conveniens commode ſatis ac tempeſtive iterum removeri queat.

OBSERVATIO XLIII.

Dn. D. GOTTWALD SCHUSTERI.

De

Inſalubri Thermarum Wolckenſteinenſium uſu.

Thermæ Wolckenſteinenſes per æſtatem an. 1736. inſalubres magis, quam ſalubres extiterunt, in cujus phænomeni rationem in præſentiarum paucis inquirere mecum conſtitui. Fuit autem contrarii effectus primaria

cauſa tempeſtas humida & frigida, quæ per totam æſtatem continuavit & duplici reſpectu Thermarum virtutem immutavit: 1.) Quoniam ex perpetuis pluviis aquæ ſic dictæ ſylveſtres & ferinæ adcreverunt, quæ partim fluminum inſtar Thermas inundarunt, partim circulationis lege ad easdem reſtagnarunt, unde factum eſt, ut debiliorem monſtraverint effectum; 2.) quia ob eandem illam tempeſtatem aer ſimul frigidus & humidus, ideoque ad uſum Thermarum plane inutilis & perniciosus redditus fuit. Fibræ enim partium corporis muſculoſarum, uſu thermarum relaxantur, pori ampliores fiunt & motus ſanguinis inteſtinus & progreſſivus magis adceleratur. Cum vero ægris quibuscunque, uſu thermarum finito, maxime conducat, ut deambulando in aere ſereno & calido corpus ad ſenſibiliorem uſque tranſpirationem exerceant & proportionatum fibrarum tonum, qui in aere ſicco nimium intenditur, in humido vero magis relaxatur, partibus reſtituant, quo ſeroſa & ſalino-acris colluvies, a maſſa ſanguinea, durante balneorum uſu ſeparata, tali exercitio plenarie removeatur; facile hinc concludi poteſt, quod neque hic etiam ſumme ſalutaris & neceſſarius ſcopus ſub intemperie aëris frigido-humida obtineri poſſit. Quando enim nec cœlum ſerenum, nec aër ſiccus & purus eſt, eaque ex cauſa fibræ debiles ad naturalem tenſionem reduci nequeunt; tunc ſane excretio ad ſanitatem conſervandam adeo neceſſaria ſupprimitur, impuritates in corpore retinentur & adcumulantur, natura imbecillis redditur, artus laſſitudine quadam fatigantur, & ægri ipſi laudabilem alioquin effectum, corporis nempe agilitatem, non obſequuntur, ſed potius, prout cauſa morbifica, antea in actum deducta, circa hoc vel illud viſcus denuo obhæreſcit, novis & interdum gravioribus pathematibus ſubjiciantur. Quod enim thermæ non tantum partes corporis humani ſolidas, juxta virtutem

ſuam

suam intrinsecam, confirmando aut emolliendo, adficiant; verum etiam cumprimis in fluidas agant, & a sanguine varias heterogeneas impuritates liberent atque separent, tam ratio, quam experientia, fidissima rerum magistra, demonstrat. Ipse hoc laudabilis se- & excretionis effectus partim per excitationem motus intestini, qui omnibus fluidis ad praeoccupandam plenariam mixtionis dissolutionem, necessarius est, partim per accelerationem motus progressivi obtinetur, quemadmodum etiam hoc similiter in flumine observamus, quod, sicubi celeri cursu ferri incipit, subito semper turbidum redditur & arenam, limum & lapides, motu quodam quasi rotatorio, secum abripit & abducit; omnes vero istas heterogeneas materias, simul ac in cursu citatiori deficit, iterum dimittit & rejicit. Hisce fundamenti loco positis, quaestio movetur: Num ex isthoc perverso thermarum effectu certa & definita morbi species, v. g. Apoplexia, &c. in subjectis iisdem utentibus praedici possit? ad quam vero negative respondeo. Quemadmodum enim materia peccans, aut sanguis serosus, acris & scorbuticus, aut ejusdem, etiam legitime constituti, nimia quantitas adesse potest, atque secundum variam corporis dispositionem, modo haec, modo alia viscera corporis humani occupat; ita varii generis aegritudines oriuntur. Quamobrem si causa morbi in pectore haeret, tunc respiratio difficilior evadit & asthma subsequitur; si in artubus nidulatur, dolores arthritici & rheumatici exsurgunt; sin vero visceribus abdominis impacta est, tunc facile Hydrops ascites & oedemata superveniunt. Quodsi tandem etiam exempla consignata prostant, & aegrotantium sub balneorum usu apoplexia corruptorum, id meo quidem judicio in praedispositis subjectis ita evenire solet: Habitus enim corporis ex usu thermarum magis emollitur & relaxatur, tonus vero fibrarum naturalis, ob defectum aëris siccioris non restituitur

tuitur, ideo humores a partibus corporis externis magis absorbentur, siquidem solidæ partes, ex causa supra commemorata, dum æquilibrium has inter & fluidas ex parte imminuitur, fluidis debite resistendi & humores reprimendi energia non amplius pollent. Quando itaque ejusmodi subjecta sub his circumstantiis thermas iterum ingrediuntur, tunc profecto mineralis aqua sanguinem uno impetu ad caput, quod extra balneum liberum est, congerit & restringit, quoniam minerales thermarum aquæ, & inprimis Wolckensteinenses, vim habent, vasa corporis magis premendi. Quo lenior itaque & remissior antea in solidis adesse deprehendebatur motus, eo magis statim in gradu suo augetur strictiorque redditur a vi aquæ pressoria. Sanguine vero a calore thermarum vehementer ad orgasmum usque commoto & copiosius versus capitis vasa interiora & plexum choroideum restricto & accumulato, tandem plus justo vasa illa distenduntur, facileque inde rumpuntur, & sic lethalis ille adfectus, Apoplexia nempe, inducitur. Quodsi vero per poros vasorum serum sanguinis copiose transudat, aut circa nervorum principia restagnat, transitum spirituum impedit, eademque plus justo humectat, tunc nimium quantum relaxantur nervi, & in eodem latere, in quo istiusmodi transudatio vel collectio serosa contingit, Paralysis aut Hemiplexia oriri solet.

OBSERVATIO XLIV.

Dn. D. GOTTWALD SCHUSTERI.

Vulnus sclopetarium in facie feliciter sanatum.

Rusticus 30. annorum explosione sclopeti, grandine plumbea minori onerati, ex improviso ita vulneratur,

tur, ut maxima nitrati pulveris portio, unacum grandine in latere dextro faciei, penes os malæ ingressa, sub processu zygomatico, usque ad meatum auditorium penetraverit. Vulnus æqualiter rotundum tanta pollebat dimensione, ut digitus minimus facile immitti potuisset. Tota facies pulvere pyrio undique consperſa, & hinc inde ambustionem passa erat, insimulque ejusdem grana quædam oculum dextrum læserant, præcipue autem unum horum, per tunicam corneam transiens, iridem petierat, ut, effuso aqueo humore, oculi bulbus collaberetur formamque suam amittere videretur. Sub prima deligatione vulnus a stupa & pulvere nitrato, quantum fieri poterat, liberabatur, & granula minora e cute extrahebantur; quoniam vero impossibile erat omnem stupam grandinemque plumbeam una vice absque aliqua incisione, removere, hæc vero ab metuendam simul læsionem arteriæ temporalis insecura adhuc videbatur; hinc vulnus interim cum convenienti unguento digestivo deligabatur, & faciei imponebantur sacculi resolventes vinosi, oculo autem læso immediate mucilago Semin. Cydon. leniter camphorata adplicabatur. Dicta hac methodo per aliquot dies continuata, suppuratio bene successit, & simul cum pure cocto relicta stupa, & frustulum fracti processus ossis zygomatici prodiit. Præmissis ergo injectionibus balsamicis, deligatio juxta priorem methodum continuata fuit. Paucis diebus interjectis, Chirurgus externe sub cute, in meatu auditorio & in margine auriculæ grana quædam plumbeæ grandinis observat, eorumque prævia incisione, tredecim eximit, & vulnusculum dein lege artis consolidat. Continuantur injectiones, ex Essentiis balsamicis & aqua sclopetaria (*l'eau d'arquebusade*) constantes, minime vero inde ad consolidationem redigi poterat vulnus, sed potius metum successuræ alicujus fistulæ incutiebat. Hanc ob caussam,

ſam, prævia prudenti deliberatione, inciſio per totum tractum, a vulnere uſque ad meatum auditorium, ita inſtituebatur, ut, nullo ramo majori arteriæ vulnerato, hæmorrhagia minorum ramulorum cum ſpiritu vini & adplicatis linteis comprimentibus feliciter cohibita fuerit. Vulnus ita ampliatum poſtea brevi temporis ſpatio conſolidatum & cicatrice obductum fuit. Inflammatio autem oculi curam diutius protraxit, quia exinde continuo ſerum ſtillabat, tandem crebriori uſu ſacculorum tonico - reſolventium, & inſtituta ſcarificatione palpebrarum, omnis plenarie diſcuſſa fuit inflammatio. Proinde etiam læſio tunicæ corneæ ſanata fuit, ob factam autem iridis per ingreſſum grani pulveris nitrati, vulnerationem, pupilla partim magis dilatata & oblonga, partim ad motum ordinarium minus idonea, effecit, ut æger de reliquo reſtitutus, non niſi diem & noctem ope hujus oculi diſtinguere nunc valeret. Interim oculi bulbus, facta iterum ſpontanea reſtitutione humoris aquei, figuram & magnitudinem naturalem brevi poſt recuperavit.

OBSERVATIO XLV.

Dn D. GOTTWALD SCHUSTERI.

Sectio anatomica infantis recens nati, Hydrocephalo defuncti.

Menſe Martio anni MDCCXXXVII. in pago *Hilbersdorff*, præfecturæ Chemnicenſis, infans recens natus, clandeſtino partu in lucem editus, & a matre ſub ſcala defoſſus, legali ritu & more conſueto inſpiciebatur & anatomicæ ſectioni ſubjiciebatur, in quo ſequentia notatu digna obſervata fuerunt:

Cadaver erat maſculini generis, atque una cum adnexis

nexis secundinis praecinctorio involutum, & ab ordinariis impuritatibus nondum repurgatum. Interim ad legitimam maturitatem usque in utero gestatum fuisse hunc puellum, tam ipsius corporis robur & magnitudo, quam essentiales ejus partes, quales sunt praeputium penis, unguiculi perfecti in digitis manuum & pedum, & crines in capite, confirmarunt. Primo autem statim intuitu caput infantis consideratione dignum adparebat, utpote quod non solum nimis grande deprehendebatur, dum tota ejus circumferentia sedecim pollices aequabat, fontanella insimul perquam late dehiscente; sed etiam omnes suturae ossium cranii, tactui facile cedentes, nimium a se invicem distabant, hacque ratione Hydrocephali praesentiam demonstrabant. Pulmones in pectore collapsi conspiciebantur, atque cum corde exemti, & sufficienti quantitati aquae in vase proportionato injecti, statim fundum petebant. Pericardium multum aquae continebat. Vasa coronaria cordis, ut & ventriculus sinister & auricula dextra, cruore turgebant.

Incisis integumentis capitis communibus & ossibus cranii reclinatis, serum flavescens, mensurae unius quantitatem referens, effluebat, quo remoto interna cavitas, jucundo spectaculo, vacua observabatur, dum loco cerebri, quod alias interiora cranii replere solet, tantummodo in fundo cavitatis parvum cerebellum, insuetae figurae conspiciendum erat.

Meninx dura ubique ossibus cranii adhaerebat, inter quam & praedictum cerebellum, memorata aqua fluctuavit. Ulteriori examine hujus cerebelli instituto, illud membrana tectum observabatur, & universa massa ad pondus sex unciarum accedebat, ex qua per foramen magnum occipitis medulla spinalis egrediebatur. In utroque latere ex eadem massa duo nervi ad oculos excurrebant, illaque simul in latere dextro colorem & substantiam car-

nis referebat. Oculi, diductis palpebris, obscuri, ac si tunica quadam obducti essent, videbantur, adcuratius tamen considerati, pupillam & iridem monstrabant. Humores in suo erant ordine, nervus vero opticus deficiebat, eoque in loco, ubi naturaliter ad oculum ingreditur, particula carnis offendebatur; hinc etiam deficiebat tunica retina, utpote quæ non nisi continuatio & expansio nervi optici esse dicitur.

Quod itaque nostrum, de vita & morte hujus infantis, attinet judicium, omnino statuimus, quoniam ejus pulmones in thorace collapsi reperti fuerunt, & aquæ injecti fundum petierunt, eundem post partum minime respirasse. Interim cum hoc experimentum non ita solidum indicium de morte infantis ante partum præbeat, sicuti de vita ejusmodi foetus certius ferri potest judicium, quando aquæ innatant pulmones, siquidem priori in casu sanus etiam infans, in & sub partu, antequam respirare incipit, illico suffocari, aut per violentiam ab aliis illatam, aut ob nimiam debilitatem, tam ex proæresi, quam alia ex causa, vita privari potest. Vid. Responsum Facultatis Med. Wittebergens. ann. MDCLXXXIV. die XXX. Augusti exaratum, apud ZITTMANNUM, in quo quatuor casus possibiles sistuntur, secundum quos fieri potest, ut infans, quamquam aquæ injecti ejus pulmones fundum petant, vivus tamen nascatur, & tam in & sub partu, quam post eum, ante respirationem factam, interficiatur: Hinc & de præsenti infante, quam diu circumstantiæ tantis adhuc dubiis premuntur, neque quoad vitam, neque quoad mortem, certi quid pronunciari potest. Sequentia enim momenta eundem brevi ante partum adhuc vixisse evincunt: 1.) Quoniam maturus & perfectus fuit; & 2.) circa frontem linea rubra observata fuit, ad instar suggillationis cujusdam; 3.) quoniam idem ille absque gravioribus doloribus, & expedite satis,

tis, unacum ſecundinis, excluſus fuit; 4.) quoniam mater partum diſſimulavit, inſimulque 5.) obſervationes proſtant, quod infantes absque cerebro nati, per aliquot horas diesque vixerint. Confer. *Acta Medicor. Berolinenſ. Dec. I Vol. III. p. 1.* de abortu ſeptimeſtri monſtroſo, ſine cerebro & cranio per 11. horas vivente; it. p. 13. in conſpectu hiſtoriarum notabiliorum, ſine cerebro & calvaria natorum. It. p. 20. ubi ſequens formatur concluſio: *Omnes ſine cerebro natos & vitales, tam intra, quam extra uteri clauſtra, nunquam caruiſſe membranis meningæis, vel ſupra cerebri ſuccedanea corpora informia expanſis, vel ad minimum baſin cranii & ſpinalem thecam inveſtientibus, licet cerebrum, cerebellum, immo ipſa ſpinalis medulla defecerit.* Quibus verbis ſummam neceſſitatem meningum ad vitam demonſtrant, ſimulque ſyſtema BAGLIVII, qui *Specim. de fibra motrice Lib. I. p. 285.* ejusmodi obſervationibus nititur, ingentemque meningum poteſtatem in ſolida æque ac fluida corporis animati aperte comprobat, magis magisque confirmant.

Econtrario autem ſequentes circumſtantiæ fidem faciunt, infantem mortuum natum eſſe: 1.) Quoniam pulmones in aqua ſubſiderunt; 2.) mater aliquot dies ante partum graviori quodam lapſu debilitata fuit; 3.) parum etiam ſanguinis in partu emiſit; 4.) infans ipſe, ob Hydrocephalum jam antea nimis debilis fuit, adeoque morti propinquior; & tandem 5.) quoniam caput ejusdem in partu, ob ſuturas dehiſcentes, facile cedere potuit, ſicque exinde argumentum, a facilitate partus deſumtum, pro adſtruenda vitalitate, infringitur. His ergo ex cauſis judicium in ſuſpenſo relinquendum eſſe cenſui.

Interim poſt ſententiæ hujus communicationem rea coram Judice confeſſa eſt, ſe triduo ante partum inſigne frigus ſenſiſſe, & infantem ipſum in partu quoque tactu frigidum fuiſſe: Hinc ex duobus hiſce ultimis momentis Illu-

ſtris Facultas Medica Lipſienſis ſecundum probabilitatem concluſit, infantem mortuum in lucem editum eſſe.

OBSERVATIO XLVI.

Dn. D. GOTTWALD SCHUSTERI.

De

Liquore Pericardii.

Aliquoties, cum infanticidia ſectionibus medico-legalibus detegenda nobis obtigerunt, obſervavimus, pericardium ſuo nequaquam deſtitutum fuiſſe liquore, eaque propter ejusdem præſentiam in ſtatu naturali abſolute neceſſariam eſſe judicavimus. Cum vero alii Medicorum adſertum hocce impugnare conentur & liquorem iſtum in præternaturali ſtatu duntaxat adeſſe contendant; hinc noſtra experientia freti, quid de illo ſentiendum ſit, in præſenti, præmiſſis aliquot obſervationibus, indagare conſtituimus.

Anno MDCCXXXIV. die XII. Nov. in pago Harlhau, præfecturæ Chemnicenſis, infans, illico in partu, ab infanticida, inciſione venæ jugularis internæ & vertebrarum colli, enecatus, noſtræ inſpectioni & anatomiæ legali ſubjiciebatur, in cujus pericardio liquorem invenimus.

Anno MDCCXXXV. die XXVI. Octobr. in pago Franckenau infantem, ab avia, mox poſt partum, ſuffocatum, ſecuimus, in cujus pericardio liquor aderat.

Anno MDCCXXXVI. die XVII. Maji Mitweydæ infantem, ex intermiſſa deligatione funiculi umbilicalis & ſuffocatione interemtum ſecantes, in pericardio multum aquæ vidimus.

Anno MDCCXXXVII. die XIII. Martii in pago Hilbersdorff, ſub præfectura Chemnicenſi, infantem Hydroce-

cepha-

cephalo laborantem, recens natum, cultro anatomico subjecimus, in cujus pericardio itidem liquor observatus fuit.

Alios ut taceamus casus, in quibus istam aquam aut non curatius quæsivimus, aut observationem oblivioni dedimus. Quæstio itaque oritur: An liquor pericardii prædictis in casibus naturaliter, an vero præternaturaliter adfuerit? Equidem si HIPPOCRATEM primo audimus, ille liquoris hujus existentiam secundum naturam statuit, & plurimi scriptorum medicorum ad hoc usque tempus, præsentiam aquæ pericardii in naturali statu adfirmant, ex quibus jam non nisi Illustrem BERGERUM nominasse sufficiet, qui in *Physiolog. med. p. 242.* ita scribit: *Quo minus fortasse de existentia ejus liquoris dubitemus, aut eum plane negandum existimemus cum Cl. BOHNIO Circ. anat. physiol. progr. XX. ac sicubi reperiatur, pro morboso tantum, aut violenta morte expresso, habeamus, quem quippe in animantibus vivis pariter, ac defunctis, deprehendimus, eum ex collecto prædictorum pororum rore ea copia orientem, qua cordis motui haud officiat.* Sunt tamen nonnulli, qui ejusdem existentiam in statu f. n. negant. Ita enim BOHNIUS *l. c.* scribit: *Uno verbo, nulla est aqua pericardii, & si reperiatur, aut morbo, aut mortis generi suam scaturiginem debet, si nimirum alterutrum, aut utrumque horum tale extiterit, quod circulationem ad tempus turbet & ejusmodi violentam ac præternaturalem seri transudationem atque congestionem præstet; unde in decollatis, aut simili velocissimo mortis genere ereptis, alias vero sanis, sæpe ne guttula quidem cernitur.* Huic sententiæ etiam BAGLIVIUS *de Fibra motrice Lib. I. cap. VIII. Propos. IV.* favere videtur his verbis: *Idcirco copiosa lympha in mortuis observatur in pericardio, in cavitatibus cerebri, pectoris, abdominis; quam putant nonnulli fuisse mortis causam, cum revera paucis ante mortem horis ibidem fuit congesta.*

Quodsi itaque existentia liquoris pericardii in statu naturali in dubium vocari posset, sane juxta horum Auctorum sententiam necessario sequeretur, ejusdem præsentiam semper statum indicare præternaturalem. Et quamquam iis non adsentiamur, qui de aqua pericardii naturaliter præsente prorsus dubitare solent, & eandem, si forte occurrat, non nisi indicium prægressæ cujusdam violentiæ præbere perhibent, inprimis cum duplex adhuc obstet circumstantia, quod nimirum 1.) ejusmodi humor, maxime in infantibus utero mateno adhuc inclusis, a tardiori sanguinis circulo in pericardium transudare possit, sicuti ex casu primo adparet, utpote in quo fidem superaret, si statuere velimus, quod tam brevi temporis spatio, quo infans a gravi illo vulnere colli expiravit, aquam demum in pericardio collectam fuisse; & 2.) quod memoratus iste liquor, si etiam tamquam effectus in moribundis occurrens respiciendus esset, similiter etiam absque prægressa violentia in quacunque mortis specie, a quolibet morbo dependente, adesse debeat: Tamen potissimum adstipulamur clariss. ORTLOBIO, eumque in *Historia partium corp. hum. p. 66.* solido inniti veritatis fundamento reputamus, quando sententiam suam de hac materia ita exponit: *Cor vapore quodam seroso continuo irrigatur, ut fibræ eo melius motui perpetuo præstando aptiores sint: Is ergo in animali mortuo condensatur, & exigua in quantitate, in breviori mora vitam finientibus, majore in suffocatione pereuntibus colligitur. Atque hac ratione in eo casu, ubi aqua pericardii majori in copia, quam alias naturaliter deprehendi solet, reperitur, suffocationis effectus dici meretur.*

Interea hoc loco nostri non erit, scrupulose indagare, utrum ista aqua ex aliorum sententia a glandulis, per pericardium disseminatis, originem trahat? quia in pericardio, quam diu naturaliter constitutum est, cum exactissimo & perfectissimo etiam microscopio nullæ glandulæ conspici possunt, adeoque etiam sub hoc statu non immerito

merito de præsentia hujus aquæ dubitare liceret: Interim tamen admodum probabile nobis videtur, quod ista humiditas tam ex internis porulis arteriarum pericardii & auricularum cordis provenire, quam ab extremitatibus venarum & vasorum lymphaticorum iterum absorberi possit.

OBSERVATIO XLVII.

Dn. D. GOTTWALD SCHUSTERI De Aqua verminosa fontis cujusdam Chemnicensis, ejusque usu innoxio.

In fonte quodam urbis Chemnicensis saliente, qui ad instar omnium reliquorum extra mœnia in agris & sylvis scaturiens, per aquæ ductus ad cœmeterium, prope ædem sancti Jacobi, ducitur, & ibidem in craterem publicum fluit, tempore verno, nonnunquam etiam hiberno, quando tempestas magis tepida & humida est, quoddam vermiculorum genus reperitur, quod ideo adspectu curiosum est, quoniam minimorum pisciculorum more in aqua hinc & inde, sursum & deorsum celerrime movetur. Quam diu isti vermiculi in aqua commorantur, tam diu formam & speciem pediculorum, in dorso atra puncta gerentium, præ se ferunt & sunt caudati, qua de causa etiam a nobis *pediculorum aquaticorum* nomine insigniti sunt. Numerus & multitudo horum animalculorum haud raro usque adeo augetur, ut in una aquæ mensura pene quinquaginta numerentur. Interdum vero in eadem aquæ quantitate vix quinque aut decem occurrunt & conspici possunt. Ratione magnitudinis variant valdopere, alia enim sunt majora, alia mediæ magnitudinis, alia minima, ut in republica & civitate variæ staturæ & magnitudinis incolæ degere solent. Majora tamen

men nunquam ad eam adcedunt magnitudinem,ut primo statim intuitu in conſpectum veniant;ſed exactiorem & acutiorem oculi aciem requirunt. Optime conſpici poſſunt, ſi vitrum, aqua iſta repletum, verſus lucem directum intuemur. Cantharum unum & alterum hujus aquæ verminoſæ per linteum tranſcolavimus,ubi omnes vermiculi,in linteo collecti,absque ullo motu per aliquot momenta jacebant. Quosdam palpavimus digitis ſtatimque totam vermiculi ſubſtantiam prorſus evaneſcere deprehendimus. Quamprimum vero eosdem,mediante tranſcolatione ita collectos & cum cultro caute a linteo ſeparatos, iterum in aquam dimiſimus, jucundo ſane ſpectaculo vidimus, vermiculos, antea quaſi demortuos & exanimes, reſurrexiſſe & de motus priſtini agilitate, ſibi adhuc conſtante, teſtimonium exhibuiſſe. Aliqua horum animalculorum aquatilium cum aqua calici vitreo infudimus, &, orificio charta obducto, obſervavimus, quæ ita per quatuor fere hebdomadas viva permanſerunt. Alii ex his vermiculis fundum petebant, ſed, aqua leniter ſaltem commota, ſtatim adſcenderunt & motus priſtinos repetierunt: alii vero aquæ ſemper ſupernatabant. Adnotavimus quoque eosdem, per fortiorem aquæ commotionem ſemper inſimul citatiorem in motum rapi; e contrario autem remittente aquæ motu, etiam remiſſiorem iſtorum fieri motum & tandem cum motu ceſſare vitam. Poſtquam enim aqua in vitro per dictum illud temporis ſpatium immota relicta fuit, deprehendimus vermiculos, magis magisque debilitatos, tandem periiſſe & duntaxat quædam ramenta fibroſa tenuiſſimaque veſtigia corpuſculi, per putredinem reſoluti & corrupti reliquiſſe. Interim aquam iſtam omnes, circa hunc fontem habitantes, pro uſu domeſtico & culinari adhibent, nec ad præſens usque tempus obſervatum fuit, inſalubrem ejus uſum fuiſſe. Cauſa horum vermiculorum, num ſit univoca, an æquivoca generatio? in præſenti quidem

dem non exactius disquirere placet. Variis tamen ex circumstantiis in eam adducimur opinionem, hæcce animalcula in ligneis canalibus, ad putrescendum, ob longam annorum seriem, facile proclivibus, generari posse. Cum enim hujus fontis scaturigo, ex qua aqua per ligneos canales in urbem fertur, ultra dimidium milliare distet, & proventus universæ istius turbæ vermiculorum vix unquam citius & certius expectandus sit, quam adpropinquante tempestate calida & humida, quæ alias insectorum & animalculorum aquatilium procreationi aptissima existit: admodum probabile utique videtur, tempestatem prædictam causam efficientem, unam vero & alteram in aquæductibus regionem, ex putredine corruptam, idoneum gremium exclusionis horum animalculorum suppeditare.

OBSERVATIO LXVIII.
Dn. D. GOTTWALD SCHUSTERI.
De
Rosa monstrosa.

Cum Dominus Joh. Godofred. Wormius, Regius & Electoralis Saxonicus Inspector censuum publicorum de rebus, ad victum & amictum pertinentibus præstandorum, meritissimus, & urbis nostræ Consul primarius, mense Julio a. c. in horto suo suburbano obambularet, & in roseto oculos pasceret, alias inter Rosas, adspectu jucundas, & pulchre florentes, incidit in ejus oculos Rosa, merito, ut judicamus, *monstrosa* nuncupanda. Id enim, quod monstri quid alere videtur, singulare animadvertendum præbuit: In floris apice, ubi tenerrima foliola jucundo sese sistunt spectaculo, duo emergebant petioli, qui novas continebant capsulas, hoc tantum cum discrimine, ut altera capsula os sesamoideum majus, altera minus in dimensione caperet. Ista saltem stamina floris, illa vero progermina-

tioni proxima, jam matura & colore naturali roseo tincta foliola in suo fovebat sinu. Non parum sane jucunditatis percepissent adspicientes ex tribus rosis, perbelle, licet contra naturæ consuetudinem, ita protubernantibus, nisi curiosa manus Domini Consulis eam, in admirationem Naturæ naturantis, decerpisset. Interim hoc quoque notatu dignum erat, quod flos ordinarius, ex quo duo petioli egrediebantur, non ita plenus observaretur, sicuti reliqui in isto roseto, certo sane indicio, vim vegetantem & foliorum progerminantium proventum ideo non largiorem obtinuisse florem primarium, quoniam aut errore, aut consilio, aut etiam mechanica ratione, duæ aliæ capsulæ superfœtando quasi substitui debebant. Artificiosissimam hanc Rosæ formam attentioribus lustrans oculis plures detegebam vermiculos minimos, floris folia non adeo tardo cursu perreptantes. His vermiculis minimis causam adscribendam esse judico, cur, si quis odorem Rosæ naribus frequentius excipiat, adeo facile ad sternutandum concitatur. Adsurgunt enim & attrahuntur tunc temporis isti alati vermiculi, instar muscarum non minus ad volitandum, quam currendum, apti atque idonei, communiter usque ad membranam narium pituitariam, & tam motu suo mire flexuoso celerrimo, quam sale urente caustico, quo omnia insecta largius prædita sunt, intertextos tunicæ mucosæ nervulos ad motum excretorium irritant atque stimulant. Gracillimi isti vermiculi sunt cornuti, & quatuor tantum gaudent pedibus, ad motum localem, ob elateris sui potentiam summam, aptissimis, quorum posterioribus sæpius corpusculum scalpere solent, ut muscæ; num hanc forsan ob causam, quod ab aliis adhuc minoribus & maxime minimis vexentur vermiculis, sicuti in muscarum genere quilibet attentus observator notare poterit, lyncei decernebant oculi. Generantur ex ovulis, intra folia floris latitantibus & adspectu atris,

recens

recens vero nati vermiculi candidum induunt colorem, qui, successive dein, crescente tenerrima licet ætate, in cinereum & nigrum tandem mutari solet.

(Chemnicio Erfordiam missa d. 20. Decembr. 1739.)

OBSERVATIO XLIX.

Dn. D. ANDREÆ ELIÆ BÜCHNERI.

De

Intensissimo dolore ischiadico, febrem quartanam, immoderato Corticis Peruviani usu suppressam, excipiente.

Et natalium splendore, & virtutibus ac dignitate illustris quidam Baro, in nuperrimo contra Turcas gesto bello castra Cæsarea sequutus, ex usu insalubrium ciborum ac potulentorum, quibus, utpote a teneris lautissime educatus, nunquam adsuetus fuerat, in quartanam febrem inciderat, & ab ea utcunque liberatus, ad nos, viribus exhaustus & vix ossibus hærens, revertebatur, cum miles Cæsareus in hibernacula secederet. Fomitem febrilem adhuc in corpore latitare in propatulo erat, & facile hinc prævideri poterat, fore brevi, ut scintilla aliqua admota, in flammam denuo exardesceret; id quod etiam ita evenit, postquam frustra conatus esset obsoniis facilis digestionis & dapibus opiparis, moderate sumtis, collapsas corporis vires reparare. Ego firmissime persuasus, ventriculum & intestina itemque corporis vasa, impuris & excrementitiis scatere humoribus, colatoria viscera infarcta, & emunctoria obstructa esse, die 10. Novembr. præscripsi pulveres, ex salibus digestivis compositos, quorum unum pomeridianis, alterumque vespertinis horis per tres dies adsumsit, quibus

dein leniſſimum laxans, ſalis nempe Anglicani drachmas quinque, optato cum effectu ſubjunxi, ita ut quater inde alvum exoneraret, absque ullis torminibus, quæ alias per omnem vitam, ſumto purgante, expertus fuerat atrociſſima, quare etiam quarto abhinc die idem illud remedium, eodem cum effectu, altera vice adſumſit. Anxie interim deſiderabat a febre liberari æger, vehementerque illud optabat generoſa amantiſſimi filii mater: ego vero perſuaſus, adhuc neceſſariam eſſe febrem, ut cumulati in corpore vitioſi humores, poſt præmiſſam præparationem, & abſterſionem aucto tam inteſtino, quam progreſſivo ſanguinis motu, ſubigantur & expellantur, elapſo iterum octiduo, præſcribebam Corticis Peruviani infuſum, juxta eum modum paratum, qui deſcribitur in ſchedula, juſſu Regis Ludovici XIV. anno 1683. impreſſa, ſub titulo: *L'uſage de Quinquina, ou remede contre toutes ſortes des fiévres.* Aſt cum illud nec palato ejus ſatisfaceret, nec prompte febris impetum refrænaret, ſubſtitui aliud magis gratum, nec tamen ita comparatum, ut uno quaſi ictu febrem tollere protinus poſſit, ratus, e re ægri eſſe, ut vis ipſius febris non niſi paulatim infringatur, nequaquam vero excretiones impetuoſe ſupprimantur. Nunquam enim ad hæc aliave remedia, ex Cort. Peruviano parata & jamjam commemorata, ſine debite præparato corpore, confugio, nec etiam unquam in praxi vaniſſimam illam & ægris ſæpius perniciofam gloriam, ex celeri & feſtinata febrium curatione, apud imperitam plebem aucupatus ſum, quamvis mihi notiſſima hactenus fuerit febrifuga virtus Chinæ Chinæ, quin potius ſemper eam amplexus ſum ſententiam, quam magnus ille Batavorum Æſculapius, HERMANNUS BOERHAAVE in *Praxi med. Part. III. pag. 448* ſequentibus proponit verbis: *Quamdiu corpus non ſit debile, credo, quod Cortex Peruvianus non ſit dandus, nam febres intermittentes non tam ſunt periculoſæ. Et niſi corpus debilitetur, ſine febrim*

febrim per aliquod tempus decurrere, quippe quæ coquere debet iterum crudam materiam sanguinis, ad quam excoquendam nata est hæc febris; quemadmodum memori semper mente tenebo aureum illud monitum Viri hujus, magnis in rem medicam meritis illustris, & quinquagenaria experientia edocti, quod his profert verbis: *Cum febris utilem præstet corpori effectum, probe animadvertant Medici, ne statim in ipso limine supprimere aut cohibere quærant insultus febriles, quod in continuis & acutis febribus ipsam mortem inducere solet; in intermittentibus vero tales febres ipsa attestante experientia, in gravissimas viscerum obstructiones, & inde resultantes lentas febres, hecticam, Hydropem, nec non convulsivas spasmodicas adfectiones, maximo cum damno ægrotantium, desinunt.*

Quoniam ergo adeo promptum me ad eradicandam unico statim actu hancce febrem, per Corticis Peruviani usum, mensuram omnem excedentem, non exhibebam; hinc itum est ad alium, cujus Panacea idem ille est, qui etiam singulis binis horis, prout ab adstantibus relatum postea accepi, eundem pondere drachmæ unius, diebus a febre vacuis, exhibuit. Brevi igitur & febricitans & Medicus voti sui redditi fuerunt compotes, sed ita tamen, ut insigne utriusque gaudium haud adeo diuturnum esset, sed paucos post dies in gravissimum mœrorem verteretur. Incidebat enim Generosus æger in acerbissimum ischiadicum dolorem, manifesto satis indicio, quod nimis præmature, ante sufficientem humorum correctionem & præparationem, abusu Corticis Peruviani, febriles motus fuisse sopitos, & materiam peccantem, debite non subactam, metastasi quadam ad coxendicem detrusam. Inopinatus hic eventus Medici animum vehementer adflixit, & somnum per undecim noctes, ut ipse mihi fassus est, excussit. Ex tali ergo labyrintho se se extricare cupiens, sex pilulas, ex Extr. Cort. Cascarill. & Massa pilular. de Cynogl. nisi me omnia fallunt,

formatas, ægrotanti misit, eique certissimam spem fecit, fore, ut dolores ex usu earum mitigarentur, & quidem tanto citius, si pars dolens aqua frigida cum vino mixta ablueretur. Tantum autem abfuit, ut dolor hisce remediis leniretur, ut potius ferocior iisdem redderetur. Neque etiam placabatur medicamentis communi consilio ordinatis, Emulsionibus, Gelatinis, Jusculis, Saccharo Lactis, pulveribus nitrosis, diapnoicis & anodynis. Nihil porro conficiebant externa, discutiendi & leniendi scopo adplicata, Linimenta, Sacculi, Cataplasmata. Rejiciebantur vesicatoria, quæ prodesse potuissent. Postquam ergo ita per mensem fere integrum atrocissimos perpessus esset dolores, balnea tandem humida, ex fecibus spiritus vini, cum Rad. Lapathi acuti, Herbis Chamædr. Chamæpyth. Salu. & Beton. parata, in usum vocata fuerunt, quæ etiam spem ægrotantis & Medici non plane fefellerunt, siquidem & dolorum ferocia inde sensim remisit, & major pedes movendi successit libertas. At ecce! cum in vado rem esse crederemus, subito magna insequuta est tempestas: sub initium enim mensis Januarii materia peccans, coxendici intimius infixa, blando balnei fotu & calore resoluta, vehementissimo febrili motu excitato in massam sanguinis resorpta & ad thoracem delata, tum ferinam tussim, tum pleuritidem spuriam excitavit. Febris cum exquisito dolore ultra dies novem fuit protracta, pertinax autem & rebellis tussis diutius duravit, tandemque multo cum labore etiam sedata iterum fuit. Ex his breviter adlatis euidentissime colligere licet, morbos, qui febrem suppressam consequuntur, difficulter, ac fere non, nisi pariter per febrem, sive sponte ortam, sive arte provocatam, iterum sanari. Hinc etiam statim in principio, cum dolor ingravesceret, febrem per purgantia aliaque remedia revocandam esse, plus simplici vice monui, præsertim cum catharsis in coxendicis dolore locum

cum habeat, quæ sententia etiam peritis placuit, domesticis vero displicuit.

OBSERVATIO L.

Dn. D. ANDR. ELIÆ BÜCHNERI

De

Hydrope pectoris ejusque signis.

COrdis palpitationem, sæpius ex levi causa concitatam, angustias præcordiales, pulsum subinde intermittentem, gravissimorum prodromos esse morborum, Medicis in diuturna Praxi versatis ignotum esse non potest. Mihi certe, quando hæc obvenerunt, polyporum & aneurismatum subnata est suspicio, & animum occupavit metus secuturi asthmatis vel Hydropis pectoris. Et hic morbus etiam eo nomine est molestissimus, quod plerumque omni studio sit occultandus. Nam si Medico vel verbum exciderit de illo, id consequitur, ut æger desperabundus, aut medicamentorum usum præfracte rejiciat, aut alios Medicos, immo Medicastros, Chirurgos, vetulas, consulat. Minime autem vanum esse metum nec male fundatum, qui ex phænomenis ante memoratis concipitur de Hydrope pectoris vel præsente, vel imminente, non uno edoctus sum exemplo, quorum idcirco aliqua saltem adducere hac occasione placet. Vir, temperamenti cholerico - melancholici, in officio laborioso constitutus, a malo hypochondriaco per plures annos graviter vexatus, de miris circa præcordia angustiis non raro conquerebatur, intercurrentibus simul frequentioribus cordis palpitationibus, quæ alias, notante FERNELIO *Lib. V. Patholog. cap. 12.* iis solenniores sunt, qui *hypochondriaca Melancholia* laborant. Accessit simul cumu-

mulumque malorum adauxit magna reſpirandi difficultas, crebrius recurrens, ægrumque ex improviſo primo ſomni tempore opprimens, ut evigilans anxie aërem captaret & in ſummo ſuffocationis periculo ſe verſari crederet. Hinc absque omni hæſitatione non ægro & uxori liberisque, ſed adfini & conſanguineis, ſub fide ſilentii, denunciabam, hoc aſthma eſſe ſignum Hydropis pectoris : nam ad hanc uſque horam perſuaſiſſimus ſum de certitudine hujus ſigni, in qua jam olim me confirmarunt *Obſervationes practicæ de Hydrope pectoris* a *Dn. Collegis Wratiſlavienſ. Academ. noſtræ Imperialis* editæ, qui *pag. 4.* expreſſe fatentur, non aliud magis certum hac in re ſibi occurriſſe ſignum, quam *reſpirandi difficultatem talem, ut ex improviſo primo ſomni tempore ægrum opprimat, & quietem ejus interpellet, adpropinquante vero luce aliquas iterum inducias concedat.* Corroboravit etiam ulterius ſententiam hanc Illuſtris b. m. Dn. *de* HELWICH, in *Ephemerid.* noſtrar. *Cent. X. Obſerv. 32.* referens, ſibi hactenus cynoſuræ loco, in dignoſcendo pectoris Hydrope, fuiſſe *eam in ſpirando difficultatem ac crebritatem, quæ primo ſomni tempore inopinato opprimat.* Dubitat equidem de hujus ſigni certitudine Celeberr. Dn. D. RAYMANNUS in *Obſerv. 170. Voluminis I. Actor. Acad. noſtræ*, & primo provocat ad aſthmaticum a SYLVATICO *Centur. II. Conſil. 49.* deſcriptum, qui ſingulis noctibus ſuffocationis periculum ſuſtulit, quod non niſi facta adſumtorum & pituitoſæ materiæ per vomitum rejectione remittere ſolebat, & quærit: *an etiam hic pectoris Hydrope laboraverit?* Aſt magna cum veriſimilitudine adfirmari poteſt, pituitam, per cujus rejectionem ægrotus iſte, ſuffocationi proximus, ſingulis fere noctibus fuit ſublevatus, per violentiam tuſſis ex pectore fuiſſe excuſſam, eandemque hanc commotionem etiam ventriculum ad ingeſta rejicienda concitaſſe, ſicuti hoc ipſum quoque in phthiſica tuſſi ſæpius obſervamus. Credibile eſt, illud tunc potio-

potiori ex parte fieri, quando pulmonum vesiculæ aqua sunt repletæ, aut etiam unica hydatide magna pulmo, tamquam sacco quodam aqua pleno, obruitur, aut colluvie serosa sive per vasa resorbentia ex cavitate pectoris advecta, sive per pulmonum poros, (siquidem constat, membranam pulmonum multis, iisque dilatabilibus poris, instructam esse,) hausta, inundatur. Responsio autem hæc forsitan vel ex eo non plane insufficiens videbitur doctissimo RAYMANNO, quoniam ipse innuit, suffocationis discrimina, nocturno tempore ægro imminentia, non tam per rejectionem contentorum ventriculi, quam per expulsionem pituitæ in pulmonibus, fuisse superata. Non equidem me fugit clarissimum Auctorem *Actor. Medicor. Berolinens. Dec. I. Volum. X. pag. 24.* vix credere, quod ipsa *substantia vesiculosa pulmonum in statu idiopathico sit aqua repleta*; credidit tamen id celeberrimus BOERHAAVE in *Praxi med. Part. V. pag. 153.* Sed hoc obiter. Interim optima fide testari possum, me oculis meis vice plus simplici vidisse, in notabili quantitate humorum serosum lymphaticum, unacum vomitu ingestorum, non sine evidenti asthmatis remissione, ex pectore fuisse expressum, eaque propter tamquam verissima agnoscere verba, in *Actis Medicor. Berolin. Dec. I. Volum. X. pag. 30.* occurrentia, quæ hic adscribi idcirco merentur: *In tali casu, ubi tussis & vomitus intime complicantur, vomitus facile imponit spectatori, quasi ipse offerret materiam, quæ tamen, inter vomibundas ventriculi eversiones, cum tussi potius rejicitur.*

Quod ad Presbyterum, asthmate nocturno periodico laborantem, & a celeberr. GOCKELIO curatum, attinet, illum per Nodulum, *Decur. II. Ephemerid. nostrar. Ann. VII. Observ. 128.* descriptum, potuisse sublevari, & ab incipiente pectoris Hydrope liberari, satis est credibile, cum inter ingredientia vini hujus medicati, præter alia, ad hoc malum

lum tollendum apta, occurat etiam radix ſquillæ, cujus vis hydragoga his temporibus multis experimentis cognita. Et quis fidem interponere ſuam poterat, de nunquam amplius reverſura iſta dyſpnœa, creſcentibus præſertim annis? ſiquidem juvenis tunc erat, cum prima vice abinde liberaretur: Subinde enim induciæ morbum hunc per notabile tempus concedere, multiplici experientia compertum habemus. Dein quoque ambabus largimur manibus experientiſſimo Dn. D. RAYMANNO, quod morbi ſpaſmodici nocturnas habeant exacerbationes; aſt, Vir optimus amice recordabitur, quod, dum interceptionem reſpirationis nocturnam, poſt WILLISIUM, BAGLIVIUM, RIVERIUM, PISONEM, HELWICHIUM, & alios plures, pro Hydropis pectoralis pathognomonico ſigno habeo, utique non niſi de illa cum prælaudatis Auctoribus loquar, quæ poſt unam, duas aut tres horas, a tempore ſomni veſpertini incipit, quod certe tempus alii morbi ſpaſmodici non adeo accurate obſervant. Provocat dein ad alium D. VICARII ægrum, & ex ejus anatomica ſectione indubium ſe argumentum, pro confirmando ſuo adſerto, (quod nempe hæc modo deſcripta reſpirandi difficultas non præbeat certum Hydropis pectoris ſignum,) necti poſſe confidit: Nimirum curæ ſuæ commiſſum habuit Clariſſ. Dn. VICARIUS virum illuſtrem, quinquagenario majorem, qui ſub paulo vehementiori corporis exagitatione dyſpnœa corripiebatur, ſed multo graviori poſt unam, duas aut tres a ſomno horas, ubi aſthma tantopere auctum fuit, *ut lectum deſerere, & in ſella noctis partem tranſigere cogeretur. Hic*, ait Dn. RAYMANNUS, *quamvis ab omnibus pro hydropico habitus fuerit, aperto poſt mortem thorace ne quidem unica drachma aqua deprehenſa eſt: adeoque hoc morbi genere ipſum periiſſe quomodo demonſtrabit Dn. D.* VICARIUS? Aſt ſalva adhuc res eſt: Nam *in pericardio inveniebatur aqua ſat copioſa & nonni-*

hil

hil quasi Croco tincta, ut scribit VICARIUS in *Centur. I. Ephemerid. in Scholio Observat. 3. pag. 24.* Negari equidem non potest, quod Hydrops pericardii a pectoris Hydrope differat ; interim tamen & pericardium in pectore est situm. Forsitan etiam in cavitatibus pulmonum vesicularibus offendisset serosam colluviem, si eas insimul attentiori oculo lustrasset VICARIUS. Et nonne etiam medicamenta purgantia & mercurialia pectus a collecto in ejus cavitate sero liberare potuerunt ? Profecto Pilulæ ex Hiera cum Agarico, Magisterio Jalappæ & granis XV. Mercurii dulcis, ad præstandum aliquem in evacuando sero effectum, non plane sunt inutiles, siquidem etiam ex earum usu ægrotus ille largum quoque urinæ profluvium expertus est, teste sæpius nominato Dn. VICARIO, in antea citato Scholio, p. 21. in fine. Nonne etiam insuper fieri potuit, ut serum in thorace stagnans resorptum fuerit a vasculis sanguineis, postmodumque depositum ad partes debiles & declives, pedes nimirum, qui inde tumidi evaserunt. Certe libertatem respirationis, quam brevi ante mortem expertus fuit æger, tam usui Tincturæ bezoardicæ Mich. quam huic metastasi, non inepte quispiam tribuerit. Cur igitur mirabimur, quod in viro illo, pectoris Hydrope extincto, facta brevi ante mortem seri ad pedes derivatione, postmodum sub anatomica sectione nulla in thoracis cavitate adinventa fuerit aqua. De reliquo non solum adstipulamur Clariss. Dn. RAYMANNO, quod non adeo multa nobis cognita sint τεκμήρια, seu talia signa, ex quorum præsentia infallibiliter colligi possit, ægrotantem hoc vel illo morbo esse correptum ; sed & optamus, ut tandem adhuc, adsidua observatione & comparatione specialiorum quorumcunque inter se invicem, talia eruantur ac demonstrentur.

Missis autem hisce nunc e diverticulo in viam redeundum est, & quidem ad ægrum, in quo nulla febris indi-

cia, ad mortem uſque, obſervare licuit, nec etiam quidquam paralytici in brachiis notavimus, ſed ſaltem intumeſcentiam quandam. Tumorem ſcroti excipiebat pedum tumor ad genua uſque protenſus. In illa parte dorſi, in qua diaphragma mediam & infimam corporis regionem dividit, immanem patiebatur dolorem, qui ſubinde etiam lugubrem ei extorquebat ejulatum. Præterea quoque operæ pretium erit, breviter ea referre ſymptomata, quæ nobis ſpectanda exhibuit nobiliſſima quædam fœmina. Erat illa tenerrimæ conſtitutionis, & in primo puerperio ex febre inflammatoria, cum diarrhœa, graviſſime debilitata. Neque qui poſtea ſequuti ſunt partus multo fuerunt feliciores; anno etiam illo, qui eidem funeſtus fuit, fœtum edidit mortuum. Poſtquam ergo hæc ſæpius modo atrociſſimos capitis dolores, modo anxias pectoris oppreſſiones, modo moleſtiſſimas in hypochondriis ſtricturas perpeſſa fuiſſet, per tres circiter ante mortem menſes tanta eam primo ſomni tempore reſpirationis difficultas adflixit, ut ſeſe in ſuffocationis periculo verſari & morti proximam eſſe crederet. Non raro etiam magnas anguſtias, citra ullam cauſam manifeſtam, experiebatur. Pulſus, ut cum BELLINO loquar, *interciſus erat, ac intercalarem, in pulſatione una atque altera intermiſſionem habebat.* Frequenter ſentiebat cordis tremorem & palpitationem; a febre itidem non erat immunis, & licet lenta illa eſſet, tamen debiles ejus vires evidenter atterebat. Superiores corporis partes contabeſcebant, pedum autem tumor in dies augebatur. De dolore brachiorum, inprimis ſiniſtri, aliquot ante mortem diebus conquerebatur, & proxime ante finem vitæ paralytica debilitas in dicto illo brachio animadvertebatur. Ex improviſo tandem, ſumto adhuc in cœna juſculo, circa mediam noctem, die IX. Septembr. ann. præter. nondum vigeſimo nono ætatis anno completo, intercepta penitus reſpiratione deceſſit,

non

non sine ingenti suorum luctu & dolore omnium, quibus eximiæ ejus virtutes, sexum fœmininum ornantes, erant cognitæ. Simili modo, præter omnium adsistentium opinionem, noctu extinctus est æger ille, cujus morbus in initio hujus observationis descriptus adparet. Pari fere ratione mortalium rebus est ereptus senex quidam, qui per integrum fere annum a vehementissimo asthmate misere fatigatus fuerat, quippe qui, suorum brachiis suffultus, obambulans, cum ad lectum reduceretur, subito expiravit.

Præter symptomata hactenus commemorata, vehementissimi hæmorrhoidum dolores aliis incredibilem crearunt molestiam. In dissecto cadavere primi nostri ægri, deprehensa fuit in thorace magna copia putridi & graveolentis humoris serosi, cujus præsentia Medico ordinario & hæredibus defuncti fidem fecit, me in diagnosi morbi non errasse. Præter medicamenta a Dnn. Collegis Wratislaviens. Academ. nostræ in *Observation. pract. de Hydrope pectoris* laudata, subinde Extractum asthmaticum liquidum Illustr. STAHLII, ex meris Gummatibus constans, (cujus descriptionem ex BLAZERO suppeditat celeberr. NENTERUS *Tom. II. Fundamentor. Medicin. pract. p. 50. Tab. LXV.*) exhibitum fuit. Nec omni etiam laude defraudanda est Mixtura ex Oleo Amygdal. dulc. Manna depurata, Oxym. squillit. Syrupo de Hyssopo & Saccharo, quæ olim PATINO asthmatico frequentius in usu fuit. Egregie etiam se in mitigando asthmate commendavit Infusum, ex rad. Doronici & rasuræ Lign. Junip. drachmis 12. cum vini libris quatuor paratum, cujus unciæ 3. matutinis horis adsumebantur, quæ periculum suffocationis, noctu satis crebro recurrens, mminuebant, & ingentem pedum scrotique tumorem penitus fere discutiebant, neque etiam unquam tantam ab aliis diureticis, in urinæ excretione promovenda, me observasse

efficaciam recordor, quantam quidem illud Infusum exseruit. Ingenue autem fateor, morbum hoc remedio sublatum non fuisse, quia, ut ex pluribus circumstantiis divinare licuit, a polypo ille dependebat. De reliquo etiam Pilulæ ex Gummi Ammon. partibus tribus, Extracti Cascarill. aquosi, Tabaci, florum salis ammon. tartaris. & styracis ana parte una, cum Essent. Pimpin. alb. paratæ, aliquam adferunt utilitatem, præcipue si tussis impetuosa cum respirationis difficultate conjuncta est.

OBSERVATIO LI.

Dn. D. ANDREÆ ELIÆ BÜCHNERI.

De

Septuagenarii senis ab omni cibo potuque per plures ante mortem dies, post græegressum diuturnum morbum, abstinentia.

Longæ, per multos non solum dies & menses, sed & annos, abstinentiæ ab alimentis exempla, ab Auctoribus non pauca adnotata sunt. Præter autem illa, quæ a WOLFFIO, in *Lection. memorabil.* SMETIO, *in Miscellaneis*, *Marcello* DONATO, SALMUTHO, BORELLO, RHODIO, TULPIO, aliisque in *Libris Observationum* referuntur, non pauca diligentissime congessit industrius multaque in lectione versatus CASPARUS a REIES, in *Elysio jucundar. quæstion. campo*, *Quæst.* 58. illam tamen simul cautelam & prudentiæ normam *p.* 732. commendans, ut *non statim negentur illa, quæ impossibilia videntur, nec vera existimentur omnia, quæ vana quadam scribendi licentia ad ostentationem usque admiranda a pluribus traduntur, cum dolus & deceptio in multis non desint, commentisque pleraque scateant, quibus*

bus non raro etiam perspicacissimos hallucinari contingit. Illud ergo abstinentiæ a cibo potuque exemplum, quod hic adducam, ita comparatum est, ut non adeo magnam quidem excitare possit admirationem, neque tamen ita vulgare adparebit, ut ei simile frequenter in praxi observetur, quamvis me non fugiat, a BRASSAVOLA, HERCULANO, aliisque ad posteritatem transmissam fuisse memoriam quorundam infirmorum, qui sine cibo & potu per plures ante mortem dies fuerunt superstites. Aeger autem ille de quo nunc sermo mihi est, septuagesimum ætatis annum compleverat, & diu jamiam passioni hypochondriacæ vixerat obnoxius, variasque in corpore turbas a moliminibus hæmorrhoidalibus fuerat expertus. Adulto jam autumno sub inclementiori aëre, cum ad piscinam per horas aliquot esset commoratus, piscaturamque suorum subditorum observasset, postero die male habere, & de gravibus intestinorum torminibus conqueri cœpit. Durarunt illa per multas hebdomadas, quo tempore insimul magnam in reddenda urina difficultatem cum variis cruciatibus, sensit. Vigiliis fere perpetuis insigniter debilitabatur, omnium autem maxime fastidium ciborum tantum, ut etiam ægerrime ferret, mentionem de iis fieri, cognatæ animum percellebat & commovebat, ut & ego ad consultandum de reparanda sanitate cum Medico ejus ordinario invitarer. Primo statim intuitu admodum mihi suspecta videbatur sublata illa per tres, immo quatuor fere menses ciborum adpetentia, quam *perpetuo esse malam omniumque pessimam, quæ prorsus periit*, recte judicat PROSPER ALPINUS, *Lib. V. de præsag. vita & morte ægrotant. cap. 12.* innixus non tam auctoritati HIPPOCRATIS & GALENI, quam tot seculorum experientiæ. Stranguria quoque frequenter recurrens, cumque pertinaci obstructione & vomendi conatu conjuncta, metum passionis iliacæ inferebat, siquidem non semper & absolute

dubi-

dubitavi de veritate *Aphorismi 44. Sect. VI.* HIPPOCRATIS, qui tamquam certum supponit, stranguriæ volvulum succedere posse, quidquid etiam GALENUS in expositione hujus Aphorismi in contrarium dicat; qua de re meretur legi doctissimi *J. Antonid. van der LINDEN Dissertat. VI. in Selectis medicis.*

Licet autem Deo clementer nostris consiliis benedicente, a stranguria, intestinorum doloribus, alvi obstructione & vigiliis ita liberatus fuerit, ut noctes haberet multo quietiores, nulla tamen arte, nullisque etiam exquisitissimis remediis adpetitum penitus abolitum restituere valuimus; cumque per tot septimanas corpus jusculi paucissimis cochlearibus, non sine magna aversione & nausea sumtis, ægre sustentasset, ita tandem crevit anorexia, ut per ultimos decem vitæ dies ne unicum quidem jusculi cochlear sorberet, (sola oris cum frigida aqua collutione contentus,) & ab omni cibo & potu ita abhorreret, ut cum maxima indignatione fercula illa, quæ quondam palato erant gratissima & potum suavissimum offerentes a se repelleret, quin immo adstantes & agnatos inprimis anxie rogaret, ut crebris interpellationibus de corpore reficiendo sibi molesti esse desinerent. En igitur septuagenarium, jam a longo tempore languidum, diuturno morbo, doloribus, inedia & vigiliis prorsus exhaustum, nihilo minus sine omni cibo & potu per tot dies spiritum trahentem & superstitem, atque usu rationis non penitus destitutum. Id quod multo magis admiratione dignum, quam quod de *Democrito* Philosopho narrant DIOGENES LAERTIUS & ATHENÆUS, ille quidem *Lib. IX. de vitis, dogmat. & apophtegmat. claror. viror.* his verbis: *Cum jam ex senio deficeret & propinquus videretur morti, mærentem sororem, quod illa in celebritate Ceteris ipsa Deæ vota exsolvere nequiret, bono animo esse jussit, panesque calidos sibi quotidie adferre; eos igitur cum naribus*

admo-

admovisset, vivum se, donec ea celebritas transiret, servavit, per tres nempe dies. Hic vero, nempe ATHENÆUS, *Lib. II. Dipnosophistar.* refert, quod *mellis vas sibi jusserit propius admoveri, atque sic in multos dies vitam sibi conservarit solo mellis odore & halitu continuato.*

(*Erfordia Norimbergam missa d. 18. Februar. 1740.*)

OBSERVATIO LII.

Dn. D. JOAN. MARTINI WOLFFII.

De

Febre acuta, cum purpura alba, in puerpera ex retentis & corruptis secundinis.

EX retentione lochiorum & secundinarum inflammationem uteri, cum febre acuta, in puerperis sæpissime funesta, originem trahere, complures Practicorum adnotarunt, & quidem non absque omni ratione, remanentibus enim secundinis uterus debito modo iterum contrahi non potest, neque etiam lochia rite succedunt, unde sanguis subsistit, & cum placenta abit in corruptionem, exinde vero tam inflammatio, quam febris acuta subsequuntur, quæ plerumque debilioribus fœminis funestæ sunt, a robustioribus autem quandoque, licet rarius, superantur, prout sequens monstrabit casus: Triginta duorum annorum fœmina gravida, habitus corporis athletici, circa finem temporis gestationis ex improviso in cellam delabitur, inde tamen nullum patitur damnum præter terrorem, contra quem statim medicamenta quædam adsumsit, & ita ad diem tertium usque bene valuit. Hoc ipso autem die sentiebat conatus (magis tamen spurios quam veros,) ad partum, ea-

que propter obstetricem vocari jubet, quæ absque ulla prævia exploratione, an infans ad egressum rite sit dispositus, statim fœminam ad novos conatus urget, sub quibus brevi post aquarum profluvium successit, atque cum his brachium infantis prodiit. Hoc vero obstetrix ob crassam ignorantiam, tempestive & convenienter non reduxit, quin potius ut parturiens jam defatigata, in loco frigido, inverso corpore & capite inclinato, per scalam detraheretur, temerario ausu præcepit, sperans, fore, ut hac methodo brachium debitum in locum sponte rediret, quæ tamen spes irrita erat. Hinc, opem ferentibus aliis mulierculis mortuum fœtum vi extraxit, ita quidem, ut secundinæ abruptæ remanserint. Incidit hinc puerpera in febrem valde acutam, gravissimo dolore lumborum & imi ventris, præsertim lateris dextri, summaque anxietate præcordiorum stipatam. Sub his ergo circumstantiis tertio post partum die parens meus dilectissimus vocabatur, ejusque auxilium implorabatur, qui primo statim ex obstetrice quæsivit, an secundinæ cum lochiis debite prodiissent? & ab ea adfirmativam obtinuit responsionem. Cum vero pessima jam jam præsentia symptomata haud adeo magnam futuri felicis eventus spem concipere permitterent, illico convenientia præscripta & exhibita fuerunt medicamenta, sub quorum usu quinto post partum die purpura alba erupit, & septimo sanies alba fœtida ex utero copiosius promanare cœpit. Tandem decimo tertio die portio funiculi umbilicalis & membranarum frustula, quæ simul excernebantur, manifestum præbebant testimonium de falsa obstetricis responsione ad quæstionem a Medico propositam. Ab eo tempore imminui deprehendebatur profluvium fœtidæ illius saniei, tandemque continuatis congruis remediis penitus cessavit, pristinaque sanitas præter spem & opinionem puerperæ huic, in limine mortis jam constitutæ, per Dei gratiam restituta fuit.

OBSER-

OBSERVATIO LIII.

Dn. D. JOAN. MARTINI WOLFFII.

De Calculi vesicæ extractione cum terebra torculata.

Methodus vesicæ & urethræ calculos absque sectione extrahendi quam maxime variat & differt: Alii enim tentant extractionem mediante inflatione urethræ, ut Ægyptii, notante PROSPERO ALPINO ; alii cum Dn. SOLINGEN laudant dilatationem urethræ ope turundarum ; alii juxta commendationem Dn. MUYS suctione oris calculum extrahere volunt; alii forcipem, ut HILDANUS, TOLETUS, & HEISTERUS, adhibent ; alii denique terebram torculatam in usum vocant. Posterius hoc instrumentum nonnullis quidem auctoribus nimis periculosum videtur ; sequens tamen historia docebit, illud magno cum fructu nonnunquam posse adhiberi. Bibliopegi uxor 58. annorum, temperamenti sanguineo-cholerici, habitus corporis spongiosi, a multis jam annis insultibus hystericis adflicta, præterito anno, mense Augusto, post graviorem prægressam iracundiam, iisdem denuo obnoxia fiebat. Urina tenuis, exigua quidem in quantitate, majori autem cum difficultate reddebatur, pulsus erat debilis & languidus, sudor perpetuus & alvus adstricta. In consilium ergo vocatus statim, præmissa clysteris emollientis injectione Liquorem anodynum mineral. Hoffmanni cum anatica portione Essent. Castor. & Succini remixtum, ad 30. guttas exhibui, unde notabilis dolorum mitigatio sequebatur ; remanente duntaxat, in regione vesicæ, dolore quodam pressorio, ex quo & aliis symptomatibus calculum subesse concludebam ; de cujus etiam præsentia obstetrix, facta exploratione, cer-

tiorem me reddebat, referens, in urethra hærere calculum magnitudine juglandis nucis, firmiter ibidem impactum. Quoniam ergo ægrota fere intolerabilibus excruciabatur doloribus, nec ullo modo retropellendus erat calculus; hinc pulverem exhibui annodynum & obstetrix dein terebram torculatam adplicavit, cujus ope calculus valde asper feliciter comprehendebatur, & absque magna difficultate extrahebatur, subsequente larga satis urinæ excretione, per integram horam interruptis vicibus continuante, ac tandem una cum doloribus cessante, ut nunc integra sanitate fœmina ista fruatur.

(*Suinfurto Erfordiam missa*
d. 7. Mart. 1740.)

OBSERVATIO LIV.

Dn. D. JOANN. ADOLPHI JAUCHII.

Fissuræ & contrafissuræ Cranii lethales.

Joannes Michaël Siegel, vir triginta quatuor annorum, qui vix abhinc elapsis 4. hebdomadibus a febre quadam acuta restitutus erat, & idcirco adhuc viribus quadantenus deficiebat, in pago Keyschau, prope Torgaviam d. 18. Octob. a. p. circa vesperam ab equo generoso prætercurrente, in viam, congregatis lapidibus stratam, ita præcipitatur, ut præprimis occiput dextri lateris graviter adlideret, unde syncopticus per semihoræ spatium in terra prostratus jacebat, ut adstantes eum vix excitare potuerint. In lectum hinc delatus statim frequentioribus vomitibus & vertigine corripiebatur, ut pedibus insistere non valeret, succedente inquietudine per totam noctem & altero mane oborientibus deliriis cum æstu vehementissimo, ut continuo caput hinc & inde jactitaret, oculique torvum præ se

ferrent

ferrent adspectum. In hoc tristissimo statu ad decimum usque diem perseverabat, quo ipso tandem sine omni sensu moriebatur. Elapsis ab obitu aliquot horis, sectio anatomica cadaveris, in mea præsentia, per Dn. Listium, Chirurgum exercitatissimum, instituebatur, ubi primo abrasis capillis externe nullum vestigium alicujus læsionis in conspectum veniebat. Integumentis vero remotis, inveniebamus in superficie interna cutis dextrum latus occipitis investientis, maculam cruentam, magnitudine imperialis, atque simul fissuras quinque Cranii conspiciebamus, quarum priores duæ in utroque osse temporum occurrebant, adeoque ambæ contrafissuræ erant, & quidem ita constitutæ, ut altera in dextro osse temporis initium caperet, speciatim in infima parte suturæ squamosæ & dehinc adsurgeret usque in mediam hujus ossis partem, ab osse vero petroso pollicis latitudine adhuc distaret; altera vero in sinistro latere etiam inciperet ab infima parte ossis temporis, & quidem a sutura squamosa, spatio dimidii pollicis, unde dein adscendens lineam incurvatam repræsentabat, & per adnexum os petrosum transiens, prope orbitam oculi sinistri terminabatur. Tertia ac quarta observabantur in occipitis latere dextro, ita, ut altera harum in sutura lambdoidea initium sumeret, & quidem ab officulo quodam Wormiano, atque se extenderet ad vicinum os bregmatis dextrum, longitudine unius unciæ, eratque hæc adeo subtilis, ut vix conspici potuerit. Altera vero ab eodem jam nominato officulo deorsum vergebat ad os occipitis, vix tamen dimidii pollicis longitudinem referebat. Ablato dein Cranio, omnes has quatuor fissuras videbamus penetrare per utramque ejus laminam, usque in internam superficiem. Remotis a cerebro meningibus, lobus ejus sinister in superficie suprema putridus adparebat, maxime prope sinum falcatum, ubi coloris erat subflavi, instar purulentæ materiæ. Hæc

corruptio longitudine ſpatium quatuor pollicum, latitudine vero dimidii pollicis æquabat, et vix ultra culmi ſtraminei craſſitiem in profunditatem penetrabat. Circa cerebellum quinque circiter cochlearia ſeri extravaſati, ac ſub dura matre lateris dextri occipitis fruſtulum ſanguinis congrumati, aliudque magnitudinem nucis avellanæ referens, prope os petroſum deprehendebantur. Exemto tandem cerebro maxima & periculoſiſſima fiſſura in occipite detegebatur, in media ejus parte incipiens & prope os petroſum uſque ad foramen illud, per quod nervus acuſticus tranſit, excurrens. In tali ergo deſperato caſu neque conſilium, neque remedium aliquod locum habere potuit, ſiquidem etiam trepanatio, tam propter deliria, quam ob inquietudinem perpetuam nec ſuadenda, nec inſtituenda erat.

OBSERVATIO LV.
Dn. D. JOAN. ADOLPHI JAUCHII.
Caries & ſpongiæ Cranii.

Vir honeſtæ conditionis, annorum 57. ante ſexennium, amicum quendam viſitaturus, equo vectus peregre proficiſcitur; rediens autem, unacum equo præcipitem patitur caſum, ſub quo inprimis caput vehementiſſime concutitur, unde ab initio moleſtum in illo ſentit dolorem, quem tamen, quoniam brevi poſt iterum evanuit, parum curavit. Quadriennio ſic elapſo extraordinariam quandam obſervat memoriæ debilitatem, adeo in dies invaleſcentem, ut ne quidem illorum amplius recordari potuerit, quæ paucis antea momentis acta erant, aut effatus fuerat. Excipiunt dein hanc inſultus graviores epileptici, ſatis frequenter recurrentes, qui tamen adhibitis convenientibus remediis, ægrius licet, poſt dimidium circiter annum, iterum profligantur, ſuccedentibus tamen eorum in

locum

locum intensissimis capitis doloribus, indesinenter iterum per sex menses continuantibus, ac non nisi cum morte ipsius ægrotantis, tunc subsequuta, desinentibus. Sistebant autem dolores quandam quasi Hemicraniam, siquidem molestissimum inprimis sensum supra orbitam oculi sinistri, circa minorem, seu externum ejus canthum, formabant, & adeo pertinaces atque rebelles erant, ut ab optimis quibuscunque adhibitis remediis ne quidem mitigatio qualiscunque obtineri potuerit, quin potius ultimis sex septimanis ante mortem per spasmorum vehementiam ita detorquebatur & invertebatur dictus hic sinistri oculi bulbus, ut, si eodem in linea recta quidquam intueri voluerit, oculus sursum versus nasum traheretur, dextro interim illæso, tam quoad figuram, quam actionem, ad mortem usque persistente. Instituta dein, consensu agnatorum, sectione anatomica, remotis primo capillis, in nucha statim adparebat tumor notabilis, per transversum excurrens, pollicis unius crassitiem, & trium pollicum longitudinem referens, in quo aperto substantia quædam spongiosa ibidem prognata deprehendebatur, citra tamen ullam, sub ea latitantem cariem. Ablatis dein capitis integumentis, in medio ossis bregmatis dextri, magis tamen antrorsum versus os frontis, macula quædam alba, magnitudine dimidii floreni comparebat, colorque hic albus, prout in cranio separato postmodum conspici poterat, per utramque ejus laminam penetraverat, atque tam in- quam externe, cariosi quidpiam monstrabat. Præter hanc etiam complures aliæ minores maculæ, diversæ magnitudinis, hinc & inde in cranio offendebantur, quæ per totam ejus substantiam similiter sese extendebant, & asperitatem quandam ibidem reliquerant. Interne supra orbitam oculi sinistri, ejusque canthum externum minorem, excrescentia quædam spongiosa in conspectum veniebat, in ambitu dimidium florenum, crassitie

autem

autem calamum referens, & sursum versus os frontis late sese extendens, deorsum vero, circa initium orbitæ oculi, arcum quasi formans, ut ita altera ejus portio dimidia supra alam ossis cribrosi sinistram exporrecta deprehenderetur. Separata dein hac excrescentia in toto ejus ambitu caries se se manifestabat, quæ interiorem ossis frontis laminam cum diploë jam jam adroserat, externa autem adhuc intacta superstite. Sub inferiori autem portione excrescentiæ istius spongiosæ, in ipso nempe osse cribroso tenuis & simplex ejus lamina prorsus erosa erat, ita ut foramen, circumferentia sua quasi fimbriatum, & festucis majoribus & minoribus obsitum, quod facile apicem medii digiti capere poterat ibidem, adpareret. Per hoc foramen transierat portio quædam dictæ istius excrescentiæ, magnitudine minoris nucis avellanæ, intra orbitam oculi, eaque in causa fuerat, quod defunctus nullum objectum in linea recta intueri potuerat, sed semper oculum versus nasum sursum detorquere coactus fuerat Proinde etiam festuca quædam ossea ab hoc foramine secesserat, quæ admodum acuta & tenuis erat, atque per spongiosam excrescentiæ substantiam ad duram usque meningem penetraverat, in eaque inpacta hærebat. Tota de reliquo Cerebri substantia admodum flaccida, & tam in sinu falcato, quam in reliquis ejus vasculis sanguiferis exigua admodum portio cruoris conspicienda erat. Lobus insuper cerebri sinister, in illa inprimis regione, ubi spongiosa hæserat excrescentia, colore obscuro fusco perfusus erat, unde facile colligere licet, quod, si etiam diutius vixisset defunctus, successive plenaria nobilissimi istius visceris corruptio inducta fuisset. An in pectore & abdomine etiam notabilia quædam latitaverint, non constat, cum agnati anatomicam harum partium perscrutationem non permiserint.

OBSER-

OBSERVATIO LVI.

Dn. D. JOAN. ADOLPHI JAVCHII.

Ulcus ſinuoſum in abdomine.

Puer annorum 12. ex feneſtra tertiæ contignationis ædium, quinto ætatis ſuæ anno, in aream, cujus ſolum a prægreſſa pluvia maceratum & emollitum erat, tanto cum impetu retrorſum prolabitur, ut integram corporis ſui figuram terræ impreſſam reliquerit, nihil tamen inde incommodi ſentit, quin potius abſque alieno auxilio iterum ſurgit, ſcalasque promte adſcendit, & per reliquos ſeptem annos integra dein ſanitate fruitur. Ante novem autem circiter menſes ſub ingreſſu in utrumque latus titubare incipit, ac brevi poſt nec ſtare, nec ſedere amplius poteſt, quo tempore tumor quidam durus, magnitudine oui gallinacei, in perinæo erumpit, cujus ſedes in ipſo collo veſicæ erat, ex quo, poſt uſum remediorum emollientium & maturantium inſignis purulentæ materiæ copia, una cum urina prodit, eaque excretio ita alternative continuat, ut modo ſolum pus modo urina ſola,modo etiam ea pure commixta, ad mortem uſque emanaverit, ſiquidem apertura ab ulcere hoc in urethræ principio relicta, nulla arte iterum conſolidari potuit, & hinc urina non amplius per ordinariam, ſed unice per novam hancce viam, continuo guttatim ſtillando, eliminabatur. Hæ ergo circumſtantiæ ſuſpicionem movebant ſat validam, de ulcere forſitan in veſica urinaria latitante, ex quo materia iſta purulenta proflueret, quam tamen irritam fuiſſe, ſectio anatomica, poſt obitum pueri inſtituta, demonſtravit, utpote cujus ope ulcus quoddam ſinuoſum in muſculis lumbaribus, ſupra os ſacrum detegebatur, quod quindecim diverſos ſinus undique ſpargebat, quorumque

unus, octo pollicum longitudine, prope vesicam urinariam ejusque collum excurrebat, inque supra descriptam aperturam desinebat, ubi prius collecta materia purulenta ulceris istius tumorem formaverat, ac postmodum continuo exinde promanaverat. Reliqui sinus in tantam nondum exporrecti erant longitudinem, sed alii tantum ad duos, alii etiam ad sesqui pollicem sese extendebant. Ulcus vero ipsum primarium in circumferentia solido imperiali simile erat, ex qua undiquaque sinus prædicti proveniebant, quorum etiam unus ad septem usque pollices juxta spinam dorsi, in dextro latere, superiora versus adscendebat. Sub ulcere autem hoc deprendebatur os sacrum undique cariosum, ita ut absque difficultate, mediante instrumento, frusta ad dimidii floreni magnitudinem accedentia, eximi potuissent, siquidem etiam per erosam ossium horum substantiam sinus quidam usque ad cavitatem spinæ dorsi adscendebat. In pectoris cavitate dexter pulmonum lobus undique nodis scirrhosis & ulcerosis obsitus deprehendebatur, sinister vero tantum a suprema usque ad mediam regionem similiter comparatus erat. Singula autem reliqua viscera, unacum vesica urinaria, in qua antea ulcus quoddam latitare credebatur, salva adhuc & integra offendebantur, urethra saltem ex acrimonia puris erosa reperta.

De reliquo universum corpus adeo emaciatum erat, ut perfectum repræsentaret sceleton, quoniam vix amplius cutis ossibus hærebat. Proinde etiam durante morbo, qui nono demum mense lethali finiebatur exitu, extremitates inferiores adeo contractæ & concretæ erant, ut genua scrobiculo cordis, & calcanei natibus fortissime quasi adnexa viderentur, nec etiam ullam, etiam lenissimam, crura paterentur extensionem, citra intensissimum ab ægrotante statim perceptum dolorem. Hac in forma per sex circiter menses in lecto decubuit, ita ut etiam hinc & inde cutis denudata fuerit. Post mortem, pro evitanda deformitate

situs

situs in sarcophago, violenta pedum tentabatur extensio, ponderaque graviora iisdem imponebantur, absque tamen aliquo notabili cum effectu, siquidem semper iterum sponte retrocedebant, ut imposita inde delaberentur pondera. Interim ulcus ipsum sinuosum a lapsu illo, quem ante septem annos perpessus fuerat, primam suam sumsisse originem, perquam probabile procul dubio cuilibet adparebit.

OBSERVATIO LVII.
Dn. D. JOANN. ADOLPHI JAUCHII.
Exulceratio vesicæ urinariæ sanata.

Miles veteranus exauctoratus, annorum 58. circa initium mensis Octobris anni præterlapsi conquerebatur de excretione materiæ purulentæ cum urina, quam ordinarie guttulæ aliquot sanguinis sinceri, aut ad minimum ichor quidam subcruentus, exciperet, conjuncto dolore molesto in glande penis, & continuo fere tenesmo, præcipue sub mictione exacerbato, extra quam nihil plane de purulenta ista prodiret materia, sicuti alias in Gonorrhœa virulenta id contingere soleret. Aderat insimul frequens admodum stimulus ad mingendum, ita ut singulis fere horis urinam emittere cogeretur, quæ turbida & albicans erat, brevi tamen temporis intervallo duo vel tria, singulis vicibus, deponebat cochlearia materiæ tenacis mucidæ, unde reliquus liquor dein pellucidus evadebat, citrinumque colorem monstrabat. Causam adfectus hujus satis sontici unice a lapsu quodam gravi, quem ante quatuor hebdomadas in itinere cum equo perpessus erat, derivabat, sub quo ab anteriori ephippii prominentia regio pectinis & pubis vehementius compressa fuerat, subsequente statim dolore aliquo, qui tamen usu spiritus vini comphorati & impositione sacculorum ex herbis resolventibus paratorum, brevi qui-

dem post evanuerat, sed ob stasin sanguinis ibidem factam, successive in suppurationem transeuntem, verum ulcus vesicæ post se reliquerat.

Quamquam autem ejusmodi ulcera, ob perpetuum urinæ acris adfluxum, utplurimum pro incurabilibus reputentur, atque hoc inprimis sedem suam magis in fundo vesicæ habuisse videatur, quoniam materia purulenta non prodibat ante urinæ excretionem, sed hæc semper limpida atque clara excernebatur, & dein demum pus, tandemque sanguis subsequebatur, ac inde urina turbida reddebatur: Hic tamen ægrotus, adsistente gratia divina, sequente methodo feliciter restitutus illudque ulcus iterum sanatum fuit. Primo e mediana dextri brachii, derivatorio scopo, unciæ septem sanguinis mittebantur, unde & hic obtinebatur effectus, ut stillicidium illud sanguinis, post quamlibet mictionem alias eveniens secundo abhinc die plenarie cessaverit. Dein mixtura quædam balsamica, ex Tinct. antimon. acr. uncia I. & Bals. de Copaiv. drachma I. ordinabatur, cujus guttulas XL. matutinis & vespertinis horis absumebat in Decocto quodam vulnerario, cujus unam alteramve scutellam calide superingerebat. Erat autem illud sequenti modo paratum, Rec. Rad. Caryophyllat. Pimpin. alb. Urtic. urent. Gent. rubr. ana drachm. 3. Herb. Sanicul. Alchimill. Millefol. Vinc. per vinc. Summitat. Virg. aur. ana manip. dimid. Sem. Perfoliat. & Hyper. ana drachm. 2. Incis. & contus. coqu. in aqu. fontan. mensuris 2. ad quartæ partis consumtionem, in fine addendo Mellis rosac. unicas 3. Colat. album. ovi clarif. Dividebatur vero statim tota ejus quantitas in duas partes inque distinctis adservabatur lagenis, postquam cum una parte uncia unica Fol. Senn. leniter iterum ebullierat, quæ dein matutinis, & altera vespertinis horis vehiculi loco inserviebat, unde alvus quotidie bis ad minimum solvebatur, insigni cum ægri levamine. Interpone-

ponebatur dein etiam circa meridiem, & quartam horam pomeridianam ſequens pulvis: Rec. Ocul. Cancr. citrat. Lapid. Percar. ana drachm. 2. Nitri depur. Tartar. vitriol. ana drachm. 1. M. de quo ſcrupulum unum pro doſi cum aqua ſimpl. fontana capiebat. Continuato ſic per bimeſtre ſpatium horum medicamentorum uſu, ſub quo in dies ſymptomata recenſita magis magisque remittebant, tandem finita nona ſeptimana eadem prorſus evanuiſſe, omniaque in priſtinum ſanitatis ſtatum redacta eſſe deprehendebantur. Ratione diætæ ex potulentis ægroto neque cereviſia, neque vinum, multo minus ſpirituoſa concedebantur, ſed ſola aqua ſimplici fontana pro potu ordinario contentus eſſe debebat; ex alimentis autem omnia ſalita, nimium aromatiſata & acida, item dyſpepta fugiebat, & ſolummodo juſcula carnis vitulinæ & bovinæ non admodum pinguia, magiſque diluta, nec non pulmenta ex hordeo & avena excorticatis, parumque carnis, & id ſaltem bis in qualibet ſeptimana, adſumebat.

OBSERVATIO LVIII.

Dn. D. JOAN. ADOLPHI JAUCHII.

Morbus gravis ipſaque tandem mors, ex impreſſione quadam fortiori.

Sub initium Novembris, anni præteriti, morte præmatura, ob dentitionem difficilem, nobiliſſimo cuidam viro eripiebatur filiolus unicus, tredecim menſium. Hujus corpuſculum ante ſepulturam undique adhuc molle, membraque omnia flexibilia deprehendebantur, ita, ut a levi digitorum compreſſione foveæ in partibus carnoſis remanerent, unde triſtiſſimus parens, cum id obſervaret, inſolito ſtatim perfundebatur horrore, inſimulque ſibi firmiſ-

ſime perſuadebat, certum id eſſe indicium mortis ſuæ propediem inſecuturæ, quoniam, juxta inveteratam ſtolidæ plebis opinionem, ſi tale quid in cadavere aliquo contingeret, ordinarie unus vel alter ex eadem familia decedere, iſtumque defunctum ſequi deberet, & præterea ob inſignem illum amorem, quo filiolum hunc ſuum in vivis proſequutus fuiſſet, arctior omnino quædam connexio & intimior harmonia inter ipſos adhuc extaret. Cogitationibus ergo hiſce firmiter & continuo inhærens, ad placidum & beatum ex hoc mundo diſceſſum ſerio ſe præparabat, nullamque aliam opinionem fovebat, quam quod idem ille proxime jam inſtaret, unde etiam nec agnati, nec ipſe Confeſſionarius, aliique amici, argumentis quibuscunque, tam phyſicis quam moralibus conceptum iſtud præjudicium eximere valuerunt. Vix ergo quatuordecim tali modo elapſi erant dies, cum ob immenſum mœrorem, de filioli jactura conceptum, & indeſinentes iſtas anxias repræſentationes, adeo & motus humorum, & craſis eorundem turbaretur ut revera tandem febre quadam acuta corriperetur, quæ cum inſigni virium proſtratione & notabili horrore initium capiebat, ſuccedente dein æſtu anxio & continuo, ſub quo tertio die purpura rubra ſatis copioſe non ſolum erumpebat, ſed & rite ſubſiſtebat, ut inde haud vana adfulgeret ſpes, de futura felici ſanitatis reſtitutione. Aſt, præter opinionem omnium ſubito hanc evertebant obortæ copioſæ ſpontanæ evacuationes, tam per alvum, quam per ſeceſſum, adeo frequenter alternis vicibus recurrentes, ut intra 24. horarum ſpatium quadrageſies repeterent, ſicque per integros tres dies continuarent. Durante toto hoc morbi decurſu, immo & ſtatim in initio, mihi pariter, ac adſtantibus, perſuadere ſemper adnitebatur, irritam fore omnem noſtram operam, ſibique moriendum eſſe, quare etiam noctem ejusque horam prænunciabat, qua certiſſime

vitam

vitam cum morte commutaturus esset, id quod etiam eventus exacte confirmavit, ita quidem, ut unica saltem hora serius, quam antea indicaverat, quinta nempe matutina diei 25. Novembr. placide obdormisceret, nondum completo vigesimo octavo ætatis anno.

(*Torgavia Erfordiam missæ d. 15. Mart. 1740.*)

OBSERVATIO LIX.

Dn. Lic. JOAN. JACOBI SCHLIERBACHII, Morbillorum constitutio epidemica anno MDCCXXXIX.

MOrbilli præterito anno a veris initio in æstatem usque adultam grassantes, & undiquaque locorum pueros æque ac adultos adorientes, hinc inde numerosam stragem fecerunt, multosque e numero vivorum sustulerunt. Quamquam etiam ex vulgi opinione in his præcipue morbis infantum, variolis nempe & morbillis, parum vel nihil valere credatur Medici auxilium, eaque propter illud rarissime a simplicioribus imploretur, prudentiores tamen longe aliam fovent sententiam, & hinc Medici præsentiam tempestive statim efflagitant, immo urgent. Hac ratione & ego occasionem satis opportunam nactus sum, varia phænomena, notatu non plane indigna aut inutilia, observandi & adnotandi. Ne autem prolixus nimis sim, limitesque plus justo transcendam, phænomena hujus morbi essentialia brevibus, extraessentialia vero paulo fusius recensere constitui, quæ idcirco in sequentibus consistunt: Plurimi infantum & adultiorum, utriusque sexus, ante morbi invasionem per unum vel alterum, immo plures interdum dies, artuum lassitudinem gravativam persentiscebant. Quidam antea modo ala-

alacres & hilares, modo triftes ac morofi erant, quamquam de præfenti nullam aliam manifeftam fentirent corporis moleftiam. Hanc vero ftatim excepit capitis dolor, quandoque fatis vehemens, unacum vertiginofis infultibus; in quibusdam aderat propenfio infolita ad fomnum, & oculorum rubor, in aliis vero copiofus lymphæ ferofæ, lacrymarum ad inftar, ex iisdem effluxus, itemque gravedo, vel narium ftillicidium, itemque tuffes plus minus graves, fub quibus facies rubebat, ac leviter intumefcebat. Dorfi & artuum dolores plus minus vehementes, modo tenforii, modo etiam lancinatorii concurrebant, fuccedente naufea, quam fæpius vomitus fubinde recurrentes, copiofamque faburram mucofam & interdum biliofam eliminantes, excipiebant. Febris tunc incrementa fenfibiliter fumebat, cum fumma in plurimis conjuncta inquietudine. Satis variabat, & non in omnibus admodum urgens erat. His ita per biduum, triduum, vel quatriduum durantibus, maculæ tandem plures vel pauciores in confpectum prodibant, & quidem cum notabili utplurimum remiffione fymptomatum. Efflorefcentiæ iftæ per nycthemerum & ultra fubfiftentes, poftmodum fenfim in facie & fucceffive in reliquis corporis partibus evanefcebant, ac fquamarum inftar decidebant, hæcque erat morbillorum benigniorum facies, quæ, quo magis & longius ab hoc fchemate recedebant, id quod fatis frequenter contingebat, eo periculofiores evadebant. Non pauci interim ftatim a primo invafionis tempore, videlicet quando nullæ rejectiones faburræ cujusdam per vomitum præcedebant, utpote quæ femper fere infigne levamen attulerunt, adeo vehementi æftu, unacum extraordinaria capitis temulentia & inflatione externa corripiebantur, ut non folum phreniticorum ad inftar fubinde delirarent, fed & ob impetuofiorem talem fanguinis verfus caput congeftionem, inftantium morbillorum eruptio retardare-

tur,

tur, atque nisi tempestiva sinceri sanguinis excretio e naribus superveniret, (quæ tamen in plurimis fere, præsertim paulo ante morbillorum eruptionem, cum præsentaneo communiter levamine, contingebat,) in ipso morbi incremento quasi suffocaretur. Quando vero talis narium hæmorrhagia, quæ hoc tempore adeo frequens erat, ut vix tertia ægrotantium pars ab ea immunis maneret, in excessum degenerabat, tunc morbillorum eruptio tardius ægriusque succedebat, indeque complura pessima & non raro funesta emergebant symptomata, quemadmodum illud, inter multos alios, in puero quodam 8. annorum, observare licuit, cui, instante morbillorum eruptione, adeo excessiva narium hæmorrhagia obtingebat, ut, viribus sic plane exhaustis, nulla fere efflorescentia in cute compareret, ægerque quasi soporosus & immobilis jaceret, qui tamen præter spem & opinionem, adhibitis analepticis, blandis alexipharmacis, ac subjuncto tandem leni laxante, e mortis faucibus eripiebatur. In nonnullis autem, ubi quidem narium hæmorrhagia, sed parcior & insufficiens, eruptionem præcessit, vel etiam in nudis moliminibus substitit, facies vero admodum inflata, & oculi rubore perfusi fuerunt, ordinarie & certiora & graviora succedebant deliria, quorum mitigationem qualemcunque quidem largior excipiebat eruptio exanthematum, cum interspersis tamen petechiis, quæ communiter certissimum brevi post imminentis mortis præbebant signum. Pariter quoque, si narium hæmorrhagia tempore eruptionis morbillorum eveniebat, raro illa salutaris erat, sed ut plurimum vel expulsionem ipsam turbabat, vel retrocessionem plenariam eorundem promovebat, cum lethali plerumque eventu. In junioribus infantibus, ubi dentitio difficilis simul concurrebat, non solum epileptico - convulsivi motus atrociores excitabantur, sed & miasmatis morbillosi secessio & eliminatio intercipiebatur,

batur, ſicque mortis periculum vix ac ne vix quidem evitari poterat. Sic infans ſeſqui circiter anni occurrebat, qui ſub prima dentitione convulſionibus correptus ac poſtmodum ſemper valetudinarius fuerat. Huic, cum morbillis laborare inciperet, ob concurrentem iterum difficilem dentitionem, ſimiles convulſivi motus eveniebant, debitamque morbillorum eruptionem impediebant, ut pauciores & juſto pallidiores prodierint, tandemque retroceſſerint, unde dein, ſub continuo æſtu ſicco, ſpatio trium hebdomadum, cum madore in cute evidenter pingui, beata analyſis ſequebatur. In quibusdam Natura quidem expulſionem exanthematum, ſed vel juſto citius, vel tardius moliebatur, ſicque ſalutaris internus impulſus poſtea deficiebat, quoniam in priori caſu Natura nimis præcipitanter agebat, dum materia peccans nondum ad excretionem ſatis apta & præparata erat, quare etiam exanthemata facile retrocedebant; in poſteriori autem caſu eadem nimis languide procedebat, dum miasma morbilloſum nec ſufficienter, nec tempeſtive ſatis ad peripheriam corporis deferebat; in utroque autem hoc ſtatu pallidiores minuſque elevatæ adparebant efflorescentiæ, deficientibus inſimul viribus, unde mortem in propinquo eſſe facile concludebatur.

Proinde etiam ſinguli fere ægrotantes multum ſternutabant, manifeſto teſtimonio, quod narium quoque interior tunica morbillis ſit obſita. Tuſſis tamquam inſeparabile ſymptoma ſub hoc morbo, in quibusdam ſubjectis erat tolerabilis & moderata cum aliquali excretione materiæ mucidæ; in aliis tamen vehementior & pertinacior, præſertim circa tempus eruptionis, ubi ſicca & clangoſa erat, ægrosque eximie fatigabat. In paucis diarrhoea occurrebat, etiam ſub eruptione, tuncque ſi placida erat, hanc minime impediebat, ſed potius promovebat, excedens autem contrarium exſerebat effectum, vires nimium abſumebat, re-

tro-

trocessionem accelerabat, adeoque absolute perniciosa erat. Interim tamen puerulum offendi, duorum annorum, qui etiam sub justo tardiori, sexto scilicet die, demum contingente eruptione morbillorum, ex incuria parentum, ob inconveniens regimen, dejectiones alvinas satis copiosas habuit, absque ullo detrimento, sed potius cum euphoria, quamquam illæ adhuc continuaverint, cum morbilli evanescere inciperent, insuperque copiosæ striæ sanguinis floridi in excrementis adparuerint. Erant autem diarrhoea tales sanguinolentæ haud adeo infrequentes, & tam ante eruptionem, quam sub desiccatione eveniebant; præsertim vero observabantur in subjectis plethoricis, narium hæmorrhagiis antea frequentius obnoxiis, nunc vero suppressione earum laborantibus.

Quod ad morbos consequentes attinet, hi pariter admodum erant numerosi, vixque unus & alter ægrotus sine aliis emergentibus & exinde pullulantibus incommodis, non raro perquam sonticis, evadebat; immo non pauci talium ægrotantium, post plenarie absolutum morbillorum decursum, e vivis adhuc erepti fuerunt, siquidem tussis, sub morbillis jam oborta, tanta nunc sumebat incrementa, præsertim ex imprudenti & neglecto regimine, ut pene suffocari viderentur, cum gravi raucedine; quemadmodum etiam complures alii occurrebant, qui ex metastasi peccantis materiæ, non sufficienter ad peripheriam corporis delatæ, asthmate convulsivo, aut catarrho suffocativo correpti, derepente enecabantur. Ubi autem debilior jam erat pulmonum constitutio, ad suscipiendam ulcerosam corruptionem magis proclivis, ibi facile Phthises emergebant, febresque lentæ hecticoideæ, in quibusdam diutius durantes, in aliis vero citius lethali sese exitu terminantes. Tumores parotidum & glandularum inguinalium satis quoque frequenter occurrebant, & modo resolutionem salutarem admittebant,

 modo

modo etiam in ſuppurationem degenerabant, & tunc ægrius iterum ſanari poterant. Aurium tinnitus gravitasque auditus multam diuturnamque moleſtiam ægris creabant. Aures ſubinde materiam fœtidam copioſe plorabant; quemadmodum etiam ulcera, totam faciem depaſcentia, cancroidea & deleteria, in puero obſervavi. Oculorum inflammationes, manationes & palpebrarum eroſiones, ſatis pertinaciter quoque ſeſe gerebant, unde dein frequentes obſcurationes viſus, panni, pterygia, immo cœcitates exſurgebant. Labiorum oris tumores, eorumque & gingivarum exulcerationes, hinc inde itidem adnotabantur. Scabies rebellis, in aliquibus totum corpus defœdans, ſatis moleſta erat. Tenſiones artuum ſpaſticæ, aut eorum ſemi - paralyticæ relaxationes, hinc inde ſimiliter eveniebant, unde impotentia ambulandi, aliique hujus cenſus pravi & heterocliti, contumaces ac periculoſi adfectus ex translatione, ſeu metaſtaſi miasmatis morbilloſi, aut etiam indigenæ impuritatis tam medicaſtrorum, quam ipſorum ægrotantium, perverſum regimen admittentium, culpa exorti, hosque diu vexantes, immo interdum enecantes, notabantur.

Curatio ubique ſimilibus nitebatur indicationibus, ſaltemque diverſitas ætatis, temperamentorum, &c. non niſi quoad doſin & remediorum adhibendi modum, variationem quandam exigebat; de reliquo paucis ſelectis abſolvi poterat, & in quam plurimis, præſertim paulo robuſtioris conſtitutionis ſubjectis, raro neceſſaria erat, quamquam haud diffitendum ſit, quod horum inprimis, ex incuria parentum & negligenti, vel plane perverſo regimine, plurima pars fatis ceſſerit; ubi vero prudenti conſilio, remediis neceſſariis & decenti ac congruo regimine tempeſtive ſuccurrebatur, ibi certe multi e faucibus mortis eripiebantur. Medicaſtrorum interim impudentia vix erat cohibenda, ſicque horum

horum audaci ac nefando auſu ineptisque conſiliis, hinc inde haud exiguus ægrotantium numerus e vita migrabat. Methodus ergo indoli morbi conveniens & placida optima & ſecuriſſima erat, abſtinendo ubique a regimine nimis calido & anxio, itemque a remediis calefacientibus, volatilibus, & ſic dictis expellentibus, nec non a narcoticis, aliisque incongruis, communiter opinionibus credularum & ſtolidarum vetularum magis, quam experientia probatis, mirisque encomiis ab illis deprædicatis ſpecificis. . In ſubjectis itaque floridioribus & ſanguinis ebullitionibus p. n. facile expoſitis, in quibus vel retardebatur, vel etiam præcipitabatur efflorefcentia morbilloſa, temperantia & alterantia, mixturæ ex aquis diapnoicis, cum antimon. diaph. & Ocul. Cancr. citratis paratæ, exoptatum utplurimum effectum præſtabant. In conſtitutionibus vero ſegnioribus, ubi morbilli nimis ſero erumpebant, temperati pulveres bezoardici, ad mentem Illuſtr. Stahlii compoſiti, quandoque cum paucis Myrrhæ granis commixti, parvis, ſed ſæpius repetitis doſibus exhibiti, itemque Eſſentiæ temperatæ alexipharmacæ eruptionem deſideratam facile promovebant. Narium hæmorrhagiæ & diarrhoeæ, quamdiu adhuc moderatæ erant, nullis indigebant medicamentis; quando vero magis excedebant, temperantia & abſorbentia, tandemque lenia tonica, & inprimis Cortex Caſcarill. optimum effectum præſtabant. Reliquiæ morbillorum, omniaque fere ſymptomata exinde enata, feliciſſime tandem tollebantur reſolventibus, Eſſent. Pimpinell. alb. alexipharm. Stahlii temperata, & blandis laxantibus.

OBSERVATIO LX.

Dn. Lic. JOAN. JACOBI SCHLIERBACHII, Hæmorrhoidum in Hydrope fluxus fatalis.

Vir 40. annorum melancholico - ſanguinei temperamenti, aliquamdiu dorſi & ventris ventriculique doloribus, ex congeſtione ſanguinis atque moliminibus hæmorrhoidalibus ortis, laborabat; variis vero hinc inde corraſis & adſumtis calidis carminativis, & ſedativis tractatur, unde tandem tumor partium inferiorum, ſeu Aſcites, atque ſuperiorum contabeſcentia inſignis ac in dies majus incrementum ſumens, ſuccedebat. Tandem ſuperveniebat quidem hæmorrhoidum fluxus largus, qui primo Hydropem quadantenus imminuere videbatur, nullo tamen cum conſtanti & ſalutari effectu, ſiquidem brevi poſt omnia reddebantur pejora, ac mors in propinquo erat, immo hac ratione potius accelerabatur. Temerarium ſane maximeque perverſum eſt conamen, ſi in hæmorrhoidariis, de torminibus ventris colicis, cardialgiis atque adpetitus vitiis conquerentibus, ſtatim carminativa, ſtomachica calida, variæ compoſitionis præſcribuntur; præſentes enim motus heteroclitos & anomalos magis & facilius turbant, exaſperantque. Nullæ enim hæmorrhagiæ ex propria ſua indole ſenſibiliores exiſtunt, quam hæmorrhoides. Hinc HIPPOCRATES *Sect. VI. Aphor. 12.* inquit: Si quis hæmorrhoides diuturnas ſiſtere velit, niſi una ſervata fuerit, hydropis vel tabis metum adfert, quod inprimis quam maxime valet de repentina & ſimultanea ſuppreſſione hæmorrhoidum fluentium, aut quadantenus excedentium, hac enim ratione facillime fieri poſſunt impetuoſiores ſanguinis regurgitationes

ver-

versus hepar, pectus & alias nobiliores corporis partes, idque tanto facilius in hæmorrhoidibus jam turbatis, ubi inordinatæ jamjam factæ sunt congestiones versus abdominis viscera, adeoque periculum magis magisque ingravescere potest, nisi talis motuum anomalia admodum prudenter per derivantia, resolventia, temperantia, &c. tractetur, omniaque calidiora remedia sedulo evitentur, utpote quæ ordinarie statum talem deteriorem reddunt. Cæterum Hydropem incipientem ex hæmorrhoidum anomaliis, quandoque sublevari tempestiva harum eruptione testatur Clariss. ALBERTI, *Tract. de Hæmorrhoid. P. I. p. 146. §. XXVI.* antequam scilicet viscera interna obstructa jam indurata sunt; quando enim Hydrops consummatus præsto est, tunc sane nunquam salutaris est hæmorrhoidalis fluxus, sed tantum ultimum Naturæ conamen frustraneum indicat, vid. *Tractat. citat. p. 122. §. V.*

OBSERVATIO LXI.

Dn. Lic. JOAN. JAC. SCHLIERBACHII.

Febris tertiana exquisita, septem circuitibus terminata.

Juvenis nobili ex stemmate prognatus XVI. annorum, sanguineo - cholerici temperamenti, in addiscenda arte venatoria potissimum occupatus, hinc inde in sylvis discurrendo sese aliquando nimium defatigaverat, humores plus justo exagitaverat, unde paulo post in febrem tertianam exquisitam incidit, cum intensiori capitis dolore, siti ingenti, & somno admodum interrupto ac inquieto. Quamquam ergo plethora, per motum intensiorem in venatione admodum commota, venæsectionem indicare & requirere videretur, ea tamen omittebatur ob ætatem juniorem,

rem, ſtatimque ordinabantur pulveres nitroſo-abſorbentes, interpoſitis temperatis alexipharmacis. Finitis hac ratione tribus paroxyſmis ante quarti initium ſalutari prorſus omine, ſpontanea ſatisque larga narium hæmorrhagia oboritur, & ita quartus, quintus & ſextus paroxyſmus, ſub continuatione prædictorum remediorum, decurrunt, ſeptimus vero perquam lenis mitisque evadit, nullusque amplius eidem ſuccedit, ſed tantum immediate eundem largi ſudores, præſertim nocturni, excipiunt, cum ſumma euphoria & inſequente plenaria ſanitate. Exinde facile adparet, quod, ſi plethorici fuerint febricitantes, nec tamen venæſectionem admittere velint aut poſſint, optime conducant temperantia & moderata diapnoica, evitando omnia ſpecifica & antifebrilia; utpote ordinarie in tali ſtatu magis ſuſpecta & noxia. Sic etiam in ſimilibus ſubjectis, concurrente ſub ejusmodi febribus graviori cephalalgia, ſi venæſectio intermittitur, narium hæmorrhagia larga ſupplet intentionem Naturæ, intuitu actus febrilis, atque ſic paroxyſmos abbreviare & mitiores reddere valet. Proinde etiam, licet HIERON. MERCURIALIS & Illuſtr. HOFFMANNUS aliique in ſeptentrionalibus humidioribus & frigidioribus noſtris regionibus, reſpectu calidioris patriæ HIPPOCRATIS adſertum hujus, quod in *Lib. de indicat.* §. 4. extat, quod nempe *tertianæ ſimplices ſeptenis circuitibus ſponte ſua ſæpiſſime finiantur*, haud ubique verum eſſe deprehenderint, noſter tamen caſus idem illud certo reſpectu iterum confirmare videtur. Tandem etiam inde liquet, quod naturaliter in ſubjectis plethoricis paulo largior ſuccedere debeat ſudor, qui inprimis frequentius nocturnis horis prorumpit, unde tunc quam maxime conducunt diluentia & temperantia, quæ dein tanto magis humores diſponunt, ut verus criticus ſudor cum euphoria ſuperveniat.

OBSER-

OBSERVATIO LXII.

Dn. Lic. JOAN. JACOBI SCHLIERBACHII, Febris quotidiana intermittens, Arſenico perperam curata.

Juvenis mercenarius, XXII. circiter annorum, ſanguineo-melancholici temperamenti, ante aliquot annos ineunte æſtate in tractum illum Rheni, quem ſuperiorem Palatinatum vocant, operas mercenarias exercendi gratia proficiſcitur, ibidemque, pro more incolarum, multam aquam præter conſuetudinem, ingurgitans, poſt reditum in patriam incidit in febrem intermittentem quotidianam. Hujus vero ſtatim pertœſus adit Chirurgum temerarium, qui puluillum ipſi exhibet album mole quidem exiguum, effectus tamen, prout audacter jactitabat, præſentanei, in aquæ frigidæ menſura circiter dimidia adſumendum, unde etiam febris ſtatim quidem ceſſat & ſubſiſtit, ſed preſſo pede eandem inſequitur cephalalgia immanis, adpetitus proſtratio, corporis extenuatio cum præcordiorum anguſtia inſigni & pedum intumeſcentia ædematoſa, quæ ſymptomata dein prudenti & diuturna medicatione per laxantia; amara, incidentia ac reſolventia admodum difficulter tandem removeri & profligari iterum poterant.

Scholion.

Quod contra conſuetudinem eſt, nocet, dicit CELSUS; a multo tempore conſueta, etiamſi deteriora ſubinde fuerint, præ inſuetis minus nocere jam notavit HIPPOCRATES. Quid ergo valeat conſueta victus ratio, ſi illa conſervetur, ad ſanitatis integritatem, aperte in illis videre licet, qui ab ea ſubito recedunt: Heic enim locorum,juxta communem vivendi rationem admodum frequenter comeduntur

jusculа & alia cocta esculenta cum potu quantumvis levi, tamen cum lupulo sufficienter saturato, cerevisia nempe secundaria. Quando itaque æstivo præsertim tempore sub aëre fervidiori hic vivendi modus & consuetudo mutatur, multaque frigida aqua, jejuno inprimis stomacho, ingeritur, ubi alias jam omne nimium naturæ inimicum existit, necessario hinc ventriculi concoctio admodum læditur, variique primarum viarum morbi, sanguinis depravationes, febres intermittentes, aliaque plura mala enascuntur, prout antea recensitus casus abunde docet.

Quod vero album illud specificum antefebrile nil aliud fuerit, quam Arsenicum album, nequissimum medicastrorum quorundam febrifugum, de eo tanto minus dubitare licet, ob effectus statim non solum, sed & successu temporis insecutos, quales etiam fusius de eo recenset Illustris STAHLIUS in *Opusc. Chym. phys. med. M. Novembr. p. 430.* Temerarius ille Chirurgus quidem adseverare adnititur, quod Arsenicum illud, ex quo specificum suum febrifugum constat, adeo fixatum atque cum aliis correctum sit, ut nulla deleteria mala inducere possit; ast, effectus ejus pessimus nequissimusque quotidie contrarium docet, quemadmodum etiam Illustris jam nominatus STAHLIUS l. c. satis exacte demonstravit, quod Arsenicum nullis artificiis Chymicis eo deduci queat, ut securum & verum remedium constituat, quoniam fere semper & ubique venenosam suam indolem adhuc exserere soleat. Hujus etiam farinæ est compositio, & correctio Arsenici per commixtionem cum aliis & subjunctam decoctionem, de qua inter alios mentionem facit WEPFFERUS *in Hist. de Cicuta aquatica noxis p. 291.* cum ingenua confessione, se ab ejus tamen usu abhorrere, quantumcunque etiam præparatum, aut quomodocunque fixatum deprædicetur. Communicata mihi quoque est ab alio quodam Chirurgo castrensi præparatio & correctio singularis

Arse-

Arsenici, tamquam certissimum ac securissimum, si Diis placet! arcanum in febribus intermittentibus æque ac Epilepsia, aliisque motibus convulsivis, infantum præcipue. Hanc vero præparationem sub titulo arcani ea intentione jam communicare placet, quo pessimi hujus artificii effectus probe adnotare, detestari ac evitare cordatus & ingenuus artifex possit.

Rec. Arsenici alb. uncias 3. salis Tartari & Absynth. Ciner. Juniperi & Absynth. Vini optimi, Acet. vini, Aquæ fontan. ana uncias 2. decoquantur & per filtrum trajiciantur. Dosis in adultis gtt. XV.

(Battenberga Erfordiam missa d. 10. April. 1740.)

OBSERVATIO LXIII.

Dn. D. GEORGII FRIDERICI GUTERMANNI, De Corde Pericardio atque Mediastino in unam massam tunicaceam compactis.

Lindavia in lacu Brigantino accidit, ut in puero ætatis octo annorum insolita cordis structura a terrore maximaque animi anxietate inducta, atque triennio fere post lustratis corporis sui exanimis visceribus ab me visa repertaque fuerit, qualem inscriptio hujus observationis indicat.

Is ab incunabilis præter solennes infantiles ægritudines integra semper sanitate bonaque indole fuerat, aliquando tempore verno, horaque pomeridiana ex oppido in campum eo progressus est, ut viæ, quæ in urbem reducit, ignarus usque longius aberraret, tandemque crepusculo vespertino tenebrisque nocturnis obrutus, qua in via & quorsum pedem moveret, nesciret, sed, uti proclive est

judicatu de tam teneræ ætatis puello, imprudente, propter vitrici duritiem & verbera metuente, solitario, errabundo, derelicto, ab hominibus remoto, auxilium clamore ploratuque frustra invocante, in via devia, temporeque nocturno, terrore atque pavore supra omnem modum perculsus tam veloci, quam pro viribus pollebat, pede aufugere, frutices & caudices transilire, per fossas & paludes vadare non interquiesceret, usquedum lumina procul conspiceret, eorumque ductum sequens tandem in pagum sesqui horam ab oppido distantem, cui nomen est Wasserburg, perveniret.

Ibi id beneficium ei contigit, ut in proximo tugurio probos offenderet homines, iisque & suum & vitrici agnomen appellare nosset, a quibus benevole hospitio exceptus, cibo potuque recreatus, in lectum repositus, & postridie in urbem ad parentes reductus fuit.

Ex hoc vero tempore cordis palpitatione & respirationis difficultate laborare, sive in platea promte incedebat sive scalam ascendebat, nec minus pededentim claudicare, doloreque tensivo atque tumore pallido, duro, lente succrescente in pede extremo, alioque cubitum dextrum occupante affligi cœpit; Accessit etiam sesquiennio post una cum invalescente asthmate intumescentia corporis & pedum hydropica; quibus malis ultra annuum spatium & Physicorum loci alter curam adhibuit & chirurgus quidam manum admovit, semper absque ullo bono effectu.

Quum ego tandem novus advena accerserer, circa meridiem in commodo sedili mensæ assidentem strangulisque involutum vidi, remque præter superius dicta tam præteritam quam præsentem ita comparatam expertus sum.

Tho-

Thorax & anterius & posterius, neque minus artus & superiores & inferiores impense macebant; Abdomen una cum hypochondriis usque ad lumbos valde tumebat, omnesque & singulæ venæ tam epigastricæ quam hypogastricæ in conspectum veniebant lividæ; Spina dorsi a naturali sua flexura sigmoidea deflexerat in figuram arcuatam, vertebris quippe lumbaribus non intra, sed extra versis & ultra modum præ cæteris eminentibus; Pedes, ajebant, antehac fuisse tumidos, tunc circa genua stigmata ambustionis ab accenso spiritu vini, quo mediante in sudorem agi debuerat, præ se ferebant; cubitum dextrum occupabat tumor mollis isque insignis, ultra spithamam longus, & in medio adeo amplus, ut comprehensum diductis utriusque meæ manus digitis simul undique amplecti non potuerim; idem cubitus ita rigidus erat, ut non tam flexionis quam extensionis motus neque sponte exeri, neque per subsidium manus fortis alienæ, sed tantum pronatio & supinatio libere fieri posset; Alia, quanquam multo minor intumescentia supra os tarsi, quod ultimum metatarsi sustinet, prominebat; Sub maxilla inferiore sinistri lateris glandula quædam tumefacta magnitudine nucem juglandem æquabat; Appetitus & cibi & potus ægrotum jamdum destituerat; Respiratio & difficilis & brevis valde erat; Pulsus debilis & frequens; Facies Hippocratica; Urina tamen citrina; In complementum pessimorum signorum ab aliquot diebus diarrhœa ingruerat.

Itaque res conclamatas, omneque consilium & auxilium frustraneum, atque ægrotum propediem moriturum esse prædixi, id quod prognosticon tertio die post, leni obrepente deliquio & syncope cum eventu lethali respondit, quo facto parentibus persuasi, operæ pretium fore, si non abdomen, saltem magnum cubiti tumorem post obitum lustrare.

Conſilio annuentes occaſionem præbuerunt ſequentem in modum inveniendi atque recenſendi.

Extiſpicia.

Tumor cubiti leviter inciſus ingentem liquidi purulenti quantitatem effudit; Stylus adactus penetrabat ad partem lateralem eamque ſuperiorem olecrani, quod perioſteo denudatum erat, uti clare ex ejus reſonitu a ſtylo appulſo atque apertius remotis ligamentis, &c, quæ inibi deprehendebatur, excreſcentia glanduloſa apparuit; Color dicti oſſis plumbeus etiam ſubter perioſteum reliquam oſſis partem inveſtiens propagabatur; Cavitas evacuato tumoris pure, undique per interſtitia muſculorum, tendinum & ligamentorum repleta fuit partim dicta excreſcentia glanduliformi, partim materia ſebacea, ſive pure condenſato, ſive ſucco oſſis nutritio, extra oſſis lamellas, quia arroſæ erant, depoſito, inſpiſſato, corrupto.

Tuberculum occupans tarſi oſſiculum, quod quintum metatarſi ſecum conjungit, itidem pus album & ſpiſſum continebat, atque oſſiculum ipſum perioſteo privatum decolorque erat.

Abdomen quindecim ſeri extra vaſa fluctuantis libras comprehendebat.

Omentum, uti fieri ſolet hoc in morbi genere, ad ſuperiora retractum, adipe pauper, & corruptum.

Inteſtina penitus fere collapſa, ſeu potius contracta, nullibique inflata; io jejuno lumbricus hoſpitabatur.

Ventriculus ab aſſumtis liquidis haud ita multum expanſus.

Hepar & Lien a naturali ſtatu parum deflectebant, niſi quod utriusque viſceris ſuperficiem ſeri hydropici acrimonia ſalina leviuſculn excoriaviſſe videretur.

Fellis

Fellis veſicula corrugata fuit, parumque bilis continuit.

Thorax apertus in latere ſiniſtro latice ſeroſo, quantum capere potuit, expletus; Lobus pulmonis duplex in parte poſtica per fibras præter naturam pleuræ annexus, ejusque ſubſtantia colore atrob-runo, compage craſſa & ponderoſa fuit.

In dextro latere altera pulmonum pars pleuræ undiquaque firmiſſime accreverat, itidem ex livido nigricans, ſpiſſa, gravis & corrupta.

Mediaſtinum & Cor unacum Pericardio præter expectationem proſus inſolitæ & ſecum invicem confuſæ erant texturæ, Nam id, quod videbatur imo debeat eſſe mediaſtinum & pericardium, membrana fuit quatuor lineas craſſa, qua cum confuſa fuit ipſa cordis ſubſtantia, quam non carneam, ſed penitus tunicaceam inveni. Cultellus enim non niſi in ipſo cavo demum cordis hujusque ſuperficie intima fibras muſculoſas, (intelligat B. L. velim, præter columnas carneas) detexit, primum in ventriculo dextro, ſimiliter dein quoque in ſiniſtro, ita ut mediaſtinum, pericardium, & cordis ſubſtantiam ab invicem recte diſtinguere, nedum ſeparare, aut perſpicuum quoddam pericardii ejusve reliquiarum ſignum, notam vel indicium reperire, nullo modo callerem, ſed tres iſtas notabiles corporis humani partes, quæ alias notiſſime disjunctæ ſunt, in unam maſſam & globum e firma tunica compoſitum confuſa & compacta fuiſſe, vera fide aſſeverare poſſim. Intrinſecus equidem, in cavitatibus cordis, ventriculi & auriculæ, trabes, columnæ & valvulæ, haud immutata fuerant, verum extrinſecus plane alium induerant habitum, qui nihil minus, quam muſcularem ſubſtantiam exhibuit, ſed ex unica eaque robuſta tunica, attamen graciliori, quam moles cordis muſculoſa eſſe

con-

consuevit, constructa; Vasaque sanguinea præter modum angusta, gracilia, minusque capacia fuerunt.

Mirare atque celebra prius, Lector Benevole, mecum, quam rationem postules de hoc insolito phænomeno, impensam DEI Optimi Maximi bonitatem, qua pusillum huncce puerum insciis atque invitis parentibus non solum domo sed & oppido, quod circumcirca undis maris sic dicti Suevici alluitur, & tantum per pontum ligneum, eumque bis centum & triginta passus longum cum terna continente jungitur, temerario ausu egressum, ideoque in peccato puerili versantem, in via sua erronea comitatus est, ab omni casu infausto custodivit, tandemque in satis commodum hospitium duxit, & altero mane parentibus de filiolo suo solicitis vivum salvumque reddidit. Eademque divini Numinis bonitas puerum huncce immisso in perenne imprudentis excessus monumentum morbo lentissimo & placidissia morte affectum ab innumeris aliis, quibus mortales tota die per omnem vitam premuntur, casibus adversis clementissime liberavit.

Aetiologiam autem, si desideras, hujus status præternaturalis ita mente concipio; Terror iste metusque plusquam Panicus, quem defunctus triennio fere ante beatam suam analysin perpessus fuerat in solitudine & tenebris, locisque ignotis deviisque haud ita procul a Lacu, per paludes, trans fossas, extra urbis mœnia errabundus, copiosam circa pulmones & cordis vasa sanguinis congestionem eo magis, quo concitatiori cursu ad sese periculo eripiendum omnes intenderat nervos, induxerunt, partiumque constrictionem plane extraordinariam, unde principium palpitationis cordis, laboriosæ respirationis, obstructionis vasorum pulmonalium, & cohæsionis, imo successive factæ coalitionis non solum pulmonis dextri cum pleura, sed etiam cordis ipsius cum pericardio (quod ipsum prorsus defuisse haud

haud injuria dixero) atque cum mediastino. Ex hac informi constrictione, compactione, immutatione, & respective obstructione horum viscerum atque vasorum sanguinis motui vitali inprimis inservientium, successu temporis deficienteque congrua medela, usque magis impeditus fuit sanguinis liber progressus & circuitus; hinc non potuit non fieri secessio partis serosæ, ruptio vasorum lymphaticorum, effusio seri, ceu ratio formalis hydropis ascitis, ultimato plenaria sanguinis stasis in pulmonibus & corde, cum subsequa defectione animi & morte.

Accretionem viscerum p. n. contingere ab acrimonia seri, superficies parenchymatum primum arrodentis, excoriantis, deinde excoriata mediante purulenta sanie elicita conglutinantis, eo minus licet in dubium vocare, quia datur coalitio digitorum & labiorum pari modo contingens.

Terror, angor, metus, cura, solicitudo, idem efficit, quod senectus; nimirum motum sanguinis retardat, circulationem inæqualem reddit, partes nobiliores facit exsangues, obstruit, exsiccat, indurat, tandem ossificat. Propterea fit, ut os reperiatur in corde cervi quanquam minus adulti, dummodo vero a venatoribus sæpe exagitati; Contrario modo res se habet, ut homines, qui sine terrore, metu aut curis vivunt, perditi, leves, nauci, incurii, securi, acedia morali laborantes, les sans souci, les nonchalans, les indifferens, die Lumpen-Leute, sæpenumero Nestoris annos attingant.

Quam fallax de statu hominis sano & morboso urina perhibeat testimonium, patet ex relatione, juxta quam candidatus mortis emisit lotium sic dictum cirrinum, quale uroscopi docent sanitatem, significare incolumen.

Quod reliquum est, in puero isto dubio procul cum in brachio tum in pede principium adfuit spinæ ventosæ, quam

L. B. a Brunn asserit frustra alibi amputatione fuisse curatam, cum eadem ulcera mox alia occuparent atque excederent ossa ; quoniam nempe neque Medicus, neque Chirurgus discrasiam sanguinis atque efficaciam cordis emendare, moderari, meliorari, dirigere valebat. Verum enim vero de spinoso isto spinæ ventosæ malo, ulcerumque cariosorum lue & malitie plures meas qualescunque observationes pathologico - semiotico - therapevticas alio in medium proferam tempore.

OBSERVATIO LXIV.

Dn. D. GEORGII FRIDER. GUTERMANNI.

De

Vomitu, aquæ ex gulæ, cardialgia & colica spasmodica chronica, crebrisque evomitionibus blennæ acidæ nigræ, atque alvi segnitie pertinacissima, cum relatione extispiciorum & judicio pathologico.

Senex sexagenario major, temperamenti sanguineo-melancholici, duris a pueritiæ laboribus adsuetus, cauponis & aurigæ vitæ genere subinde inordinato usus, munus tandem obiit præfecturæ, vitæque genus iniit per se satis quidem commodum atque otiosum, sed & tædii ab aliis excitati uberrimum. Quum nihil minus, quam sana sobriaque diœta, ab adolescentia suæ curæ esset, id ineptiæ non minus in novo otioso, quam pristino laborioso vivendi modo committere perrexit, ut quotidie horis antemeridianis jentaculi loco cerevisiam brunam potaret, maximisque in deliciis haberet, ceu potum, uti opinabatur, cum

ad

ad ſitim reſtingendam, tum ad famem ſatiandam idoneum, ventriculoque apprime proficuum, potiſſimum, quia appetitus in prandio & cœna ipſum deficere cœperat.

Neque vinum ſprevit, quippe cujus mercaturam per multos annos fecerat, idque veſperi ad ſatietatem bibere conſuevit. Cum morbis olim raro conflictatus fuerat, bis tamen ex febri acuta, atque aliquoties ex colica in itinere ipſi infeſta evaſerat.

Quoniam novum officium creberrimam iraſcendi occaſionem præbebat, atque conſuetudo matutini potus omni die continuabatur, ideo præter incommodum, quod jam antehac familiare ei fuit, vomitum nempe matutinum aquæ ex gula, incidit in cardialgiam ſpaſmodicam a remedio purgante, quod ab empirico acceperat, valde exaſperatam, cui acceſſit colica per vices innumeras ægrotum peſſime crucians, cum alvi ſegnitie, atque invaleſcente conſtipatione tam pertinaci, ut per tres menſes & ultra non niſi mediante adminiculis medicinæ aperitivæ, vel clyſteris ſcybala ſicciſſima atque duriſſima reddi potuerint. Equidem quandoque nunquam tamen ſponte, ſeroſa dejiciebantur una cum, alias quoque ſine induratis ſcybalis, ſed talis excretio ægrotum æque parum alleviabat, quam vomitio ſaburræ, pituitoſæ, ſeroſæ, nigræ, faucis arrodentis fere & dentes ſtupefacientis.

Brevitatis ſtudio ſuperſedeo enumerare remedia, quæ unus alterque medicus ordinaverunt. Sufficiat, rem ad ultimum usque vitæ halitum eodem modo proceſſiſſe, donec æger doloribus, agrypnia, vomitibus, ſiti, labe, tuſſique, phthiſica conſumtus animam efflaſſet.

Relatio Extiſpiciorum.

Poſt obitum conſpecta ſunt, inteſtina tenuia leviter inflammata; craſſa a valvula coli ad recti finem uſque ſcy-

balis induratis atque exsiccatis magnitudine ovi columbini inter arctissimas contractiones spasmodicas tunicarum intestinalium subsistentibus, interspersis flatibus, obsessa;

Ventriculus late distentus, copiosa blenna ferrei sive subnigricantis coloris refertus;

Pancreas succo ejusdem fere coloris scatens, qualis etiam in duodeno reperiebatur;

Lien admodum parvus, corrugatus, membranam a levi attactu deponens, exsuccus, friabilis.

Hepar cum vesicula fellea, quadantenus sanum & integrum;

Pulmones collapsi, aliquod tuberculis exulceratis occupati;

Cor flaccidum, ex sangue;

Judicium pathologicum.

Non obstat a pueritia sanum atque a morbis immunem, durisque laboribus adsuetum fuisse, quo minus posthabito recto vivendi ordine invincibiles morbi ingruant. Robur juventutis, laboriosum & mobile vitæ genus diætæ erroribus tam diu ferendis superandisque par fuit, donec in vita magis sedentaria atque ætate senili constitutus, crebrisque animi commotionibus iracundis perturbatus pristinum valorem amiserit. Tum temporis decuisset sana diæta ab imminente morbo sese munire. Bibonum morbis haud injuria implicatur, qui antemeridiano tempore potum facile inebriantem, qualis est cerevisia bruna impense lupulata, quamvis haud ita larga in mensura, ingurgitat.

Hoc etenim modo ventriculi facultas victum solidum appetendi, probeque concoquendi labefit, potus ingestus in fermentationem suam acescentem abit, & primas vias humore fœculento acido onerat, cujus spicula & vapores stoma-

ſtomachum jenum atque œſophagum ad ſpasmum, nauſeam, & liquidi ex glandulis expreſſionem vellicant, hujusque evomitionem e gula provocant. Incongrue appellant das Gallen Waſſer, ſcilicet, quia nimis vehementes gulæ conſtrictiones & eructationes humoris limpidi haud raro comitatur, vomitus bilis, e veſicula fellea per conſenſum protruſæ in duodenum & ventriculum.

Stultiſſima talium bibonum conſuetudo eſt, ſtricturam hanc œſophagi, quæ prima, poſtquam e lecto ſurrexerunt, ſemihora invehi ſolet, prævenire recens epota cerevisia, vino vel vini aut frumenti aut ceraſorum ſpiritu, quia cauſa ſpasmum irritans non tollitur, ſed effectus modo ſuſpenditur, acidum in primis viis ſtabulans, diluendo & ventriculum ab ejus irritatione utcunque defendendo. Ita vero malum ſubinde pejus atque inſanabile evadit, maxime cum in errore ſuo ante meridiem potum ſorbendi perſeverent, adeoque fideliſſimi medici operam & conſilia, remediorumque certiſſimorum efficaciam eludant. Res denique eo devenit, ut iſti bibaculi, quales etiam in ſexu ſequiori novi, mero potu alantur, omnemque cibum faſtidiant, vel captum mox vomitu reddant. Eventus ultimus eſt, ut plerique labe ſymptomatibusque hypochondriacis confecti, alii hydrope moriantur.

Defunctus noſter male ſanæ diætæ ſuæ pœnas dedit non ſolum vomitu quotidiano matutino liquoris limpidi ex œſophago, ſed etiam cardialgicis colicisque doloribus chronicis intenſiſſimis, alvique obſtipatione contumaciſſima. Namque acidum ponticum, quod in ventriculo, duodeno atque Pancreate collegerant, tunicam villoſam, quæ nerveam ſtomachi quam inteſtinorum tunicam ab acrimonia præmunire ſolet, ſucceſſive exedit, ita ut denudata nervea ſenſibiliſſima nunquam non roſioni & ſpaſmodicis doloribus fuerit expoſita. Idem acidum auſterum cibum, quemcun-

que assumsit, ejusve reliquias adeo compegit atque constrinxit, ut excrementa per intestinorum tubum transire eo minus potuerint, quo magis labefactatus atque impeditus fuerat facultas & motus peristalticus intestinorum, sed mora sua usque magis exsiccata, indurata, atque scybalorum ovillorum instar conglobata fuerint, rarissime pariter & difficillime sive per remedia aperitiva, lubricantia, laxantia, martialia, sive per clysteres emolientes, stimulantes educenda. Propter læsum imo sublatum chylificationis negotium desiisse nutritionem corporis totius omniumque viscerum & partium, facile est augurari.

Liquidum istud subnigrum, quod in ventriculo & duodeno latuit, quale etiam vivus haud raro tam per os superius quam inferius rejecit, ex bile inerte cum acido humore conjuncta compositum.

Splenis vero parvitatem, corrugationem & corruptionem, item pulmonum labem atque exulcerationem, cordisque flacciditatem & sanguinis penuriam a plenario defectu lymphæ nutritiæ succorumque vitalium inductam fuisse, non dubito.

OBSERVATIO LXV.

Dn. D. GEORGII FRIDER. GUTERMANNI, De Extispiciis puellæ adultæ iisdem dolorum diuturnis afflictionibus atque intestini recti laceratione exstinctæ longe aliter se habentibus.

IN observatione superiori senis cardialgia & colica, cum crebro vomitu blennæ atrabilariæ alvique tarditate pertina-

tinaciſſima demortui viſcera deſcripſi, in præſenti referam ſtatum viſcerum puellæ anno ætatis vigeſimo iisdem plane doloribus, ſymptomatis & paroxysmis æque diu, crebro & vehementer exagitatæ, quæ vero longe aliter comparata fuerunt a me reperta.

Hæc cholerici temperamenti, humilis teneræque ſtaturæ, a biennio tributum lunare ſtato ſolvere tempore cœperat, in ſuppreſſionem autem repentinam hujus menſtrui fluxus incidit, quum hoc manante gravi ira concitaretur.

Satis mature quidem mater auxilium medicum petiverat, ſed neque conſtantes paroxysmorum induciæ impetrari, neque menſium negotium expediri unquam contigit. Quinimo doloris cardialgici & colici, undiquaque per omnes abdominis regiones multo ferocius, quam in dicto ſene diutioribusque paroxysmis, atque poſtremis vitæ hebdomadibus indeſinenter ſævierunt. Quidquid cibi vel potus, quin etiam medicamenti aſſumſit, ventris dolores reſuſcitavit.

Neque minus umbilicus & abdomen introrſum retractum, & alvus ſemper adſtricta, clyſteribus aliisque ad officium ſtimulanda, ultimis tribus fere ſeptimanis plane nihil præter pura clyſmata injecta reddidit. Tuſſis etiam acceſſit, ſed ſicca ſine notabili ejectione, a cujus concuſſione abdominis dolorum vehementia ad ejulatum uſque intenſa fuit. Accerbis hiſce cum malis poſteaquam ultra tres menſes conflictata fuerat, pari fato, uti ſenex, a doloribus cardialgicis & colicis ſpaſmodico - convulſivis interfecta eſt.

Extiſpicia.

Corpus exanime adeo emaciatum, ut non niſi cutis oſſa tegeret, idemque fœtore totum conclave inficiente naribus

ribus & vel his talibus putidis effluviis non inſuetis ſumme moleſtum.

Oculi hiantes, palpebras enim, ajebat mater, primo ſtatim poſt obitum momento omni adhibita opera clauſuram non admiſſiſſe, atque defunctam ad ultimum uſque ſpiritum vehementiſſimis torminibus excruciatam, conſuetam fuiſſe in maximo dolorum furore oculos defigere quendam in locum, itaque etiam in ipſo mortis articulo eosdem immotos atque apertos retinuiſſe.

Remotis tegumentis communibus abdominis muſculi ſiderati ſive nigredine infecti, quales etiam Pſoas & Iliacus comparuere.

Peri[illegible]ei facies interna pariter atque inteſtina undique obducta[illegible] conſpurcata magmate lutoſo, obſcure cineritio, fædiſſimo, tenaciſſimo, ſpongiæ neque aqua calida ebriæ neque expreſſæ lituram ne vix quidem admittente. Hujus putidiſſimi glutinis tanta adfuit copia, ut non ſolum omentum atque inteſtina ei immerſa primum aſpectum fugerent, neque ventriculi paries externa ab eo immaculata, ſed & pelvis atque regio iliaca utraque ad uſque hypochondria eodem referta eſſet, haud ſecus, quemadmodum ſerum aſciticorum viſcera undique lambit, ſic in hac defuncta gluten ſtercoreum interaneis abdominis ubique adhæſit.

Omentum non modo & vel tantillo adipis deſtitutum, ſed etiam ſphaceloſum, ſimul tamen inteſtinis ſubjacentibus ope fibrarum p. n. annexum, quas niſi ſphacellus reddidiſſet friabiles, ab inteſtinis avelli vix potuiſſet epiploon;

Inteſtina, quæ alias tantum non fluctuantia in abdomine continentur, hoc in corpore prorſus immobilia, quia non ſolum ſecum invicem atque cum meſenterio, verum etiam cum omento, cum peritonæo, cum hepate, cum fellis veſicula ductibusque biliferis, cum ſplene, cum ventri-

tri-

triculo, cum veſica urinaria intercurrentibus præter dictam materiam fæculentam glutinoſam compluribus ligamentis fibroſis ubique locorum firmiſſime conglutinata erant.

Eadem, expurgato luto adhærente, undiquaque contracta atque indice putrore, & friabilitate, item colore ex viridi nigricante, ſphacelo corrupta.

Craſſa inteſtina, quia non inania eſſe digitorum attactu cognoſcebatur, facta inciſione parile lutum putidum atque tenax cineritium intus recondebant, potiſſimum Rectum.

Idem rectum, caute diſſolutis ope ſcalpelli hebetis & digitorum præternaturalibus iſtis vinculis fibroſis, palmæ fere latitudine ſupra ſuam extremitatem inventum fuit lacerum, e quo hiatu fæces iſtas lutulentas haud ita brevi ante mortem prodiviſſe & ſucceſſive infimi ventris cavitatem viſcerumque ambitum expleviſſe negari nequit;

Veſica urinam ſature ruffam fudit.

Uterus cum ovario utroque illibatam teſtabatur virginitatem;

Ventriculus inſigni rubedine imbutus, atque ita contractus, ut menſuram quinque circiter unciarum non caperet;

Hepar p. n. fuſcum, denſum, durum, atque acinis, quaſi grandinibus, majuſculis innumeris turgeno;

Veſcula fellea bile onuſta;

Lien adeo corrugatus & collapſus, ut vix linguam hominis mole ſuperaret, inſimulque emarcidus & facile friabilis;

Diaphragma non minus, quam de inteſtinis ſupra dictum eſt, cum ſtomacho, hepate ac liene concretum, in parte ſua muſculoſa æque ac in tendinea gangræna ſphaceloſa correptum;

 Pul-

Pulmones collapsi, salva tamen a labe eorum substantia;

Cor admodum parvum;

In sinistra pectoris cavitate seri unciæ circiter duæ, in dextra vix duæ drachmæ stagnaverunt.

Epicrisis.

Tam extraordinariam intestinorum omnium destructionem & disruptionem fæcumque inusitatarum in abdominis abdita emissionem quis ante mortem absque brevia crepatura sonora audita, qualem disruptionem e. gr. Cel. WEDELIUS in diss. de morte Judæ, Arii intestinis ab ileo ruptis, vid. *Miscell. Cur. Dec. II. An. II. p. 449. seqq.* arguit, vel lynceis oculis prævidere, vel ulla probabili conjunctura hariolari potuisset? Ecquid mirum est, defunctam propter bilem nimis commotam & protinus subsistentem sanguinis menstrui effluxum ventriculi atque intestinorum spasmis, inflammatione & sideratione, lento quidem progressu per abdominis viscera grassante correptam, at vero neque per autocratiam naturæ, neque ulla sane arte sanandam fuisse? Et quamvis ratione morbi, hujusque ex iracundia originis, dolorum, omniumque & fere singulorum symptomatum concomitantium & subsequentium, inter hanc puellam & superius descriptum senem magna intercesserit paritas, edocet tamen utriusque extispiciorum ingens disparitas, quam circumspecte nec nisi trutinatis omnibus singulisque circumstantiis per analogiam concludendum sit, ab uno subjecto ad alterum. Duo enim cum faciunt aut patiuntur idem, non est idem.

Augustа Vindelicorum Noribergam miss.

OBSER-

OBSERVATIO LXVI.
Dn. D. JOANNIS van WOENSEL.
De
Vitiosa digitorum conformatione ex prægnantis matris terrore.

Cum nuper Actorum nostrorum Volumen quintum evoluerem incidi in Dn. D. ACOLUTHI observationem, de insigni digitorum deformitate ex terrore matris gravidæ p. 181. quæ aliam huic valde analogam, de quadam mea cognata, historiam in mentem revocavit, hæcque in sequentibus consistit.

Viri plurimum reverendi D. *van der Vliet*, verbi divini præconis, uxor, per sex menses gravida, ante triginta, & quod excurrit, annos, tempore autumnali in domo lanionis maxime fuit perterrita, dum in usus familiæ hibernos mactatus ante biduum bos jussu suo in frustra cæderetur. Causa vero terroris haud erat levis, festinans namque lanio bubulam intercisurus, adjuvantis famuli manum, in ligneum truncum impositam, securi uno ictu imprudentissime amputat. Inde tota cohorrescens domum deducitur anxia valde, ne fœtui suo ab antegresso terrore malum immineret, vel ne forsitan nasceretur ἀχείρ, de qua re plurima in Medicorum monumentis prostant exempla. vid. *Miscellanea nostra Dec. III. Ann. VI. & VII. obs. 56. Dec. II. Ann. VI. obs. 30. Acta Hafniens. Vol. II. obs. 1. & obs. 82. P. SPINDLER obs. 96. Schol. pag. 171. LENTILIUS Miscellan. Med. pract. Part. I. pag. 3. HILDANUS Obs. Chir. Centur. VI. obs. 66.* In continuo hinc metu constituta adhuc trimestre transigebat prægnans, attamen res eventum nacta est non adeo infaustum, siquidem post elapsum graviditatis tempus

puerum peperit omnibus membris (exceptis manum digitis,) perfectum, dextra manus pollice erat deſtituta, ſed loco hujus quinque inſtructa digitis ; in ſiniſtra vero manu pollex aderat, ſed cum digito indice coalitus ; ſatis commode tamen manibus ſuis utitur & hodie in Ruſſia mercatorem agit.

OBSERVATIO LXVII.

Dn. D. JOANNIS van WOENSEL.

De

Cane, Podagræ Magnete.

POdagram contagioſam eſſe, pluribus argumentis & exemplis quondam evici in mea de hoc morbo Diſſertatione academica, multis in locis noſtræ illud confirmant Ephemerides, ſequens exemplum rem ulterius illuſtrabit.

Nobiliſſimus vis C. V. W. quinquagenario major, per luſtrum & amplius ſingulis annis ſemel podagricis doloribus adfligi conſueverat, animo heroico ſummos placide tolerans cruciatus, nec malum propria indole ſævum perverſa medicandi ratione, (ut plerisque mos eſt,) peius reddere adlaborans. Octo vel decem plerumque tranſibant dies, priusquam paroxysmus deferbuerat, ſolito nunc tempore de novo podagricus inſultus rurſus ingruit, lecto hinc adfixus canem juniorem domeſticum ſupra pedes ſuos ponit, qui blando calore & fotu ſuo acerbiſſimum heri dolorem in tantum mitigat & demulcet, ut intra paucas horas de lecto ſurgere, & tertio ab acceſſu die hilaris domo egredi & publica ſibi demandata negotia obire valuerit. Dictus autem canis antea ſanus, nunc excruciatus doloribus, brevi domum clamore & ejulatu implet. Merito hinc canis ab excellentiſſimo *HANNEMANNO Podagræ Magnes* voca-

vocatur, teste *C. F. PAULINI*, in *Cynographia Sect. III. cap. 1. In Chiragra, Podagra omnique Arthritide nihil præsentius*, inquit *Levinus LEMNIUS*, de ocultis Naturæ miraculis Lib. II. cap. XIII. *ad consopiendos mitigandosque cruciatus, quamlibet acerbos, quam catelli membris adfectis adhibiti; suavi enim calentique effluxu nativum hominis calorem languidum atque evanescentem exsuscitant, ac fotu continuo humorem, qui dolores infert, vel attractione ad se rapiunt eliciuntque, vel diaphoresi, hoc est, digerenti vi ac discussoria incidunt ac dissipant.* Plura de canum in Podagra usu habet *P. Borellus*, in *Observationibus medico-physicis Cent. III. obs. 28. CAMERARIUS* in *Syloge Memorabilium Medicinæ Centur. XVI. part. 95.* ut & D. *Andreas CNOEFFELIUS*, in *Miscellaneis Nat. Curios. Dec. I. Ann. IV. & V. obs. 51.*

(*Harlemo Erfordiam missa de 4. Maji 1740.*

OBSERVATIO LXVIII.

Dn. D. GOTTLIEB HENR. KANNEGIESSERI.

De

Calculo in principio œsophagi concreto, solis tandem digitis extracto.

Vir celebritate conspicuus, Consul Oldenburgensis Dn. *Flohr*, ætate sera confectus, de reliquo tamen sanus, vegetus pariter ac gulæ indulgentissimus, doloribus interdum nephriticis, indeque parciore urinæ profluvio infestatus per biennium, salvo manente respirationis negotio; de mox ingravescente deglutitionis conqueritur difficultate, quam demum circa faucium confinia larga doloris insequebantur tormenta. Horum igitur pertæsus, Chirurgi petit auxilium, adseritque simul, se in ipso deglutitionis actu per-

ſentiſcere repagulum, ventriculi penitus præcludens infundibulum. Curis doloribusque diſtractus, & cum optima quoque auxilia, malo accreſcenti ne minimum quidem adferrent levaminis omnibus omnino ſubſidiis ſeſe cernens deſtitutum propriis viribus & manibus nodum divellere tentat. In omnium ergo admirationem, digitis obſtetricantibus, obicem extrahit ſaxeam, qua remota, libera iterum evaſit deglutitio, neque inſuper quid relictum fuit incommodi. Ægrotus quidem factam inde partium metuit diæreſin, non tamen ſanguine madens, neque ſanie ſtillante obductum gorgoneum monſtrum *Tab. III Fig. 5. & 6.* delineatum, genetricis reliquit alvum.

Quemadmodum juxta tritum illud: Ex ungue leonem; ita & in hoc ægroto ex ſymptomatum adumbratione gulæ ſuperioris lithiaſin facile cognoſcimus, atque habemus perſpectam. Morbi hujus indoles, quamquam in ipſis ejus primordiis omnino fuerit abſtruſa & cognitu perquam difficilis, vix tamen ac ne vix cœcis amplius committi potuit latebris, cum dehinc liberiori omnino ſe manifeſtaverit ratione, & ipſa calculi excluſio de tali ambigere non permittat.

(*Kilonio Holſatorum Erfordiam miſſa d. 19. Maji 1740.*)

OBSERVATIO LXIX.

Dn. D. GODOFREDI GUILIELMI MÜLLERI, De Calculis felleis, ex ulcere dextri hypochondri productis, ſanatoque vulnere cyſtidis felleæ & ventriculi.

Fœmina XXXIX. annos nata, temperamenti ſanguineo-cholerici, habitus gracilioris, trium liberorum mater,

ter, ex ultimo partu, qui erat difficilis, valetudinaria facta, inter multa alia incommoda, mensium irregularem, nimium & fere continuum, fluxum experitur. Successu temporis singulari in hypochondrio dextro adficitur dolore, accedunt vomitus frequentes, aluusque sæpius per octo & plures dies clausa tenetur. Nimii tunc cessarunt menses, & tandem ordinarius eorum fluxus plenarie fuit interceptus. Exinde non solum, ut facile credendum, dicta symptomata exacerbata sunt, sed & brevi post tumor amplus durus, scirrhosus, totum fere hypochondrium ejusdem lateris occupans, ortus. Hæcce misera nostra per semestre sustinens, nullumque a Medicis auxilium complures licet idcirco convocaverit, obtinens, tandem medicastrorum semet subjecit curæ, compluriumque ex istis stolida & absurda sustinuit tentamina. Ex horum classe vetula multis execrationibus pollicetur sanitatem, quæ & post varia adplicata, tumorem in dies crescentem ita emollivit, ut denique trium digitorum supra umbilicum, totidemque a linea alba, intervallo, rumperetur. Sat maga effluxit copia cocti sanguineque permixti puris, simul vero nonnulli pisorum majorum magnitudinis lapilluli, rotundæ, triangularis & quadrangularis formæ, ex abscessu prodierunt. Hujus consolidationem tandem anus ista per mensem & ultra tentavit, nullo vero modo perficere potuit; dimissa ergo eadem, accersitus fuit Chirurgus in artis felici versans exercitio, varia ulceri phagadænico accommodata adplicavit, donec novis iisque atrocissimis obortis doloribus a me petitum est consilium. Adii miseram, mense Septembris, anni præter. quæ præmissa historiæ morbi relatione, mihi statim viginti istorum per ulcus ejectorum calculorum exhibuit, simul adferens, in præsenti unum ejusdem conditionis in progressu suo detineri, eundemque, ulceris parietes atterentem, lancinantes gignere cruciatus. Inspiciens vulnus, aperturam

turam exiguam, & vix fabam minorem admittentem, deprehendi, ſolerti vero inveſtigatione tres canaliculos detexi, in uno orificio cumſe invicem communicantes, quorum unus trium digitorum longitudine ad umbilicum tendebat; alter rectus, brevis, obſtructus erat a corpore quodam duro, per ſonitum a concuſſione inſtrumenti ferrei ſe prodente; tertius oblique & profunde adſcendebat verſus ſiniſtram regionem epigaſtricam. Hiſce igitur perluſtratis, de dilatando recto, ſede dolorum, ſtatim cepi conſilium, illumque, cum per ordinaria in caſſum tentata id præſtari non potuerit, inciſionem tandem ut ſuaderem neceſſitas urgebat. Exſecti hoc modo fuere præter opinionem duo calculi, ibi hærentes canalemque obſtruentes. Prior ex flavo rubeus, interſperſis albis maculis, caſtaneæ adæquavit magnitudinem, ut & figuram, durioris etiam erat conſiſtentiæ præ altero, magis flaveſcente colore imbuto, paulo minori, friabili & facile per lenem contactum confracto. Diſcrepantes illico oriebantur opiniones, ad quam claſſem jam producti & antea excreti referendi ſint calculi? eorum geneſin bili in veſicula fellea adſcibendam eſſe contendi, addens, viam quidem pro excretione eſſe præternaturalem, molem eorum tamen vel numerum accumulatum, veſiculam felleam, ob valvulas ſpirales in exitu excluſionem illorum prohibentes, vel etiam hiſce deficientibus ductum choledochum ad rupturam uſque extendere potuiſſe, illosque inter duplicaturam peritonæi elapſos & collectos, exitum per viam hancce extraordinariam quærere debuiſſe. Enarravi, pro confirmanda mea ſententia, caſum notabilem, quem Parens venerandus, Conſiliarius & Archiater Sereniſſimi Principis Saxo - Vinarienſis, Numburgi, cum olim Praxin ibidem exerceret, obſervavit, ubi a viro hœmorrhoidibus ſimul vexato, per alvum calculus talis felleus excretus fuit, forma & magnitudine cum majori ex ſubere

con-

confecto operculo conveniens. Idem ille est, qui *Tab. III. Fig. 7.* delineatus conspicitur, quemque ob raritatem adhuc adservo. Sed, ut revertar ad ægrotam meam, evanuisse dolores gravissimos post hanc operationem, ipsa pronunciabat, hisce tamen non contenta, ulteriorem opem a nobis & plenariam desiderabat sanationem, reliqui ut etiam exciderentur calculi efflagitans, quo fons mali exactius attingeretur, simulque adfirmans, se malle vitam sub hac operatione perdere, quam illam sub aliis, Cachexiam præsentem comitantibus & adhuc insequentibus ærumnis, diutius protrahere. Chirurgus precibus & persuasionibus tandem motus secat canalem ad umbilici regionem vergentem, ejusdemque intra breve tempus felicem promovet consolidationem. Spes restitutionis in integrum non potuit non quin inde in ægra & Chirurgo augeretur, illaque præsertim incisionem duorum reliquorum canaliculorum postularet. Horum vero profunditas non integumenta solum, sed & forsan subjacentes partes nobiliores penetrans, ulteriorem operationem dissuadere, & curationem potius palliativam commendare me commovit; tam diu vero misera precibus & efflagitationibus suis insistit, donec ab eodem Chirurgo hi duo fistulosi ductus etiam inciderentur. Certe nunc fons & origo erat detecta; alter enim canalis, ut conjecimus, cystidem felleam, alter oblique adscendens, ventriculum penetravit. Ex hoc enim post aperturam factam chymus, & ex illo bilis flava effluxit. Lipothymiæ, vomitus cruenti, vehemensque febris operationem insequentes vix felicem promittebant eventum. Accessit, quod post curatiorem investigationem, cavitatem cystidis felleæ omnem replens calculus detegeretur. Ultra spem & exspectationem tamen, symptomatibus illis post septiduum remittentibus, omnia in melius vergebant, vulnusque non evidens amplius minabatur periculum. Chirurgus solertissimus omnem interea na-

vavit operam, ut consolidationi & vesiculæ felleæ & ventriculi prospiceret. Prioris optime judicans sanationem, antequam a suo hospite purgaretur, nunquam posse perfici, illud prius variis modis tentavit, &, ut ampliorem pro exitu pararet viam, cum spongia pressa frustoque Gentianæ radicis fecit periculum; tandem vero, cum dilatantia hæc, ob calculi molem, non sufficerent, per forcipem eundem confringere & in frustis extrahere per tempus aliquod nitebatur, quod feliciter quoque successit, ut considerati digna fragmenta & strata, striis & circulis albis distincta, duritie vero lapidem Bezoar Occidentalem adæquantia, extraheret. Insuper melior in dies consolidatio vulneris ventriculi observabatur, cujus labia vicinis partibus sponte adgludinata, successu temporis magis magisque chymi prohibuerunt effluxum. Eadem quoque ratione vesiculæ felleæ plaga tegebatur, ut mox per integumenta communia integrum vulnus clausum citatrice conspiceretur, aperto solummodo manente canali minori, tenuem, flavum & chymosum plorante liquorem.

Hæc dum scribo, intrat museum nostra muliercula, referens, e canali isto parvulo, elapsis aliquot diebus, vivum lumbricum, spithamarum duarum longitudinis, exitum invenisse, de reliquo in pristino se versari statu, ratione stillicidii, quod semper ventriculo nimis repleto, vel sub corporis motu validiori, augeri deprehenderet, ceteroquin viribus valentem, riteque menstruatam pristinos peragere labores.

OBSER-

OBSERVATIO LXX.

Dn. D. GODOFREDI GUILIELMI MÜLLERI.

De

Herniis incarceratis & exulceratis.

Magna ſane cum delectatione perlegi Diſſertationem inauguralem Dn. D. *Gladbacchii*, ſub Præſidio Excell. Dni *Laur. Heiſteri*, de *Hernia incarcerata*, Helmſtadii 1738. ventilatam, optimeque adſerti in proœmio contenti, quod hæc ſpecies herniæ incarceratæ frequentius occurrat, quam hactenus creditum, aut ab Auctoribus relatum ſit, agnovi veritatem. Diverſis enim vicibus eandem obſervandi mihi, praxin Medicam ab aliquot jam annis exercenti, obvenit occaſio. Tres præſertim caſus merentur deſcriptionem.

I.

Fœmina paupercula ſeptuaginta annorum ob pudorem intempeſtivum herniam incarceratam tam diu celavit, donec in gangrænam verſa & ſuppurata fuerit. Medicus & Chirurgus tandem accerſiti in miſerrimo hoc ſtatu, quo dextra regio inguinalis ad pugni magnitudinem externe ſphacelo corrupta, ex eademque, clauſa ordinaria via, fæcum alvinarum excretio obſervabatur, omnem ſpem curationis miſeræ abſtulerant, illamque pro deplorata & inſanabili dereliquerunt. Duabus abhinc ſeptimanis, cum illius vicinam ægrotantem viſitarem, hujus ſtatus miſerrimi fit mentio. Adii eam, & ut mihi relatum erat invenio. Portio ſcilicet inteſtini ilei, duorum fere pedum longitudinis, extra cavum abdominis elapſa, nuda ſtatim in oculos incurrebat. Mirandum merito, quod inteſtinum, durante hoc non exiguo temporis ſpatio non citius in putredinem abierit, præſertim cum non ſatis a liberioris aëris aditu defendere-

 tur.

tur. Interim per octiduum ægra adhuc servavit vitam, tandem vero gangræna maximam reliquorum intestinorum partem,, vicinasque regiones, tristi spectaculo successive destruxit. Aliis dijudicandum relinquo, num, si in principio statim expertus in consilium vocatus fuisset Chirurgus, qui vel alteram jejuno contiguam intestini portionem per suturam cum integumentis junxisset, & stercora per hanc profluere permisisset, vel methodum (vid. §. XXV. Dissertat. laudatæ) *Randhovii*, Chirurgi primarii Ser. Brunsuic. & Lüneb. Ducis, qua, abscissis sphacelosis frustis, & uno alteri ejus immisso extremo, intestinum in cavum abdominis reponi jubetur, imitatus fuisset, diutius misera superstes inter vivos retineri potuisset.

II.

Rustica, annos quinquaginta nata, diu jam libera hernia in inguine sinistro, sine notabili tamen incommodo, adflicta, nunc simul & semel eandem post graves labores & perfrigerationes incarceratam, cum alvo per sex dies obstructa, anxietatibus & doloribus magis magisque increscentibus, experitur. Ejus maritus d. 19. Nov. 1738. anxie meum expetit consilium. Ordinatis debiteque adplicatis externis & internis idoneis remediis, exoptatam attuli opem, qua non solum alvus bis laxata, sed etiam tumor minor & mollior, doloresque remissiores reddebantur. Ab hoc autem tempore, per quatuor septimanas nulla amplius de illa data fuit relatio, sed ad morem vulgi, si ad primam præscriptionem non omnia cedant mala, varios medicastros & medicastras in auxilium vocarunt. Die 20. Decembr. tantem nuncius meam præsentiam efflagitat simul referens, me valde in diagnosi peccasse, tractando malum hoc pto hernia incarcerata; tumorem enim illum a fomoso Empyrico suppuratum in gangrænosum ulcus versum esse. Potissimum vero eam ob

cau-

causam propriam inspectionem ægram desiderare, quod rupto tumore, insignis, nucleorum fructuum pruni sylvestris, numerus, per aperturam, cum multis aliis, intolerabilis fœtoris, quisquiliis, excretus fuerit, quos tamen fructus in hoc semestri se comedisse non recordetur. Propria corporis valetudo minus firma iter dissuadebat, Chirurgum tamen a me satis instructum mittebam, qui altero die reversus, sat valentem adhuc viribus ægram, de nulloque magis, quam de fœtore materiæ ichorosæ effluentis, acutissimoque, quando alvum deponeret, dolore, conqueri, ceterum adpetere, digerere & dormire, fusius referebat. Ulcus præterea, partibus sphacelosis jam separatis, vix digitum admittere, ex eoque ichorem flavum, fere continuum, destillare, proximam vero glutinationem promittere: Commendatam se statim exhibuisse Tincturam Croci, ut certior fieret, an intestinum læsum in causa sit, & elapsis horæ aliquot minutis, materiam tinctam eandem prodiisse. Chirurgus methodo, cum ipso communicatæ, insistens, non solum sanavit vulnus, sed & ægram intra mensis spatium in totum feliciter restitutam, nulla amplius hernia libera superstite, ad me reduxit. Diverticulum in intestino, quod RUYSCHIUS & Auctor Dissertationis laudatæ, sæpius pro causa herniæ agnoverunt, sine dubio eandem in nostro subjecto quoque effecit, hinc regressus nucleorum, sensim illapsorum, vel impeditus, vel plenarie suspensus videtur.

III.

Tertium notabilem casum sequens exhibet historia: Mulier 39. annorum, rudibus laboribus adsuefacta, simul ac semel, cum grave tolleret pondus, violentissimos cruciatus in inguine dextro percepit, alvus per XI. dies clausa, nullaque medicina reseranda, permansit, vehemens insequutus febrilis æstus, & insignis ibidem tumor adparuit,

indies ſenſibilior, tandemque nigrum induens colorem. Accerſitus, inſpiciensque tumorem in ſphacelum degenerantem, ſtatim de hernia incarcerata cogitavi, miſeræque cogitationes has meas aperui. Illa ſe nunquam antea hernia adflictam, fluore albo vero per aliquot annos divexatam fuiſſe, regerit, ſed hunc, hactenus reſtitantem, putare ſe tumoris increſcentis cauſſam eſſe. Hæcce tamen ego non curans, ad progreſſum præſentis gangrænæ inhibendum, ordinavi aquam calcis vivæ, ſpiritu ſalis ammoniaci, & ſacchari Saturni juſta doſi remixtam, partemque adfectam, linteis hiſce imbutis, diligenter foveri juſſi, clyſteribus ſtimulantibus continuatis ſimul, ac febri vulnerariæ aptis remediis oppoſitis. Ex tumore, ſequenti die rupto, effluxerunt cum ichoroſa materia bilioſæ fæces, inter quas multa fruſtra pomorum, quæ ante morbi invaſionem adſumſerat, adhuc integra conſpiciebantur. Nunc confirmatus de hernia incarcerata ſuppurata, omnem intendi nervum, ad auferendam portionem a ſphacelo corruptam, quæ pugni adæquabat magnitudinem, & ad præſervandam, a ſimili corruptione, viciniam, quod & adplicato unguento digeſtivo, cum balſamo Peruviano remixto, nec non ſuper impoſitis calidis adhuc linteis, aqua ſupra dicta madefactis, intra breve tempus fuit peractum. Quo facto, cum balſamo vulnerario conſueto ad plenariam conſolidationem properavi, ſed eam non tam cito obtinere potui, remanentibus duntaxat tribus canaliculis, glutinationem abſolute ſpernentibus. Hi canales fiſtuloſi continuo ſtillabant ſerum flavum, atque excrementa, ingruente alvi depoſitionis tempore, quotidie foras dimittebant. Succeſſu temporis tamen, adplicatis bacillis minoribus, ex pulvere balſamico & melle Roſarum confectis, plenariam admiſerunt ſanationem. Præter diætam parcam, pro potu ordinario commendatæ fuere ſpecies, ex radicibus Symphyt. Alth. Poly-

Polypod. Herb. Agrim. Scord. C. B. Flor. Cham. Millefol. Arnic. ver. ſummitat. Pini, paratæ, & adſumtæ, extincto omni febrili æſtu, bis vel ter de die Eſſ. balſ. Peruv. de Copaiu. Liquam. Myrrhæ, tantæ fuere efficaciæ, ut redeuntibus ſucceſſive viribus, ſanitas priſtina reſtituta fuerit. Coli pars, oſſi ilei, dextri lateris arctius adhærens, ſine dubio herniam ſubito ortam produxit, quæ ob annuli anguſtiam incarcerata, & ob ingreſſum fruſtulorum pomi nullo modo reducenda, tandem, continuata ſtaſi in compreſſis vaſis, ob ſufflaminatum ſanguinis circulum, inflammationem & ſphacelum neceſſario experiri debuit.

(*Francofurto ad Mæn. Erfordiam miſſæ d. 30. Jun. 1740.*)

OBSERVATIO LXXI.

Dn. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN.

Epilepticus ex ſiniſtra curatione ſermonis uſu deſtitutus.

Cum in ea inciderem, quæ celeberr. Dn. D. BRUCKMANNUS, (quo, quod nunquam non lætus recordor, per biennium Jenæ familiariſſime olim uſus ſum,) Volumini quinto Actorum Academiæ noſtræ, p. 264. de *Epileptico ſingulis ſub paroxyſmis cantante*, inſeruit, ſtatim in memoriam mihi rediit adoleſcentulus XII. annorum, Epilepſia correptus, qui anno MDCCXV. Hammonam Weſtphalorum delatus, & ſedulo ac judicioſe examinatus ab Avo materno Dn. D. *de Weſthoven*, magni nominis, multæ lectionis quondam Practico, inter alia quoque ſentire ſe, referebat, ex pollice manus adſcendere aliquid, quod ad caput delatum, ſenſum adimeret, paroxyſmo tum

epi-

epileptica, ceu mater adſeverabat, extemplo ſuccedente; præſcribebat ergo dictus ille celeberr. Medicus externe veſicatorium, pollici adplicandum, ex Cantharid. Scrup. 2. Myrrh. Scrup. dimid. Camphor. gran. 3. butyr. recent. Therebinth. & Cer. citrin. ana Scrup. 1. M. induc. alut. pollic. lat. & 2. digit. long. Interne exhiberi juſſit oleum Ligni Corylini, quod palmam aliis ant-epilepticis reddere dubiam exiſtimabat, deinde mixturam ex Aqu. Ceraſ. nigr. epilept. Lang. ana Unc. 3. Tinct. flor. Pœon. Drachm. 6. Eſſ. ſuccin. Drachm. 2. Spir. Vitrioli philoſ. gutt. XV. Syrup. flor. Pœon. Unc. 1. cui junxerat laxans ex Diagryd. cum Sem. Pœon. Denique, quod bilioſi æger eſſet temperamenti, pulverem ordinabat ex Cryſtall. mont. præp. Corall. r. præp. ana Drachm. 3. Cinnab. nativ. Scrup. 4. in 14. doſ. dividendum, quæ remedia magnum attulere levamen. Eam ob cauſam parentes, novi itineris impatientes, firmiter ſibi perſuadebant, reliquias hujus mali, facili negotio a Medico loci dilui poſſe, qui, cum ægri valetudini præeſſet, cerebrum pro unica mali ſede reputans, ſummis brachii, circa claviculæ confinia, adplicat veſicatorium. Ea nempe opinione imbutus erat, id ipſum heic loci citius & felicius, ob viciniam cerebri, quam in pollice, optatum præſtiturum eſſe effectum. Aſt, judicium hoc de ſede mali perverſum, maximo erat detrimento, ſiquidem reliquiæ mali, quas, haud dubie, ex pollice ad ſuperiora invitaverat, veſicatorium, ita omnem abſtulere ſermonem adoleſcentulo, antea optime loquenti, ut mutum eundem natum crediditſes. Tum vero parentes, non quidem cum epileptico, ſed cum muto Hammonam iter faciunt, denuo Dn. Avum conſultaturi. Curatus eſt, at ægre, & poſt ſatis longum demum temporis ſpatium, inſtillatis vertici oleis deſtillatis cephalicis, & variis interne exhibitis. Tanti intereſt lectioni Medicæ, non empyriæ ſe dare. Sane JOH. FERNELIUS, quem pri-

mæ

mæ notæ Historicus, THUANUS, libris suis veram gloriam tota Europa adeptum prædicat, & quorum lectionem, ipse trium Imperatorum Archiater, JOH. CRATO a CRAFFTHEIM, sibi utilem fuisse profitetur, addens, hunc in Medicina profecisse, cui Ferneliana non displicerent; is ipse, inquam, *Pathol. Lib. V. cap. 3.* de morbis cerebri non minus vere, quam eleganter: *Tres Epilepsiæ differentiæ sunt, una cerebro adsignatur, altera est, quæ ventriculi, tertia quæ alterius cujusvis partis consensu fit. Quæ in cerebro fit Epilepsia, capitis gravitas, aut etiam dolor atrox, sensuum mentisque stupor, aut tarditas, faciei pallor, turbulenta insomnia ostendunt, & quod accessio repente hominem adoritur, nulla symptomatum præsensione.* Postquam dein signa Epilepsiæ ab ore ventriculi enarravit, ita ulterius pergit: *Tertia species sæpe a manuum pedumve digitis, vel a crure, interdum ab utero suspiratur, præsertim cum fœtus gestatur, cum quo & putria multa coerceri solent - - - omnium manifestissime hæc species deprehenditur. Ex ea quippe sede, in qua mali fomes delitescit, prehendente accessione, velut aura quadam frigidior, per continuatas partes, in cerebrum efferri percipitur, cujus etiam impetus incipiens, injecto arctiore vinculo, si pars id commode ferat, intercludi cohiberique potest.* Hæc FERNELIUS. Pariter quoque JODOCUS LOMMIUS, in aureo opusculo *Observat. medicinal. Libr. I.* egregie scribit: *Si a ventriculo hujus mali vitium est, mordetur is ante, magisque per inediam, idemque palpitat & fluctuat, quumque in propinquo accessio est, nausea oritur & stomachi dolor, aut animi defectio, qua finita, vomitus incidit, modo pituitam, modo bilem trahens, inter quæ frequens sibilus aurium est. Porro si ab aliquo loco corporis exteriore malum oritur, inde fieri raptus, velut auræ cujusdam frigidioris, per continuatas partes ad caput sentitur. Spem curationis aliquam facit, maxime si morbus non ita diu traxit, & vitæ solummodo sequutus intemperantiam est: aut si ab una par-*

te corporis, sensus venientis accessionis incipit, idque a naribus, vel a pedibus potius, quam a lateribus, aut ab ipso, quod pessimum est, capite. Tacitus prætereo MICH. ETTMULLERUM, in Praxi, magnæ diligentiæ virum in adlegandis Auctoribus; mitto ex recentioribus alios, qui ad unum omnes, huic in tenebris versanti, & cæcutienti Medico facem præferre potuissent. Unicum THOMAM BARTHOLINUM, Anatomicorum & observatorum quondam ocellum, adlegasse sufficiat, qui similem fere casum, omissa tamen curatione, in *Histor. anatom. rarior. Centur. I. observ. 82*, his verbis recenset: *Præfecto prædiorum, imminente novilunio digitus minimus dextri pedis intumuit, manifesto rubore, qui adscendebat per internum cruris latus, ad inguina, eaque ingenti dolore adflicta, in parem tumorem elevabat. Huic tumori paroxysmus epilepticus successit e vestigio, prioribus partibus detumescentibus & sanis, quam vicissitudinem singulis mensibus stata lunæ phasi servavit convulsio. Advocatus Paulus Moth, Regius Medicus, tumido digito pedis cauterium potentiale adplicavit. Vix quinque transierant horulæ, quum in circumferentia caustici, ichorosa materia per poros extillaret, ubertim mox sequentibus diebus effluens. Escharam quarto die excidentem copiosissimus ichoris sequutus est fluxus, tumque & tumor in pede, & inguine, consuetis vicibus remisit, & deinceps paroxysmus emansit.* Hæc ille. Noster non de tumore pollicis, nec alius partis, quod equidem meminerim, conquestus est, quoad hæc ergo in simili casu dissimilis fuit. Interim nemo non videbit, quanto fuerit adjumento escharoticum in loco & foco mali adplicatum, & contra, quantum noxæ attulerit, in nostro casu, vesicatorium, alii parti adpositum, ob minus sedulam probatorum Auctorum lectionem. Vel unus TRALLIANUS, suo Lepidio cum successu hunc in finem usurpato, integritatem curationis *Dn. D. de Westhoven* edocere potuisset, ut HENRICUS AB HEER, *Paulo*

lo Moth, butyro antimonii in usum tracto, elegantissima historia præluxisse videtur.

OBSERVATIO LXXII.

Dn. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN.

Gonorrhæa vera trium, & quod excurrit, annorum, post Gonorrhæam virulentam, ab omnibus incurabilis habita, curata.

Ante biennium litteras a Chirurgo ex Episcopatu Paderbornensi ad me datas, obtulit alius regionis vir procerus. Vinculis epistolæ laxatis, latorem harum litterarum eadem Gonorrhoeæ specie laborare, is me certiorem fecit, qua olim vir primarius adfectus & curatus, illo ipso, ceu adfirmabat, tum temporis, remedia a me præscripta, administrante. Majorem in modum petebat, ut & huic auxilio essem, qui æque per triennium, ut prior per sex annorum decursum, tot variarum regionum Medicos, in primis vero Chirurgos, in auxilium, sine ullo auxilio, vocasset. In memoriam revocanti mihi, me tum temporis, semel atque iterum detrectasse curationem, viri nobilissimo genere nati, quod non essem nescius, aliquot exemplis, & HENRICUM AB HEER, Medicum quondam & Poëtam haud humillimi spiritus, *Observat. oppido rar. X.* impotentiam curando, spe sua excidisse: nihil profecto gratius accidere potuisset, quam per has litteras audire, illum tum temporis curatum, haud ita multo post matrimonium iniisse, & nunc multorum liberorum patrem salutari. Id quod & nostro in votis erat, qui firma antea valetudine usus, per diuturnum, trium annorum, seminis profluvium, vix ossibus hærebat, eo tamen audaciæ, an vesaniæ dicam? processerat, ut illo ipso narrante, matrimonio sibi prope-

 diem

diem jungere, jam desponsatus, venustam octodecim annorum virginem, in animo haberet. Major hujus rei me cepit admiratio, cum perciperem, quod in Suecia ante triennium Gonorrhœa virulenta correptus, solo dolore excepto, per tot remedia, nihil levaminis acceperit, semine semper fere, & cum urina, & post quamvis alvinam excretionem, &, si sponsam liberius tangeret, &, sepem transiturus, si pedes diduceret, &, erigente se membro virili, ab omni eo tempore prodeunte. Adfirmabat unanimem omnium Chirurgorum consensum fuisse, illum nunquam liberis operam navare posse. Nemo non satius animum despondisset, quam sponsalia, hoc in rerum statu celebrasset. Hanc interim eandemque *rariorem Gonorrhœæ speciem*, ceu Excellent. JUNCKERO, Professori Medico, *Conspect. Med. theoret. practic. Tab. LXXI.*] audit, longioris adhuc durationis, a me curatam audiens, adgredior & hanc curationem. Quantumvis autem, ceu alias in Gonorrhœa virulenta fieri adsolet, color prodeuntis seminis a naturali non recederet, nec ardor circa radicem penis sub emissione urinæ, nec quidquam mali in membro ipso, tum quidem, deprehenderetur, nihilo minus tamen, serio perpendens, per varias variorum tractationes, adstringentium usu, virulenti quid sanguini adflari potuisse, quod ex œconomia animali sub initium non eliminatum, efficaciam aliorum remediorum eludat, præscripsi pilulas ex Extract. panchym. Croll. Mercur. dulc. &c. quarto quovis die, per trium septimanarum spatium sumendas, simul parari decoctum jussi, ex Rad. Sarsapar. Chin. Bardan. cum Antimon. crud. in pet. ligat. additis circa finem Herb. Veronic. Heder. terr. & Flor. Hyperic. cum Sem. Fœnic. diebus intermediis, ad lenissimum continuum sudorem eliciendum. Ea ratione, cum acrimoniæ, tum serosiori sanguini, simul prospectum iri, persuasum habebam, ut præscripta antecedente causa, vel

vesi-

vesiculas seminales irritante, vel de tono deturbante, eo facilius voti compos fierem. Eum in finem, non minus Auctor fui, ut & per omnem curationem, & ea feliciter absoluta, nunquam non sedulus abstineret ab iis rebus, quæ vel fovere malum, vel denuo in apricum deducere possent. Ad quam classem, videor mihi, vere retulisse omnia acida, acria, vinum, (excepto uno & genuino illo, quod *Pontac* vocatur,) spiritum vini, decubitum in dorsum, motum fortiorem, aromata, inprimis Zingiber & Piper, non æque Cinnamomum & nucem Moschatam, omnes cibos medicamentosos, pellentes, Petroselinum, Dracunculum, Thymum, Majoranam, folia Lauri, Chærefolium, reliqua. Non minus abominabilem manustuprationem, hujus mali subinde a me observatam causam, itemque venerem, roboratis in tantum forte vesiculis seminalibus, sub usu remediorum, tantum non omnem, post id tempus petulantiorem & nimiam, quam in scenam produxisse hoc malum non minus vidi. Mitto nocivam heic lectionem librorum Veneri litantium, & formosarum virginum accessum. Contra lenissimum motum, ut primum per usum remediorum licuit, semel atque iterum commendavi, qui hunc ipsum in Gonorrhœa vera, simplici, seu benigna, multi usus fuisse, roborando tonum vesicularum seminalium, cognitum exploratumque habebam. Tum vero sequentia præscripsi: I. Rec. Rad. Liquirit. Alth. Consolid. maj. ana Unc. dimid. Herb. Veronic. manip. 2. Flor. Rosar. rubr. Hyperic. ana manip. 1. Semin. Anis. Unc. dimid. Cort. Cinnamom. drachm. 2. Inc. cont. M. D. de quibus speciebus auctor eram, ut omni mane, quo alvo laxandæ non vacabat, non minus quinque horis a prandio, & cubitum iturus cochlear. plenum libræ 1. aquæ ferventis per quadrantem horæ infundi curaret, & decoctum hoc instar Theæ sorberet. II. Rec. bals. de Capaiu. Unc. dimid. cujus guttæ 7. mane, post meri-

meridiem, & vesperi, cum primo haustu dicti infusi thee-formis adsumere jubebam. III. Rec. Magnes. alb. optim. Rad. Jalapp. ana Scrup. 1. M. F. Pulvis, præp. 4. seorsim. horum primo, & quarto quovis die, dosin, cum regimine adsumebat. IV. Rec. Ebor. sin. ign. præp. Unc. dimid. Cardam. min. excort. Mastich. in gran. elect. ana drachm. 2. M. F. Pulvis, cujus scrupulus unus pro dosi hora ante prandium & cœnam cum quocunque vehiculo præbebatur. Quum etiam me non fugeret, SEVERINUM Neapoli in dissectis eorum corporibus, qui Gonorrhœa virulenta laboraverant, inflammationem & abscessum in parastatis invenisse, & omnem fidem superet, semen solum evacuari, quandoquidem multorum, quin decem & plurium annorum observatæ sint Gonorrhœæ virulentæ; & vero heic Gonorrhœa vera presso pede successerat virulentæ, e re fore duxi, præmissis antecedentibus non statim ea præscribere, (quod alias fieri debet,) quæ laxitati vesicularum seminalium prospiciunt, sed prius, quæ læsioni, vel erosioni fibrillarum conducunt, quæ ambiunt ostiola cum glandularum prostatarum, tum vesicularum seminalium, quin ipsam harum substantiam. Cui indicationi cum antecedentia dicassem, auctor suasorque eram, ut tum demum acidulas Wildungenses, at tantum sic dictas urbanas, potaret scopo tonico, idque eo magis, quod arenulas lateribus matulæ adhærentes deprehendissem. Dosin pilularum tantum circa initium, circa medium & post finem potus præscripsi, juxta cum sequenti pulvere: Rec. Off. Sep. unc. dimid. Mastich. in gran. el. Terr. Catech. Sangu. Dracon. Succin. alb. præp. Gummi Arabic. Tragacanth. Corall. rubr. præp. ana drachm. 2. jubens, ut drachm. dimid. & hor. 5. post prandium & sub introitum lecti, cum liquido pauciori adsumeret. Non equidem me latet, quod HENRICUS AB HEER, *Spadacren. c. 8. p. m. 62.* non dubitet scribere: *Gonorrhœa*

viru-

virulentæ quidquid alii dubitent, certo auxiliantur Spadanæ. At vero non minus mihi cognita sunt, quæ DODONÆUS *Observ. Medicin. exempl. cap. XXVI.* habet, de viro generoso, decem & octo annis Gonorrhœa virulenta laborante, qui ex usu remediorum nullum fructum sentiens, ad fontes Spadanas profectus, sub potu melius se habuit, & melius vixit, quam multis antea annis; at iter ingressus, Mechliniæ subsistere eum vehementia symptomatum coëgit, ubi vitam cum morte commutavit. Sectionem vide sis l. c. Ego certe nunquam induci potui, ut sub initium Gonorrhœæ virulentæ remedium morbo ipso magis fere infensum, si quis dolores spectet, acidulas nempe, præscriberem, quantumvis miasma virulentum tum temporis materiam magis seminalem, quam purulentam, prolicere videatur. At ubi Gonorrhœa virulenta radices egit, & proinde ulcerosæ læsionis justam suspicionem injicit, acidulas & dolorosas, & nocivas tunc fore mihi usque persuasi, qui nunquam has ipsas in læsionibus internis, vel ulcerosis, vel aliis proficuas, & ratione & aliorum exemplo, deprehendi. Atque hanc ob causam noster ea de re tantum non securus, præscriptis hunc in finem prius remediis, cum effectu acidulis urbanis Wildungensibus curavit. Iis enim per decem tantum dies adsumtis, quod negotiis obrutus diutius non posset, adseverabat, se bene inde habere; alvum quidem exoneranti & sepem transeunti, adhuc profluere semen, at multo parcius; latici urinoso autem, vitro non immisso, eadem adhuc quantitate misceri, pulvere, quem sub acidularum usu ordinaveram penitus consumto, præscripsi denuo pilulas sub initium, & quovis sexto die sumendas, simul vero sequens vinum medicatum, atque pulverem: Rec. Rad. Alth. Consolid. maj. ana Unc. I. Cortic. Cascarill. Unc. dimid. Herb. Veronic. manip. 2. Flor. Rosar. Hyperic. ana manip. I. Millefol. alb. manip. dimid. Limat. Mart. siniss.

in

in pet. legat. Unc. 1. Cinnam. Unc. dimid. Inc. & cont. M. D. in syndon. rubr. cui mensuram unam & dimidiam primum, dein sensim adhuc mensuram vini Pontac curabam adfundi, de quo dein sub prandio vitrum plenum adsumsit. Rec. Off. Sep. Unc. 1. Mastich. in gran. el. drachm. 6. Terr. Catech. Gumm. Arabic. Tragacanth. ana Unc. dimid. Corall. rubr. præp. drachm. 3. M. F. Pulvis mane ac vesperi drachmæ dimidiæ pondere cum vino Pontac sumendus. Horum remediorum ope, ita cum valetudine in gratiam rediit, ut die XXI. April. hujus anni his verbis, germanico idiomate ad me scripserit, quæ latio donata, ita se habent: *Non ex voto solum curatus sum, sed & haud ita multo post matrimonio mihi junxi virginem, cum qua sponsalia jam celebraveram, te mirante, cum miserrime adflictus te convenirem. Illa pulcro filio me fecit parentem. Ad unum omnes magnum errarunt errorem, qui me nec valetudini restitui, nec generare posse, edixere. Jam ad secunda vota transeo, quod uxor mea in vivis esse desiit. Gratias ago, quas possum, amplissimas*, &c. Cum Chirurgi & tantum non barbitonsores, hac tempestate variis in locis elatius se gerant, Medicos susque deque, his præcipue in rebus, habeant, & nescio quibus ampullis & sesquipedalibus verbis, curationes in Gonorrhoeis peractas, vel ad sidera extollunt, e re medica esse duxi, casum hunc rarius obvium cum publico communicare, novellis medicis, nisi me conjectura fallit, usui futurum. Cristas tandem aliquando deponet hoc genus hominum, ubi videbit Medicis cedere morbos, tamquam incurabiles ab illis relictos. Qua de re alias.

(*Fritzlaria Erfordiam missa d. 12. Jun. 1740.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXXIII.

Dn. D. JOANNIS GRASHUIS.

Morbus œsophagi ciborum transitum ad Ventriculum impediens, sectione cadaveris illustratus.

Virgo quædam ultra triginta annos nata, melancholica, rixationibus duræ & immodestæ matris multum vexata, post morbum catarrhalem in principio anni 1733. subinde conqueri cœpit de dolore pectoris vel dorsi, sub inferiore scapulæ sinistræ angulo. A longo quidem tempore se hunc dolorem sensisse, non tamen continuum aut valde molestum fuisse adserebat, atque jam dudum non nisi sinistro lateri incumbere potuisse addebat. Dolor, licet valde auctus, nondum perpetuus erat, sed per intervalla rediens abiensque; maxime urgebat sub adsumtione ciborum, post prandium vero iterum minuebatur. Cum aliquando esset vehemens, etiam in anteriori corporis parte anxietatem & intumescentiam, veluti a flatibus natam, experiebatur.

Mense Junio ejusdem anni dolor valde increbescebat, & a tergo juxta sinistrum latus, ad anteriorem pectoris partem se extendebat. Adpetitus minuebatur aliquando, interdum etiam denuo vigebat. Circa hoc tempus ad eam accersitus fui, in eoque statu versantem ipsam deprehendi.

Causas perquirenti respondit, meminisse se percepti semel ante aliquod tempus, subitanei frigoris post intensum calorem. Cæteroquin nihil, quod malo occasionem dedisset, indicare potuit, eratque de reliquo satis sana. Menstrua ex voto procedebant semper & processerant huc

usque, immo vero, ultimis periodis nimia, ratione virium corporis habita, & conſueti moris in abundantia fluxerant. Morbi paſſionem explicatura, dixit, ſe flatibus in thorace, vel profundis faucibus quaſi interceptis, qui nec ſurſum, vel deorſum verſus erumpere poſſent, maxime angi ac intenſiſſimo inde dolore adfici. Alvus plerumque erat obſtipata. Cæterum nulla alia ſymptomata notatu digna adfuerunt.

Pro mitigandis & leniendis hiſce dictis anxietatibus carminativa & blande laxantia primo exhibita fuerunt. Sublevata quidem videbatur ab his per intervalla, ſed eædem continuo rediere moleſtiæ.

Tandem circa finem *Auguſti* magna in deglutiendis cibis & potulentis difficultas acceſſit. Accuratiori tunc examine rem perpendens, dorſales dictas glandulas tumentes & obſtructas eſſe, atque œſophagum inde pro parte ſaltem occludi reputavi. Harum etenim indurationem pro communi deglutitionis impedimenti, vel tranſitus ciborum ad ventriculum denegati cauſa vulgo haberi, ex multiplici Obſervationum auctoritate natum tritumque eſt. Carminativis itaque & ſtomachicis huc usque datis, deobſtruentia & reſolventia ex Gummatibus temperate calidis & ſalinis ſtimulantibus adjunxi. Dolores vero anodynis interea temporis ſopire non dubitavi, præcipue, cum in longum protractum morbum prævidebam.

Hiſce autem parum adjuvantibus, ſuaſor fui, ut eximios, & in arte medica conſummatos viros, Clariſſ. Dn. OOSTERDYK SCHACHT, & celeberr. Dn. BOERHAAVIUM, ſuper hoc obſcuro ſimul & difficili morbo conſuleret, eorumque medicationi ſe totam traderet. Eandem perfecte hi viri morbi efformarunt ideam, eadem ferme ingreſſi ſunt via, immo & eodem plane ſucceſſu, ut ante, h. e. nullo cum levamine.

Dolor

Dolor & impedita deglutitio se invicem tunc comitabantur. Quæ adsumserat, aliquando statim, alio tempore post aliquot horas evomebat iterum, vix, nisi manducatione, permutata. Alio demum tempore omnia deglutiebat absque ulla molestia, facilisque erat in ventriculum descensus, neque vomitu quidquam rejiciebatur; alio iterum, quod valde mirabile, immutatos fere cibos, magna cum viscidæ tenacisque salivæ copia, duodecim & pluribus horis integris præterlapsis, iterum eructabat. Post ejusmodi vomituritiones peractas, sæpe quidquam quasi deorsum descendere se sentire dicebat, tunc libera evadebat via Oesophagi, & pro tempore omnia facile ad ventriculum deferebantur. Brevi autem post anxietates & omnia alia recrudescebant ut ante. Quum molestissimo & per longum tempus sine intermissione continuato dolore jam jam erat valde debilitata & fracta quasi, facile quæcunque adsumta deglutiebat, quod vero dein, postquam ex ingestis parum recreata fuerat, ipsi denuo omnino erat impossibile. Dolores jam notatos haud raro lipothymiæ insequebantur. Alvus fere semper erat constipata; quæ cum clysmate solveretur, aliquid solatii aliquando attulit.

Hæcce generalis morbi historia est; paulo nunc specialius, paucis licet, ejus finem indicabo. Circa *Novembris* exitum sævissima ac diuturna doloris accessione ad summam, immo & extremam fere imbecillitatem fuit redacta, ut instantem mortem metuerent adstantes. Nihilominus iterum levata fuit, ut domesticis negotiis quoque interesse potuerit. Per integros nunc quatuordecim dies cibos quoscunque facile deglutiebat, si modo bolos non nimis magnos adsumeret, neque nimia cum festinatione ingereret; hos enim antequam ad ventriculum usque devenerant, cum pauxillo muci ejicere cogebatur. Lenta sensim dehinc ac-

 cresce-

crescebat febricula, noctu maxime infestans. Accedebant genæ rubentes, præcordia tumida & inflata, pedes ædematosi. Vigesimo primo *Decembris* tria vel quatuor frustula coagulati sanguinis per os ejecit, & dein parum sanguinis floridi. Post hancce evacuationem omnia deglutita facile ad ventriculum descendebant, ante hanc nihil omnino. Imminutum nunc menstruum fluxum experta, hunc istius sanguinis sursum propulsi causam existimavit ægra: Interim propter alui constipationem Conditum laxans cum fructu usurpavit.

Die 25. *Decembris* nauseabunda fere continuo, odorem fœtidum valde ex ore eructabat. Pedes parum erant tumidi. Die 28. raucedinem in faucibus sentiebat. Tussis quædam sicca, a longo jam tempore rara quidem, nunc frequentior erat, quo mediante sanguinolentum phlegma exscreavit; postea alia cum striis sanguineis, immo etiam mucum in œsophago cum striis sanguinolentis permixtum ejecit. Die 29. dolor semper in sinistro latere hærens, nunc etiam ad dextrum pertingebat. Inflatio præcordiorum & pectoris summa, respiratio brevis & molesta; dolor etiam caput infestabat. Phlegmatis sanguinolenti fere nulla, muci tamen sat magna copia ejiciebatur. Deglutitio satis facilis persistebat. Menstrua adhuc patitur, sed parce.

Circa initium *Januarii* anni insequentis a quocunque adsumto tussis admodum molesta oriebatur. Sexto die valde debilitatam eam reperi. Pulsus erat tremulus, extrema frigebant. Noctu autem placide quievit; tussis & dolor paululum erant imminuti. Octavo die menstrua per intervalla quidem abrupta, adhuc tamen fluxere. Hora autem circiter quarta pomeridiana uncias quatuor vel quinque floridi & parum spumantis sanguinis, leviori tussi, immo absque tussi, eodem modo, ut cibos & potus antea ejicere solita erat, excreavit, vel ejecit; postea tussiendo serum mucosum

coſum cum intermixto ſanguine. Facies nunc pallida, ſicuti in moribundis, adparebat, Duabus, tribusve horis præterlapſis, iterum de ingenti anxietate conqueſta, ſanguinem denuo excrevit. Vinum Hiſpanicum expetiit cum Rhenano mixtum, ea ſpe, ut grumum, quem in faucibus hærentem ſentiebat, & foras educere potens non erat, eo provocaret, id quod etiam cum hoc pluribusve aliis ſubſequentibus factum eſt, ſicque inter exſcreandum, eodem octavo *Januarii* die placide expiravit.

Undecimo *Januarii* in cadaver inquiſivi. Extrinſecus nihil omnino, quod præternaturale erat, conſpiciendum ſe præbuit, ne quidem ſub ipſo ſiniſtræ Omoplatæ angulo, ubi dolor fixus maxime ſemper ſævierat; totum vero corpus penitus emaciatum erat. Integumentis diſſectis & pectoris oſſe elevato, pulmones omnino naturales conſpiciebantur, niſi quod hinc vel inde maculæ quædam purpureæ adparerent, quaſi ſanguine congrumato infarctæ, nusquam pleuræ adhærebant, vel ullo modo erant adnatæ. Cor ſanum erat, & naturali ſimile. Pulmone lateris ſiniſtris ſublevato, digitis examinabam qua potui exactitudine, an ullibi circa Spinam corpus quoddam induratum locum haberet. In medio pectoris aliqua quidem induratio ſentiebatur, ad latus & dorſum tendens juxta corpora vertebrarum, nondum autem peculiare corpus intumeſcens. Pulmonem ſiniſtrum paulo magis ab ejus vaſis & partibus contiguis ſeparabam, ſimul cum aſpera arteria, ubi œſophago incumbit, ut hic oculo nudus adpareret. Hactenus autem nihil obſervare pateram, niſi quod œſophagus circa medietatem pectoris præternaturaliter amplificatus videbatur, & quoad tactum durus, maxime verſus latus ſiniſtrum. *Nullum autem Glandularum dorſalium veſtigium adparebat.* Ipſum tandem œſophagum parva inciſione aperui, quo facto ſtatim ſanguis coagulatus exiit, huncque re-

motum statim sanguinolenta & ichorosa quædam materia excipiebat, magna in copia, adeo ut spongia hanc abstergere sæpius coactus fuerim. Oesophagi membranas nunc instar digiti minoris crassas esse videbam. Digitum intra factum foramen immittens *durum quoddam carnosum tuberculum me sentire putabam, posteriori internæ Oesophagi parti adnexum*, non solum, sed ut postea clarius patebat, ipsis vertebrarum corporibus adfixum. A latere hujus & paulo inferius alterum aderat, priori simile. Digitum meum circumquaque convertens, a dextro Oesophagi latere magnam quasi speluncam inveni, immo *cavitatem lateralem* & quadantenus rotundam, adeo magnam, ut *ovum anserinum in ea abscondi posse crediderim.* Oesophagi tunicæ ibidem loci valde tenues erant. Quando digitum immissum inferiora versus & ad ventriculum dimovebam, naturalis erat ibi magnitudinis & capacitatis. Idem ille magis dissectus ad longitudinem quatuor circiter pollicum, ejus erat crassitiei ut antea dictum; durus insuper, callosus fere, albicantis coloris. Immo & hæcce durities oblique juxta corpora vertebrarum ad earundem partem posticam pergebat. Eodem tempore patebat, caruncular carneas revere adesse, ex quibus frustulatim aliæ procul dubio successivo tempore fuerant abruptæ. Ipsum œsophagum cultello a vertebris separavi, quibus valide hic loci erat adnexus, *nihil tamen de Glandulis dorsalibus in conspectum prodiebat.* Vix autem dissectio fieri potuit, quin aliquid ex carunculis vertebrarum corporibus adfixum maneret, quasi ex ipso peristio, vel ossea demum substantia, cujus tamen nulla corruptionis nota a me detecta fuit, exorta fuisset. An hæcce fungosa excrescentia ipsæ fuerint degeneratæ glandulæ, non ausus sum confirmare. Interim multum sanguinolentæ materiæ ex vulnerato œsophago perpetuo effluebat; præsertim cum digitum intrudens eundem versus ventriculum propellebam,

bam, qui hacce vel simili omnino plenus videbatur; verum quia non licebat ulterius instituere examen, ideo, invitus licet, ab aliis abstinere debui.

Multa interim & varia, ni fallor, antea obscura patescunt, v. g. immedicabile fuisse malum, a principio licet cognitum perspectumve. Deglutita per duodecim & ultra horas *in sacco laterali, quasi ventriculo succenturiato*, abscondi potuisse, & nihilominus immutata rejici. Caruncularum majorem minoremve intumescentiam, vel frustulorum quorundam secessum, oesophagi viam nunc occlusisse penitus, nunc liberam reliquisse; simul quoque *undenam sanguis floridus* æque ac congrumatus originem traxerit, & plura alia ex ante dictis facile deducenda.

(*Amstelodamo Erfordiam missa d. 19. Jun. 1740.*)

OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. JOH. PHILIPPI WOLFFII,

De

Mola mature & provide exclusa.

Omnia in corpore nostro fragili, multis tantisque ærumnis obnoxio præter naturam contingentia, majori periculo secundum naturam contingentibus exposita esse, hoc in sexu sequiori, cui nobilissima functio foetui toto gestationis tempore universam alimoniam subministrandi, solum competit, & præcipue circa partum satis superque observare licet.

Termino quippe gravidatis legitimo ad finem perducto, foetus in situ naturali constitutus, partum ipsum admodum facilitat, cum econtra præternaturalis situs, matri parturiendi negotium perquam facessat & tam sibi ipsi

quam matri atrocia sæpius pericula paret. Quemadmodum vero tempore partus instantis & fœtu in situ vitioso constituto, de mutando ac corrigendo fœtus situ præternaturali solicitum oportet esse Medicum, antequam pellentia seu partum promoventia præscribit, ne motibus spasmodicis uteri adauctis fœtus vitiose situs ad ossa pelvim constituentia vel uteri latera adhuc firmius compellatur, sicque fœtus & mater in magnum periculum præcipiteutur, ita paris imo majoris periculi plena res est, si gravida quinto graviditatis mense nondum transacto, doloribus parturientibus familiaribus corripiatur, siquidem hoc tempore haud raro difficile cognoscitur, utrum conceptio & graviditas sit naturalis, an præternaturalis. Lynceis itaque oculis instructus debet esse Medicus tali in casu in consilium vocatus, ne in diagnosi, prognosi & indicatione curatoria hallucinetur, conscientiæque & famæ suæ labem aliquam affricet. Idcirco solers Medicus curæ cordique habeat exacte perscrutandi, an fœtus adhuc vivus, an mortuus sit, utrum tantum obstructio mensium sangvisve grumosus in utero collectus graviditatem mentita fuerit, an mola hactenus in utero delituerit; omnia itaque signa concurrentia singulatim & dein conjunctim probe perpendat, ut, quid faciendum, quidve omittendum sit, perspicuum habeat. Certissimum quidem signum vitalitatis fœtus in utero ex ejus motu desumitur, ast ante quintum mensem graviditatis, motus fœtus vivi quidem, adhuc autem tenerioris propter densitantem uteri & crassitiem integumentorum abdominis, percipi nondum potest, quam ob rem omnes circumstantias a conceptione, seu ut dicunt: ab ovo, usque ad præsens tempus repetere & evolvere decet. Quodsi itaque post concubitum fœcundum fluxus menstrui obstructionem passa fœmina, reliqua etiam impraegnationis signa senserit, nullumque errorem in diæta patraverit, venæsectionem mature

ture instituerit, nihilque mali multo minus dolores hactenus senserit, subito autem doloribus lumborum ad uterum ejusque orificium sese ex tendentibus sensimque cumulatim inferiora, abdomine contenta, solicitantibus, corripiatus, hosce horror & tremor partium inferiorum excipiat, serum insuper sanguine pollutum, paulo post vero sanguis floridus & sincerus majori quidem in quantitate ex utero erumpat, animi anxietates & ipsa animi deliquia oboriantur, stimulus desidendi vel mingendi frequentior modo dictis symptomatibus superveniat, moles quoque seu pondus onustum in abdomine ultro citroque mobile sentiatur, omnino concludendum est, nullam vitam præsentem, sed potius in utero adhuc contento exitum mature parandum esse sive sit fœtus mortuus, sive sit mola. Quemadmodum vero tam fœtus mortuus, quam mola, se non movere potest, ita etiam exclusio talis, difficilior est, qua de re Illustris Dn. D. *Hermann. Paul.* JUCHIUS Archiater & Consiliarius Aulicus Serenissimorum Ducum Saxoniæ & Professor Med. Primarius Erfordiensis Collega nostræ Academiæ dignissimus, Hospes olim meus perquam colendus in Disput. de Molarum generatione & curatione §. 14. ita disserit. Mola semper partum operosiorem & periculosiorem, „ minatur; fœtus enim membra flexibilia & motus cona-„ tibus matris succurunt, & successive exitum quærunt, dum „ Mola utplurimum in unum quasi globum coacervata uno „ impetu, & unice auxilio matris debeat excerni. Adde &, „ hoc quod placenta fœtus, ob definitum gestationis tempus, „ consumtum, & ad debitam magnitudinem evecta cotyledo-„ num nexum sensim sensimque dimittat, & facilius ergastu-„ lum relinquat; Mola autem funiculo & placenta carens im-„ mediate & in majori area utero adhæreat difficilimeque sal-„ vatur.„

Hisce præmissis casum de Mola mature ac proinde ex-

clusa, sequentibus subnectere Actsique nostris communicare volui:

Anno nimirum 1737. die 3. Decembris Foemina 21. annorum vegeta & sana temperamenti sanguinei, nuptiis cum viro juveni celebratis per quatuordecim hebdomades obstructione mensium laborans, nauseam nullam, appetitum vero vagum in acida præcipue & salsa inclinantem sensit, (siquidem haleces perquam avide comedebat), gravidam se esse putavit, universo hujus temporis spatio semper secunda valetudine gavisa est, heri vero nempe 2. Decembr. die post terrorem, quem ira excepit, corpus per elevationem & gestationem ponderis nimium movebat, ex quo tempore atrocibus doloribus dorsi, lumborum & abdominis afflicta conatum urinam excernendi frequentiorem sensit, quæ symptomata hodie non solum continuant, sed & sanguis pallidioris coloris loturæ carnium instar e genitalibus effluit, insuper magna virium prostratio adest, horrores quoque intercurrunt & perquam anxie respirat. Rebus sic se habentibus, omnino de abortu instante cogitavi, quem in finem & ut rem secure provideque aggrediar diluculo sequentia præscripsi:

Rec. Balsami seu Aquæ Embryonum,
Aquæ Carbunculi ana unciam semissem M. crusta panis excipiatur & abdomini imponatur.

Rec. Aquæ chamomilli, hirundin. c. castoreo ana uncias duas, Essent. carminat. Wedel. Ess. Castorei ana drachm. semis, pulv. lumbricor. terrestr. scrupulum unum,
cinnabaris nativæ depuratæ scrupul. semis,
Syrup. papavar. rhœad. drachmas duas M. & D. sæpius aliquot cochlearia.

versus meridiem dolores per duarum horarum spatium remiserunt, postea vero denuo recruduerunt & simul sanguis sincerus ex utero profluxit, hinc ne cunctando foemina hæc

in

in majus adhuc virium dispendium incideret, sequentia medicamenta in usum vocavi:

Rec. Aquæ menthæ, melissæ ana uncias duas,
cinnamomi cydoniatæ unciam semissem,
borracis Venetæ drachm. unam, Syr. Cort. aurant. drachm. duas M. & D. sæpius aliquot cochlearia.

Rec. Aquæ melissæ c. vino, spiritus lilior. convall. ana drachmas tres M. & sæpius naribus attrahatur.

Pomeridie hora prima molam polyporum instar fibrosam carneam pugni mediocris magnitudinem accedentem feliciter exclusit. Die 4. huj. viribus paulo collectis in largum sudorem conjecta, versus crepusculum in universo ambitu corporis præcipue abdomine maculis rubicundis obsessa fuit, sanguis vero post exclusionem molæ parce fluxit, pulsus fuit celer sed debilis, hinc ne inflammatio uteri oboriretur, pulverem antispasmodicum Hallensem cum conchis citratis remixtum versus noctem præbui. Die 5. huj. me certiorem reddidit, præteritam noctem perquam inquietam & insomnem transegisse, insimul de magna anxietate præcordiorum conquesta fuit, pulsum adhuc celerem & debilem deprehendi, quamobrem sequentem potiunculam ordinavi:

Rec. Aquæ scordii, sambuci ana unicas duas, elixir. Camphoræ scrupul. semis, cinnabar. nativæ, depuratæ, nitri depurati ana grana XV. Syr. capillor. Veneris drachm. duas. M. & D. omni bihorio cochlearia duo.

Post usum hujus potiunculæ sudor large manavit non solum, sed & maculæ rubræ cum levamine patientis disparuerunt, ita, ut die 6. huj. propter alvum per tres dies obstructam, Pilularum balsamicarum Stahlii scrupulum unum sumere potuerit, quarum usum tres dies continuavit & ex voto sanitati pristinæ restituta fuit, postea utero concepit & prolem

feliciter peperit, quæ quoque cum matre, (dum hæc ſcribo) adhuc inter vivos eſt.

OBSERVATIO LXXV.

Dn. D. JOH. PHILIPPI WOLFFII.

De

Orthopnœa, a ſpiſſitudine muci in bronchiis, a frigore producta.

Illuſtriſſimus quidam Comes 40. annorum, temperamenti cholerico-ſanguinei, proceritate & eximiis plane dotibus corporis ac animi prædítus hactenus illibata ſanitate gaviſus fuit.

Medio autem Menſis Decembris Anno 1739. venationi ſub cœlo frigido humido ſæpius vacans, tranſpirationem per cutis poros non ſolum impedivit, ſed & frigore externo ſanguis a partibus exterioribus minoribusque vaſis ad interiores partes majoraque vaſa retropulſus, majorem ſitim excitavit, quam potu gelido extinxit; à venatione redux factus in conclave calefactum ſe contulit, veſtibusque a nive & nebula madidis cum aliis mutatis, prandioque peracto, iterum aëri frigido ſeſe expoſuit, ita, ut fere integras dies ſub tali aëris inclementia commoratus fuerit, ex quo regimine primo tuſſim ferinam expertus eſt, quæ præcipue noctu ſomnum interrumpendo Illuſtriſſimum perquam infeſtavit, exſcreatio propter muci ſpiſſitudinem admodum laborioſa & difficilis ſuccedebat, ſed mucus potius in bronchiis indies auctus ab aëre frigido liberaliori modo admiſſo viſcoſior adhuc redditus majorem reſpirationis difficultatem produxit. Licet quidem nullum mucum exſcreare valuerit, irritatio tamen bronchiorum fere perpetua adfuit, ita, ut noctes, (quo tempore ſymptomata exaſperata ſemper fuerunt,)

runt), fere integras sedere & erecto corpore spiritum trahere Illustrissimus coactus fuerit, appetitus interim integer & vires constantes fuerunt, in prandio & cœna mediocritatem observavit & pro potu ordinario vino generoso temperanter fructus est, conclavia calefacta ordinarie peregre tulit, sed temperata & frigida illis prætulit. Ut igitur transpiratio per cutis poros iterum libere perficeretur & cordis arteriarumque motus diastolicus & systolicus æquilibrium nansisceretur, ante omnia conclave calefactum & potum calidum, infusum nempe herbæ scordii frequentem commendavi, insuper quoque omni trihorio solutionem gummatis ammoniaci in aqua hyssopi factam ad duo cochlearia præbui, vesperi vero cubitum eundi tempore pulverem e Radice Ireos Florentinæ, spermate ceti, floribus benzoës & cinnabari nativa conflatum balsamoque sulphuris anisato irroratum in infuso scordii porrexi, in mensa omnia acria, acida & aromatica proscripta fuerunt. Medicamentis hisce adhibitis regulisque diæteticis exacte observatis, Illustrissimus permultum muci tenacissimi primo, postea vero dilutioris facillime ejecit, tussis mitior & respiratio liberior reddida fuit, noctu quoque supinus somnum capessere potuit. Demum Pilulis laxantibus ex Extracto panchymag. Crollii, massa pilul. de succino Cratonis & resina jalappæ confectis, curæ huic, exoptato cum effectu colophonem imposui, siquidem tussis reliquaque symptomata in totum cessarunt, ita quidem, ut Illustrissimus hic ferias Salvatoris nostri natalitias in æde sacra celebrare dieque has proxime subsequente iter ultra octoginta milliaria sanus & vegetus subire illudque citra ullum sanitatis dispendium ad finem perducere valuerit, siquidem etiam adhucdum inter sanos ad votum vitam degit.

Rüdenhusa Noribergam missa.

OBSERVATIO LXXVI.
Dn. D. JOAN. JACOBI HUBERI.
De
Hymene singulari.

Non plane nullius usus fore speravi, quando heic paucis tradidero, quæ se mihi, sæpius ac sedulo in mulierum partes generationi dicatas, inquirenti, nupera hieme singularia de Hymene observanda obtulerunt. Observatio talis est, quæ nos non modo de variante & a vulgari recedente structura Hymenis instruat, sed & insuper nobis exemplo esse possit, quo modo tali, vel utcunque simili in casu, naturæ vitio, quo non raro menstruarum purgationum effluxus impeditur, ipsaque interdum sterilitas, ab impotentia coëundi oritur; vel interdum fœtui, peculiari ratione in utero suscepto, exactisque temporibus exitum molienti, insuperabile obstaculum objicitur, occurri pro rei necessitate possit ac debeat.

Disputationi longæ, a præcipuis Anatomicis jam diu agitatæ, de Hymenis præsentia, vel defectu, in statu maxime naturali virginis, scilicet castissimæ, virum æque ac omnem aliam lascivam ac petulantem contractationem nondum expertæ, me modo immiscere nolo, nec observationes, vel argumenta rem probantia, vel contra facientia, proferre ac perpendere. De hoc autem dubitare mihi non licet, esse membranam, *Eugion* veteribus, sive *Hymenem* dictam, ad primum a pudendo externo ad vaginam uteri aditum positum. Etenim frequentissima inspectione edoctus atque convictus Hymenis, illum verum naturalemque membranam agnosco, intactis virginibus familiarem & propriam, satisque in iis conspicuam; quæ a MORGAGNIO

quo-

quoque, SANTORINO, WINSLOWIO, HEISTERO & innumeris aliis probata est. Locus hic exigit, ut ulteriori probatione, vel exemplorum allegatione supersedeam, Lectoremque in præsentia modo breviter moneam, de decantatæ illius membranæ natura & constanti præsentia in vere intactis fidem tot oculatis testibus habeat: quod ex parte etiam nunc recensenda observatio, de singulari quamvis Hymene agens, suadet & ulterius confirmat.

Hymen ipse, nimirum in exemplo hocce, quoad partem suam membranaceam, se habet, prout frequentissime conspicitur in statu quoque maxime naturali; sola scilicet columella carnea singulare illud in hocce est, quod nos ad scribendum commovit, & observationem nostram commendare Curiosis naturæ potest. In genere autem Hymenis natura plurimum variat, pro diversis corporibus, nec semper, quamquam maxime naturaliter constitutus Hymen, eandem habet figuram. In aliis enim fere, ut figura nostra exhibet, ex ipsa fossula naviculari lata exsurgit membrana, binis lateribus, vaginæ adplicata, quæ, ad medium ejus ostium ubi pervenit, utrimque in limite vaginæ altius adhuc paulo adscendit, cornutaque seu falcata ibi desinit, hiatum inter bina cornua relinquens, cujus cavitas sursum spectat: ut ita integra membrana Lunæ crescentis figuram exacte referat. Non raro contra a tali figura cornuta recedit, integrum circulum membranaceum circumscribens, relicto in medio ostio rotundo. Hæc descriptio veterum Anatomicorum sententiæ favet; illa vero recentiorum observationi magis convenit. Utramque structuram non semel observavi, eamque (& in Theatro nostro anatomico & Basileæ) jam dum ita variantem adnotavi. MORGAGNIUS vero cum VALSALVA testatur, se Hymenem in modum columnæ, annulum in duo segmenta dividentis, constructum vidisse. Et BASSIUS quoque similem fere colum-

nam,

nam, duobus cruribus constantem, a perinæo late exortam, & adscendendo inde sensim arctatam, describit, & figuram, prout eam in recens natis vidit, exhibet. Ea, quæ MORGAGNIUS cum VALSALVA de Hymene adfert, aliquo modo ad nostram observationem accedunt; longe vero utraque, uti & BASSII observatio, a statu naturali recedunt.

Nunc igitur ea expediam, in quorum gratiam, quidquid id est, de Hymene, a naturali statu aliquantum aberrante, dicere suscepi. Nupera hieme ex puella septem annorum Uterum, cum partibus ad illum facientibus, tam externis, quam internis, exemi, quo inter privatos parietes otiosæ, variarum partium causa, contemplationi eum subjicerem. Incipiendo ab externis partibus, omnem statim attentionem sibi vindicavit elegans Hymenis adparatus; lucentis instar membranæ, omne fere vaginæ uteri ostium occludens, nec quidquam vitiosi primo intuitu exhibens, sed fere instar aliorum, sæpius perspectorum, Hymenum, leniter cornutorum, se habens, naturalem tamen magnitudinem aliquantum excedens. Attentius vero considerata membrana, illam columnæ ope superiori vaginæ parti adfixam esse perspexi. Exsurgebat scilicet ex fossicula, sive ex infima vaginæ sede, membrana fere musculosa, lucens tamen, non pellucens, lævis, atque continua cum vicina cute, lata, ab uno vaginæ latere ad alterum porrecta. Limiti vaginæ ita adnata erat, ut ultra ejus mediam partem integra adscenderet, sicque minimum bessem ostii vaginæ plane obvelaret; latera ejus, paulo altius porrecta, in bina cornua desinebant, quæ limbum Hymenis seu arcum, parte concava sursum spectantem, coërcent. Ostii vaginæ reliqua portio, sublimis, inter limbum Hymenis atque urethræ orificium intercepta, *hiatus* dicenda, exilis admodum est, & omni membranoso margine caret. Hunc deinde

hia-

hiatum in duas partes inæquales dividebat columna carnea, duas lineas craſſa, quæ ex ipſius portionis carneæ, urethræ orificium cingentis, parte infima, paululum tamen magis ſiniſtra exibat, libere per hiatum deſcendens, oblique ſiniſtrorſum, laterali & quidem ſiniſtræ Hymenis parti ad internam faciem inſerebatur; quoad ortum ita dictarum papillarum myrtiformium ſupremum locum tenebat, non tamen extrinſecus inſpicienti partes, diſtincte ſe exhibebat; niſi omnia paulum diſtenderentur. Reſciſſa dein ab interna parte vagina, columnam illam pro natura ſua integram proſpexi, uti ab eminente, in ſuperiori vaginæ parte, portione carnea, plicas dimittente, ſecedebat, &, facta ad Hymenis internam faciem arcuata adhæſione, ad inferiorem, ſimilem ſuperiori, lineam eminentem carneam uſque porrigebatur. Tanti roboris erat columna illa, Hymenem fulciens, ut, quemadmodum arbitror, ſuo tempore non potuiſſet virili virga dilacerari; minus adhuc menſtrualis ſanguinis vi, nec ejusdem ibidem corrupti mora & acrimonia conſumi, quo liber ad vaginam aditus efficeretur. Talis ergo puella, ad pubertatis annos profecta, non prius concubitum admittere poſſet, quam operationem atretarum perpeſſa fuiſſet: nec omnem curam ſimplex Hymenis reſciſſio longitudinalis, vel decuſſata, abſolveret, ſed ſingularem adhuc columna reſciſſionem poſtularet, qua tota ipſa columna extirparetur; quo præcaveretur, ne propendens pars illius, atque in molem excreſcens, de novo ad vaginam aditum præcluderet, vel etiam facta conceptione fœtui exitum vel denegaret, vel ſaltem maxime difficilem redderet. Quo vero modo omnis operatio peragi debeat, malo Chirurgum, cui unquam contigerit, tales virgines curare, ad opus, omnibus numeris abſolutum, celeberrimi ſcilicet HEISTERI Chirurgiam magnam, ablegare, quam hic de operatione prolixe agere.

Hæc, quæ de Hymene ejusque columna dicta sunt, quo melius intelligantur ac percipiantur, volui hic figuram, quam ipse delineavi, *Tab. III. Fig. 8.* subjungere, cujus explicatio hæc esto:

A. Clitoris.
BB. Ejus Crenæ sive Nymphæ.
C. Præputium Clitoridis.
D. Hymen.
E. Columna carnea hymeni inserta.
F. Urethræ apertura.
G.G. Duæ lacunæ, seu plicæ, ad latera urethræ in vestibulo vaginæ positæ, constanter ibi conspicuæ.
H.H. Introitus in vaginam.
a. Fossula.
b. Frenulum.
c.c. Lacunulæ, ad latera Hymenis locatæ.
d. Anus.

(*Gœttinga Erfordiam missa d. 28. Jun. 1740.*)

OBSERVATIO LXXVIII.

Dn. JOAN. GODOFRED. BÜCHNERI.

De

Auro fluviatili in Voigtlandia.

AB antiquis jamdum temporibus Itali quidam solertissimi totam nostram peragrando exactissime explorarunt Voigtlandiam, indeque non raro haud spernendas exportarunt divitias. Testantur id inprimis Libri eorum, vulgo Wahlenbüchlein dicti, in quibus speciatim confinia urbium *Greitz*, *Schleiz*, *Reichenbach*, *Elsterberg*, *Gera*, *Weida*, *Hof*,

Hof, Saalburg, &c. nominantur, ubi inprimis auri quædam latere dicuntur mineræ. (a)

Quamquam vero non omnia extra dubitationis aleam videantur esse posita, certum tamen, immo certissimum omnino est, fluvios ac rivos quosdam in Voigtlandia dari auriferos, ex quibus olim arte quadam, quam **Goldseifen** adpellant, auri nonnulla grana sunt exemta, licet inventum hoc curiositate magis, quam sumtuum insumendorum compensatione hactenus sese commendaverit.

Sic de *Weida* fluvio PLANERUS refert: (b) *Idem vero fluvius aurum vehit Hungarico super.* Et de *Goletio* notavit: *Huic aurum fertur conciliasse nomen, cujusmodi arenas Goletium ducit.* (c) Porro de rivo *Seiffenbach* hæcce monet: *Is per partem suburbii Reichenbacensis transit, ubi nomen accipit a Seiffen, i. e. a lotione arenarum auriferarum, quas vehit.* (d) *Ceterum auri ex arenis eliquati copiam fecit consultissimus Dn. Dan. Veissenbornius, Præfectus Judiciorum Metschianorum.* Ac tandem addit: *Græslitium rivus, iisdem arenis dives. - - - In rivo Tribesiensi arena aurifera inest copiosa.*

Paria de flumine *Mulda* memorat ALBINUS (e) Geræ quoque & Grætzii ex *Elistro* aurum pariter olim lotum, exindeque catenas fuisse confectas aureas, Acta comprobant

 inter

(a) Vid. *Anon.* Beschreibung des Fichtelberges.
(b) *In Histor. Varisc.*
(c) Conf. etiam Commerc. Litterar. Norimberg.
(d) Vid. etiam Dn. Olischer Reichenbach Chronica, ubi hanc urbem olim die Goldwäsch- und Bergstadt nominatam fuisse tradit. Conf. Fiedler Lengefeld Ehren- und Gedächtniß-Säule, MSt. Dn. D. BRUCKMANN Epist. Itiner. LXXXI.
(e) Meißn. Chron *p. 124.* it. MATHESIUS *in Præfat. Sareptæ.*

inter Dn. *Henricum Seniorem*, item Dn. *Henricum Medium* & Dn. *Henricum Juniorem*, Ruthenos ac Dominos de Plauen An. MDLXV. habita, quæ adhuc in Tabulario adſervantur Græitzenſi. Nec minus & *Saala* fluvius ejusdem auri eſt ferax, uti hoc experientia confirmat GEORG. ADAM. STRUVE. (f) Taceo præterea *Steinheydæ* & *Kuttenheydæ*, *Keſchizii*, item Montis, **Goldberg** dicti, auri mineras; (g) ex quibus omnibus clare ſatis patet, divites omnino Terræ noſtræ ſinum ubique fovere theſauros, nobis nonniſi ex incuria ac negligentia abſconditos.

Cæterum aurum hoc in ipſis fluviis Solis maturari calore, nec ex montium huc advehi viſceribus, variis ex rationibus quotidie edocemur, (h) unde nonnulli haud vane quoque arbitrantur, in iſtis inprimis fluminibus, quibus lignorum ſæpius ineſt copia, particularum ſulphurearum ac reſinoſarum ablutione & frictione quam maxime hancce in arena promoveri generationem. (i)

Tandem & granorum ejusmodi auri qui accuratius cognoſcere deſiderat conditionem, quomodoque ex fluminibus commode ſint colligenda, uberiorem inveniet notitiam **in den aufgefangenen Briefen**, 205. Correſpond. **Erläut. Voigl.** P. II. it. **Nachr. von den Gold- Kupffer- und Eiſenſteinen, welche bey und um Jena gefunden werden.** Uſum vero terræ hujus Solaris quod attinet, a Medicis etiam in cura Peſtis inprimis commendari novimus. Vid. **Breßl. Sammlung.** *An. 1721. p. 537.*

OBSER-

(f) Diff. de Auro *fluviatili.*

(g) Vid. Dn. D. BRUCKMANN. *Magual, Dei in loc. ſubterran.* it. AGRICOLA *de veter. & nov. Metall.*

(h) Vid. Anon. Ausführliche Beſchreibung des Fichtelberges.

(i) Conf. Illuſtr. STAHLII *Specim. Becher. Lib. I. Sect. II. p. 162.* it. HIERON. CARDANUS *de Subtilit. Lib. VI. p. 147.*

OBSERVATIO LXXVIII.

Dn. D. JOAN. GODOFR. BÜCHNERI.

De

Vortice Tiffendorfiano in Voigtlandia.

Die XXII. Jun. An. MDCCXXXIX. poft meridiem hora tertia *Tiffendorfium*, ab urbe *Curia* milliare fere Germanicum diftans a procella quadam inopinata infignem accepit calamitatem. Nullum tonitru, nullum fulmen, nullus imber, nullusque terræ motus anteceffit. Attamen 10. domicilia cum plerisque adjunctis horreis, nubilariis & ftabulis, multisque contignationibus, unacum ædificiis fecundariis Signiferi, Domini a Reitzenftein, illæfa domo intra 5. minuta prima adflicta funt, atque in ftruem lignorum illico converfa. Multæ fcandulæ, & quæ in agro Reitzenfteiniano pofita fuere, hordeum, ftramen & pabula, partim in finitimam pifcinam, partim in procul diffitum montem funt translata. Immo promoti in eundem funt currus, atque opilionis infans anniculus, in cunis jacens, ad dictam pifcinam fimul translatus eft, ibique vivus absque cunis inventus.

Prope viam Gefellianam habitans, & ad globi tormentarii jactum a loco calamitofo remotus tabernarius fub dictum tempus obfervaffe dicitur nubem turritam, ad terram fere dependentem, quæ centum plus minus paffus lata inftar vorticis commota, atque ab altiore & nigricante nube quafi demiffa pirum prope Tiffendorfium, ad quam delapfa fit, ftatim ex terra eruerit, atque 20. & plures paffus projecerit, eoque facto oppofita ædificia fimili modo demolita fit, tandemque in monte objacente evanuerit. Quæ vero a deftructis ædificiis 50. paffus ad dextrum latus

tus absunt, ex eorum tectis ne una quidem scandula fuit dejecta. (a)

Scholion.

Haud vane hunc ventum maxime miratus est Dn. WINCKLERUS, Philosophiæ Professor in Academia Lipsiensi celeberrimus, hincque eum in peculiari, de *Vortice Tiffendorffiano*, Dissertatione, An. MDCCXXXIX. habita, accuratius examinavit. Ex nube autem in gyrum sine fragore & fulmine acta detrusaque concludit, ventum istum inter *Vortices* esse referendum, ejusque originem inde maxime derivandum, quando ventus obstacula offendit, quæ non modo impetum sustinent, sed & aërem recta impulsum oblique reflectunt. Repercussæ enim hoc modo partes aëreæ versus latera prorumpunt, irruentemque ventum a via detorquent. Atque hic pari ratione ex alto descendit, si certa aëris portio delabi incipiat.

Postquam igitur impetum declaravit, quo ventus pro certa celeritate terrestria percutere valeat, explicationem hujus Vorticis ipsam adgreditur. Perspecturus vero modum, quo tam mirabiles editi sint effectus, tria expendere necesse duxit. Primo ad calculum revocavit vires ad tantam rerum eversionem necessarias. Tum in delapsi aëris naturam inquisivit, unde intelligatur, eundem tantum valuisse. Ac postremo investigavit originem, unde aër nactus sit tantum ponderis, tantamque vehementiam, quæ omnia latius ac solidissime deduxit.

Tandem etiam Vorticem hunc multis mirabilium ventorum exemplis, quæ antiqui pariter ac recentiores memoriæ

(a) Vid. Litteræ publicæ Lips. ubi ex Epistola Byruthi d. 10. Jul. scripta adfirmatur, jussu publico emissos contemplatores spectaculi veritatem esse contestatos.

riæ prodiderunt Hiſtorici, eruditiſſimus Ratisbonæ Eccleſiaſtes, Dn. J. M. BARTHIUS, ſcripto in lucem edito Germanico illuſtravit.

Cæterum ex relatione circumſtantiarum Vorticis hujus patet, quam magna inter notitiam & dijudicationem Philoſophi ac rudis plebis rerum naturalium ſit differentia. Exigua ſane aëris reſpectu materiæ ponderisque ac virium ejus, quæ moventur, eſt copia; aſt violentos tamen, immo creditu nonnunquam difficiles iſta producit effectus. Hinc ſtupet modo vulgus hæretque animo immobilis, talia oculis videns. Sed peregrina hæcce quidem non videntur Philoſopho ac Mathematico, velocitatem ſimul aliasque cauſas effectus hujus conſideranti, (b) quin potius omnipotentiam & ſapientiam, maxime vero providentiam Creatoris eo magis admiratur ubivis omnino obviam. Factum enim & hic eſt, ut neque homines, neque pecudes in ſtabulis ſub convulſis lignis & domibus ſepultæ, & quibusdam locis projectæ, perierint. Neque aliam noxam ſubiere, niſi quod ſartori, cujus domus omnino diruta eſt, excepta menſa, quæ in hypocauſto infimo cum ſuper impoſitis libris haud fuit loco dimota, a collapſa janua alterum crus fractum ſit. Quod idem infortunium inter pecudes accedit bovi. Ecquis ergo non exclamaret: *Ventus ac mare obediunt Domino.*

OBSERVATIO LXXIX.

Dn. JOAN. GODOFREDI BÜCHNERI.

De

Fonte quodam in Voigtlandia, colore ſuo tempeſtates præſagiente.

Fontium utique peculiares admodum nonnunquam ſunt qua-

(b) Vid. Dn. WOLFII *Phyſ.* §. 13. & 215.

qualitates. (a) Hinc Consiliarius Seyfried (b) inter alia refert : Bey Volterra, auch in Toscana zeiget sich eine starcke Wasserquelle, die im Hervorquellen jederzeit bey 16. Schuh sich in die Höhe wirft. Je höher sie nun übersich steiget, je näher ist Regen und Ungewitter vorhanden. Da hingegen, wenn sie kaum zur Helffte so hoch springet, und gleichsam nur fliesset, bedeutet es helles und klares Wetter. (c) Et p. 332. pariter ex MAJOLO l. c. hæcce excerpsit : In Hispanien, bey der Stadt Beyara zeiget man denen Reisenden einen See, welcher die künftigen Sturmwinde und Regen dergestalt vorher verkündiget, daß sein Wasser durch ein dermassen grosses Getöß und gleichsam brüllend auf etliche 1000. Schritt weit sich hören lässet. Sic quoque hic notari meretur, quando *p. 276. ibid.* sequentia leguntur : In Palæstina unfern der alten Stadt Sichem ist der bekannte Jacobs-Brunn, welcher alle 3. Monat das Wasser in mancherley Farben ändert, dann solches bald klar, bald trüb, bald blaulicht, roth, grün, und anderer gemischten Farben gefunden wird.

Absit autem, solos hosce mirari fontes peregrinos; Voigtlandiam enim nostram qui diligenter perscrutabitur, facili negotio & similem hisce in vicinitate quoque inveniet, scilicet *Thierbachii*, in vico quodam, non procul ab urbe *Schleiz*, fons quidam oritur, cujus aqua 12. vel 16. horis ante insecuturas pluvias lacteum induit colorem, imminentibus vero tempestatibus, Iridis mentitur colores; atque hoc præsagium eo minus fallit, quando pisces simul capita in eo attollunt.

Dn.

(a) Vid. Dn. D. KELLNER. Synopsis Ephemer. Natur. Curios. voc. *Fons*.
(b) In Medull. Mirabil. Natur. p. 257.
(c) Vid. MAJOLI Dies canicul.

Dn. SEYFRIED l. c. ejusmodi phænomena quidem inter qualitates refert occultas atque præternaturales. Sed meo judicio probabilis variationis hujus in propatulo est causa. Vapores nimirum, ceu Physica nos docet, radiorum Solis ope rarefacti, ac in mediam aëris regionem delati, nubes formant, atque deinceps per pluviam iterum destillant. (d) Cumque per exhalationem terræ circa hunc fontem isti congregati atque invicem uniti fuerint, pluviæ materiam utique præbent primam. Suppone igitur, non procul a scaturigine terram quandam albam ac lutosam, vel quascunque alias particulas sulphureas, spirituosas aut vitriolicas, cum vaporibus hisce sese miscentes, (de quibus effectus abunde satis omnino testatur,) tunc harum mutationum facilis statim dabitur ratio. Exhalationes enim terræ pluvias ordinarie præcedunt, hincque aqua fontis coloris sui mutatione tunc præsentiam eorum, atque sic futuram pluviam certissime indicat. Hocque eo magis pisces confirmant capita attollentes, utpote qui mutationem istam facilius, quam nos, sensu percipiunt.

OBSERVATIO LXXX.

Dn. D. JOAN. GODOFREDI BÜCHNERI.

De

Prodigio vulgo credito sanguinis, in Civitate Plauen.

Anno MDCLXXII. sanguis in domo Leonhardi Werckerlini, Civis Plaviensis, ac in platea Judæorum degentis, ex cubiculo scaturire visus est. Johannes

(d) Vid. Celeberr. Dn. WOLFII Würckungen der natürlichen Dinge Cap. V. VI.

Fridericus Braunius igitur, ex ordine Senatorio ibidem, ad testandam rei veritatem vocatus, prope fornacem statim guttulas quasdam minores, roris instar, ex tabulato sudare quasi animadvereit, quæ vero postea magnitudine crescentes auctæ integram tandem constituerunt paludem. Immo quibusdam in locis ex parietibus etiam & sellarum pedibus, baculis item ad purandam lanam idoneis ac penna quadam scriptoria, ex ardesia confecta, eundem profluxisse, Judicii confirmarunt Adsessores, quare linteis non modo variis, sed & papyro illas exceperunt, & verum ac genuinum esse, non sine stupore, observarunt sanguinem, secumque in Curiam, in perpetuam, ad pœnitentiam homines revocandi causa, adportarunt memoriam. (a.)

Scholion.

Permulta in hacce relatione mihi non sine causa videntur suspecta & maxime superstitiosa. Cum vero non minima Physices genuinæ hæcce sit utilitas, ut rerum naturalium, quantum fieri potest, investigatione, a superstitione abducamur, aliosque simul ab ea dimoveamus, incongruum haud erit, pauca quædam majoris evidentiæ causa hicce subnectere.

I. Per *sanguinis* vulgo sic dicta *prodigia*, accidentia plerumque intelligi, ubi variis in rebus sanguis extraordinarie conspici creditur, notum est, quidquod notissimum. Simplices vero, ac rerum naturalium ignari homines id omne, quod rubrum mentitur colorem, sanguinis nomine statim indigitare nimis præcipitanter solent, quamquam præter colorem nil minus cum sanguine commune habeat, (b.) id

(a) Vid. Theatr. Europ. P. XI. p. 333.

(b) Conf. *Ephem. Academ. Natur. Curiosor. Cent. VIII. App. p. 4.* vbi sistitur Fons, certis horis fœtidum & rubicundum liquorem, a vulgo pro sanguine habitum, proferens.

id quod ſolutione chymica optime probari poteſt. Hinc ergo patet, effectus hoſce cauſis utplurimum tribuendos eſſe naturalibus, adeoque bella, ſanguinis profuſionem, dyſenteriam, ac neſcio quid adhuc aliud, ut quidam vane ſibi perſuadent, neutiquam ominari, ſiquidem his omnibus eventus præterea quam ſæpiſſie nequaquam reſpondit. (c.) Conſtat nempe II.) in terra hinc inde quasdam contineri materias, ad inducendum rubicundum colorem aptas. Cum ergo de novo ſcaturigo, ejusmodi colorem referens, exoriatur, probabile omnino eſt, aquam ab iſta tinctam fuiſſe, quare etiam rubedo talis plerumque non ita diu durat, donec nimirum materia iſta per aquam fuerit ſoluta atque eluta.

III.) Denique a Phyſicis variæ adducuntur cauſæ, prodigia ejusmodi ita dicta ſanguinis producere valentes, herbæ nimirum atque arbores in vicinia poſitæ, radices item, folia, inſecta, piſcium ovula atque vermes, putrefactione ſua aquam tingentes, inprimis vero ferri ac cupri mineræ aut alia terra ferruminoſa, ubi nimirum tempeſtate calida partes iſtæ ferruminoſæ ac cupreæ nitroſis ac vitriolicis attolluntur ebullitionibus, inque aqua coagulantur, atque ſic viſui tandem ſe ſe offerunt. (d.) Hinc pulchre admodum BARTHOLINUS ſcribit: (e.) *Fervidis æſtatibus piſcinæ quædam non procul a ferri venis repente rubent, poſtea cum colorem amittunt, ex hiſce vulgus, cauſarum inſcius, multa pro*

(c) vid. *MENCKEN. de Charlataneria Erud. p. m.* 382.

(d) vid. Breßl. Samml. An. 1719. 1720. Schauplatz vieler ungereimten Meynungen P. IV. it. Dn. D. KELLNERI Synopſis Ephemerid. Acad. Nat. Cur. ſub tit. *Aquæ rubicundæ facta.*

(e) In *Inſtitut. Phyſ. de Aëre, Terra ac igne, p.* 10.

prodigiis habet. (f.) Quem vero quæso latet, permulta in ejusmodi casibus quotidie non obviis, variis aut ex terrore, aut superstitione ampliari accessionibus, inprimis cum superstitiosi utcunque simplices sint ac maxime creduli, quare etiam mirari haud licet, idem hac vice simul etiam apud nos accidisse. Cæterum hæc animo mihi circa significationem harum rerum sedet sententia: *Habent Mosen & Prophetas, audiant eos.*

Tandem vero coronidis loco huc adponam, quod in Novellis publicis Dresdæ haud ita pridem de falso jactato tali quoque, his verbis relatum est, prodigio: **Am Heil. Christ-Abend ward das Röhr-Wasser in dem Juden-Hause auf der Pirnaischen Gasse blutroth gefunden. Der Pöbel / der nicht selten eine Sache vor ein Wunderwerck hält, welche nichts weniger als dasselbe ist / drang mit solchem Ungestümm in das Haus, dieses vermeynte Wunderwerck zu sehen, daß die Wache den Zulauf hemmen mußte. Die gantze Kurtzweil war indeß, als man die Sache bey dem Lichte besahe, ein Werck des Röhrmeisters, der das Wasser gefärbet, um zu sehen, wie er auf Befragen die Ursach angegeben, wo der Lauf desselben hingienge, welcher Schertz ihm aber vermuthlich einen wohlverdienten Verweiß gekostet haben wird.**

OBSER-

(f) vid. FRESNEL. Disp. de causis corporum cruentorum. BECMAN. Disp. de prodigiis sanguinis. SCHMIDT. Diss. de prodigiis sanguinis vulgo creditis.

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. JOAN. GODOFREDI BÜCHNERI.

De

Ovo gallinaceo insolitæ figuræ in Voigtlandia excluso.

Anno 1736. Schœneckii in Voigtlandia gallina quædam ovum exclusit mire formatum, tuberculis nempe nonnullis in posteriori parte, sculpturæ instar elevatæ, notatum, punctisque rubicundis ornatum, ceu fig. 3. Tab. IV. clarius ostendit.

Scholion.

Notissimum omnino est, ab animalibus irrationabilibus, præsertim vero plumosis, monstra interdum per graviorem progenerari impressionem, (a.) quorsum inprimis ovum istud pertinet, Cometam in testa repræsentans, quod ideo non leve ad probationem hujus adsertionis adfert pondus, dum præterito sedulo tempore in cœlo adparentis Cometæ fuit exclusum. (b.) Addi quoque huic meretur Ovum ecclipsi lunari insignitum (c.) nec non littera M. notatum, (d.) itemque cum imagine serpentis in testa, & alia ova Sole,

(a) vid. VALETINI in Museo Museor. p. 15. *Fortun.* LICETUS, de Monstr. p. 15. it. Miscellan. Nat. Cur. Ann. II. & VI. Observ. 43. & 185.

(b) vid. *du* BLEGNY in Zodiaco Medico Gallico p. 30. it. D. BRANDER. Diss. de Ovo Cometico.

(c) vid. Dn. D. KELLNER. Synops. Ephem. Natur. Cur. voc. *Ovum*

(d) vid. du BLEGNY l. c.

le, vel etiam figura hepatis Lucii ſignata, (e.) hincque in eorum claſſem referre non dubito prænominatum, quamquam erroris hujus tam lucide non pateat cauſa.

Similiter quoque his accenſeri poterit ovum gallinaceum, formam capitis humani referens, (f.) aliudque figuram Lacertæ exhibens, itemque cum duplici cauda. Error autem conformationis hujus poſterioris ex eo maxime oriri videbatur, quod Natura albumen in proceſſu peculiari, vitellum vero in alio poſuerat, cui difformitati forſan preſſio quædam tunc temporis præcipue anſam dedit, quando gallina tangendo fuit examinata, an ova proxime excluſura ſit? Taceo alia ovorum monſtroſorum exempla, quorum catalogum congeſſit Dn. D. KELLNER l. c. Frate rmeus germanus, modernus Academ. noſtræ Præſes, in *Indice univerſali Annalium med. phyſ. Uratislavienſium* nec non Dn. D. KUNDMANN in *Rarior. Natur. & art. Act. phyſ. med. Academ. noſtræ Volum. I. Obſerv. 117. p. 243.* Item Dn. D. BRüCKMANNI *Epiſt. Itin. VI.* ubi inprimis repræſentatur ovnm a Gallina quadam in Tæxa ad S. Mariæ Stellam in Bavaria partum, in cujus putamine benedicta mater Dei hominum Salvatorem infantem brachio dextro ſuſtinens videnda, inſimulque mirandi iſtius pariter meminit ovi, in quo conſipciebatur acinaces vagina denudatus, crux & virga, ac alterius quoque figurati, cujus apex turritum muliebre ornamentum (vulgo Fontange) & huic incumbentem parvum puſionem exhibet. Atque hinc firmiter omnino exinde tandem concludit: Habent animalia ovipara æque ac vivipara, ſui generis phantaſiam, & imaginationem, ſed omnimode diverſam & ab humana plane diſtinctam, cum hæc

(e) vid. Dn. D. KELLNER Synopſ. Ephem. Nat. Cur. voc. *Ovum.*

(f) Ibid.

hæc sit longe excellentior, multo nobilior, variisque modis præstantior. Generant & pariunt ex hac imaginatione, quando corrupta, aliisque visis objectis tempore coitus & graviditatis imbuta existunt, non secus ac homines, monstra & fœtus a suo genere diversos, aberrantes, corruptos, mutilatos, incompletos, aliter ac genus, sexus & propagatio a sua divinitus indita natura postulat, figuratos & formatos.

(*Greiza Varoscorum Esfordiam missæ.*
d. 5. Jul. 1740.)

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. D. GEORG. HENR. BEHR.

De

Ovo gemello minori in alio majori incluso.

Varia quidem hinc & inde prostant exempla de *Ovis præternaturaliter constitutis*; v. g. de Ovis monstrosis apud GOCKELIUM *in Consil. Observat. & Curat. Cent. I. Cons. 38.* RIEDLINUM, *in Lin. Med. Ann. VI. Mens. Jun. Obs. 19. pag. 672. & Annal. med. phys. Vratislaviens. Tentam. XXXV. p. 350.* de Ovis diversis figuris condecoratis, *in Ephem. N. C. Dec. I. Ann. IV. pag. 282. & Dec. II. Ann. I. Obs. 16. BLEGNY Zodiac. Gall. Ann. 1681. Mens. Sept. Obs. 1.* de Ovo quadrato in *Ephem. allegatis Dec. III. Ann. IX. Obs. 53.* De Ovo duplici cortice prædito, apud BARTHOLINUM in *Histor. anatom. rarior. Cent. V. Hist. 65.* De Ovo cum duplici vitello in *Eph. N. C. Dec. I. Ann. II. Observ. 241.* & *Ann. III. Obs. 188.* De Ovo gemello, ibid. *Dec. II. Ann. IV. Obs. 115.* De Ovo in ovo, apud BARTHOLINUM in *Histor. anatom. Cent. IV. Hist. 14.* & *Cent. V. Histor. 95.* ut & in

ejus-

ejusdem *Epistol. Med. Cent. III. Epist. 42. & Cent. IV. Epist. 63.* nec non in *Actis Hafniensibus, Vol. V. Observ. 17. p. m. 72.* item apud *Stalp. van der WIEL*, in *Observ. rar. Cent. II. Obs. 49. Guil. HARVÆUM, de Generat. Animal. Exercit. XI. p. 86. Francum a Franckenau in Satyr. Med. Sat. IV. pag. 79. Act. Erud. Lipsiens. An. 1713. mens. Octobr. p. 442. & Ann. 1721. Mens. April. p. 150. Annal. med. phys. Wratislau. Tentam. XXI. p. 173. & Tent. XXII. p. 414.* passimque in *Decuriis* & *Centuriis Ephemer.* Academ. nostræ. Nuspiam vero quidquam adhuc deprehendi de *Ovo gemello*, seu *duplici, in alio Ovo contento;* quare ante dictis notatu dignis exemplis, præsentem etiam hanc observationem de tali ovo adjicere lubet.

Cum ante aliquot annos Clarissimus Dn. *Joannes Jacobus Witterus, Logices atque Metaphysices apud Argentoratenses Prof. Publ. Ordinarius celeberrimus*, levi quodam morbo tentatus, suasu meo, circa vesperam ovum sorbile adsumere vellet, hincque ancilla ovum recens gallinæ domestiç adportaret, en! diffractum illud vitellum quidem naturaæ cum albumine continebat, sed simul inclusum aliud ovum, firma ac propria testa septum, monstrabat. Hinc modo nominatus vir celeberr. curiositate ductus, totum illud e majori ambiente ovo eximebat, & sub accuratiori perlustratione deprehendebat, non simplex, sed duplex, seu gemellum id esse; aliud enim minus alteri majori firmiter erat adcretum, ipsique continuum. Postero deinde die, gemello hoc ovo etiam aperto, superior æque ac inferior ejusdem cavitas proprio vitello proprioque albumine erat repleta. Hinc in unico hoc ovo tria peculiaria ac distinctissima vitella & albumina recondita latitabant. Rarissimi hujus ovi testa, unacum multis aliis præternaturalium ovorum generibus, adservatur nun in instructissima Pinacotheca Generosi ac curiosissimi Dni *Samsonis a Rathsamhausen.*

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIII.
Dn. D. JOAN. GEORG. BEHR.
De
Paſſione iliaca Clyſtere tabacino curata.

Vera Praxis medica cum multum incrementi capiat ex Obſervationibus ſæpius reiteratis, atque idcirco experientia non inepte alterum Medicinæ fulcrum nuncupetur, non poſſum non, quin ſequentem hic ſiſtam Caſum: Doctiſſimus atque experientiſſ. hujus urbis Practicus, & Xenodochii civilis Medicus vicarius Dn. D. *Joan. Chriſtian. Ehrmann*, Fautor, Collega atque amicus, inter paucos chariſſimus, præterlapſo menſe Januario a. c. vocabatur ad fœminam quandam, pertinaciſſima alvi conſtipatione laborantem. Huic, per tres integras hebdomadas, contra rebellem hunc adfectum varia, eaque convenientiſſima, præſcripſit remedia, tam interna ſcilicet, quam externa, ſed omnia incaſſum. Nec enim laxantia, nec lubricantia, nec humectantia, nec oleoſa, nec nitroſa, nec antiſpaſmodica, nec aperientia, nec ſalina, nec unguinoſa externa, ullum ediderunt effectum, quin potius malum de die in diem majora capiebat incrementa, adeo ut etiam vomitus crebriores jamjam ingruerent. Hinc, ille perterritus, in deſperatiſſimo hoc morbo, ultimum illud, plebi alias admodum terrificum, adhibebat medicamentum, Mercurium ſcilicet vivum, optime depuratum, ac cum oleo Amygdalarum dulcium remixtum, irrito vero pariter cum effectu, unde ægra pariter ac adſtantes, mortem jam fores pulſare, non ſine ratione credebant. Tandem laudatus Dn. D. *Ehrmannus* me, ex improviſo in platea obviam ſibi venientem, ſuper hac, pro deplorata jam habita, ægrota conſuluit, cui ſta-

ſtatim meum, in tali ſtatu jam aliquoties probatum, ſuaſi remedium, nimirum Clyſma illud ſiccum, e fumo Nicotianæ paratum, cujus mentionem jam feci in *Actorum noſtrorum phyſico-medicor. Volum. V. obſervat. 46. pag. 174.* cujus uſu & adplicatione quoque dira hæc iliaca conſtipatio feliciſſime reſerata, ægrotaque ab omnibus fere jam derelicta, priſtinæ inſperatæque integritati reſtituta fuit.

Argentorato Erfordiam miſſa
d. 13. Jul. 1740.)

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. D. PAUL. GERAR. HENR. MOEHRINGII.

De

Cotula, foliis lanceolato-linearibus pinnatifidis amplexicaulibus.

Quum æſtate noviſſime elapſa iter *Embdam*, Friſiæ orientalis metropolin, facerem, uno alterove ab urbe dicta lapide, prope pagos *Bankſtede*, *Ochtelbuhr* & *Riepe*, latis ceſpitibus vias & paſcua arenoſa ſubhumida, ubi hieme aquæ dulces, marina permiſtæ, ſtagnarunt, obtegebat flavo colore plantula, quæ examinata certo adparuit COTULA *foliis lanceolato-linearibus amplexicaulibus inferne dentatis*, LINNÆI *Hort. Cliff. p. 417.* ROYEN *Flor. Leyd. Prodr. p. 173.* teſtibus Africanis in vaporario plantis, quarum ſemina humaniſſimus Lugdunenſium in Belgio Botanicus, Celeb. ADRIAN. van ROYEN, communicaverat, & ſubſequente deſcriptione ſpecifica, invicem nudo ac armato oculo collatis.

Hunc in Europa ſeptentrionali adeo læte creſcere, nullum meminiſſe Botanicum recordor; hinc fere in id ſenten-

tentiæ delapſus eſſem, ut credidiſſem, latere ſub eadem ſpecie *Matricariam maritimam* BAUH. *Pin. p. 134.* demto tantum corollarum radio, niſi amiciſſimus nuper ALB. HALLERUS, novæ Georgiæ Auguſtæ decus inſigne, ſuavi, ut ſolet, calamo me docuiſſet, ſe ex C. *Bauhinianis* poſſidere ſiccam illam *Matricariam*, a mea deſcriptione, ipſi transmiſſa, diverſam & genere & ſpecie.

Sufficiat ergo paucis tradenda plantulæ amœnæ deſcriptio, quæ in floſculis fœmineis quædam habebit ab optimo meo LINNÆO non enarrata, & claro oſtendet exemplo, quam ſuperflue regionum & loci natalis mentio fiat in nominibus ſpecificis. Conf. LINNÆI *Critic. botan.* §. *264. p. 165. ſqq.* Diſceptandum namque adhuc foret, an Cotulam noſtram Europæam, aut Friſicam, an vero Africanam adpellaremus.

En eam:

Planta palmaris, annua, integris plerumque ceſpitibus coadunata. In vaporario parum altior excreſcit. Odor herbæ, & in primis florum debilis matricariæ, aut chamæmeli.

Radix fibroſa, tenuis, lactea.

Caulis nunc ſimplex, nunc uno altervove ramo donatus, glaber, teres, nunc herbaceus, nunc ruffeſcens, modoque erectus, modo declinatus.

Folia 3. 4. 5. (in vaporario 6. 7. 8.) in caule primario laxo alternoque ſitu, lanceolato-linearia, pinnatifida, ſubacuta, glabra, ſucculenta, amplexicaulia (ſupremum in caule interdum ſemiamplexicaule obſervatur,) inferne nunc dentata, nunc integra. *Caulinum ſummum* ſæpe lineare, integerrimum exiſtit.

Flores ſolitarii, non radiati, in rami cujuslibet ſummitate, modo nutantes, modoque erecti.

Calix communis convexus, imbricatus, divisus in viginti circiter partes lanceolatas, obtusas, quarum quinque exteriores, & interioribus fere majores.

COROLL. *Composita*, ut LINNÆUS *gen.* 657. *Fæminæ* in ambitu 18. ad 22. *Propria Hermaphroditis* tubulosa, tubo erecto, in summo ampliato, gibboso; basi parum arctata & insidens germini, altitudine calicis; *limbo* quadrifido, triangulari, acuto, æquali, initio connivente, post reclinato, plano, luteo. *Fæminis* ampullata, oblongo-ovata, compressa, albide herbaceo colore distincta, *pedunculo* proprio filiformi, germen longitudine & altitudine adæquante, insidentia, a calicinis obtecta squamis, extus convexo-incurva, sulcata: intus in medio longitudinaliter elevata: *limbo* bifido, opposito, minimo, erecto, subalato fere, luteo.

STAMINA *Filamenta hermaphroditorum* una cum *antheris*, longitudine tubi, subtilissima; cætera, ut LINNÆUS l. c.

PISTILL. *Hermaphroditis*. *Germen* ovatum, levissime tetragonum, utrinque detruncatum, ad latus utrumque angulatum, longitudine corollulæ, infra eandem. *Stilus* parum corollula longior, vel ei æqualis, filiformis. *Stigmata* duo, plano-compressa, utrinque recurva, corollula parum longiora.

Fæminis, ut LINNÆUS *l. c. Germen cylindraceum*, oblongum, utrimque obtusum, pellucidum, magnum, intra corollulam. *Stilus* parum corollula brevior. *Stigmata*, ut in hermaphroditis, ast paulo tenuiora.

PERICARPIUM *commune* nullum. *Calix* immutatus, introrsum inflexus, persistens.

Proprium Hermaphroditis nullum.

Fæminis corollula marcescens, persistens.

SEMI-

SEMINA *Hermaphroditis* solitaria, ovato - trigona, utrimque detruncata, angulo interiore parumper absolet.

Fœminis solitaria, ejusdem fere magnitudinis, ovata, basi obtusa, apice subacuto.

Observ. 1. Examen lente *Muschenbrœckiana* tertia aliquoties institutum; comparatis floribus Africanis e vaporario cum iis, quas dicto loco inventas, effossasque domum recentes reportaveram.

2. Vetus planta Europæa, a nullo, quantum memini, observata descriptave, obscura permansit; donec tandem ex Africano bonæ Spei promontorio adlata, nostrosque in hortos invecta, magnaque cum solertia exculta, nova planta describeretur ab indefesso quondam JAC. BREYNIO, &c.

3. Floret tota æstate & autumno, adeoque florifera & seminifera ab initio Julii deprehenditur.

4. Non immutassem *Linnæanum* ante memoratum nomen plantæ nostræ specificum, nisi amicus ille integerrimus foliorum inferne semper dentatorum mentionem fecisset, quod non perpetuo obtinere supra docui. Hinc ne tiro, aut novus herbæ spectator erret, specificam ac perpetuam differentiam in nomine meo, tituli loco posito, retinui.

OBSERVATIO LXXXV.

Dn.D. PAULI GERAR. HENR. MOEHRINGII,

De

Valerianis cornucopioidibus vulgo dictis.

α. Valerianella cornucopioides Mauritanica, flore purpureo longiore. *Walth. Hort.* 2. 169. conf. *Barrel. icon.*

β. Valeriana foliis ovatis sessilibus, floribus diandris rin-

gentibus. *Linn. Hort. Cliff. 15. Virid. Cliff. 4. Royen. Flor. Leyd. Prodr. 235.*

Utraque planta annua, altitudine, foliis, caule, ramis, pedunculis ſquamatis, &c. ſibi ſimilis; in his præcipue differens:

COROLL. α. *Tubus* longiſſimus, cylindraceus, tertiam partem longior tubo floris β; quater vel quinquies ſquamas calicinas exſuperans.

β. *Tubus* longus conico-cylindroides, tertiam partem brevior tubo floris α; ſquamis calicinis longitudine æqualis, aut raro iisdem duplo longior.

α. *Labium inferius* ſuperiori duplo longius, inæquale, lacinia infima longiore, lateralibus aliis deorſum deflexis. *Labium ſuperius* ſubtiliter ciliatum.

β. *Labium inferius* ſuperiori æqualis longitudinis, vix longius, lacinia infima itidem longiore, aliis lateralibus negligenter declinatis. *Labium ſuperius* margine glabro gaudet.

PISTILL. α. *Stilus* trifidus, ſtaminibus longior tandem evadit.

β. *Stilus* trifidus, ſtaminibus brevior, tandem æqualis.

Differentia a proportione deſumta, innuit diverſas ſpecies. Ergo vocabitur:

α. VALERIANA foliis ovatis ſeſſilibus, floribus diandris ringentibus: tubo ſquamas calicinas multoties exſuperante.

β. VALERIANA foliis ovatis ſeſſilibus, floribus diandris ringentibus; tubo ſquamas calicinas parum exſuperante.

Utra-

Utraque floret Julio & Augusto, semen perficit Augusto & Septembri.

(Jevera Frisiorum Erfordiam missæ d. 13. Jul. 1740.)

OBSERVATIO LXXXVI.

Dn. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN.

Dens Apri miræ formæ & magnitudinis.

Ad Serenissimum Landgravium Hassiacum, Principem gratioso humanitatis adfectu nulli secundum, Rotenburgum haud ita pridem vocatus, vir nobili genere natus, inter alios me in consilium adhibuit. Venatores apris insidiantes magnum occiderant, cujus solum caput 39. ℔. civil. æquabat. Ille, quem innui, quique primo loco venatui ibi loci præerat, dum sermo esset de apri dicti magnitudine, protulit dentem alius cujusdam apri, per quindecim, & quod excurrit, annos, studiose adservatum, miræ formæ & magnitudinis. Prioris illius bestiæ maximus dens, quantumvis trium annorum illa fuerit, (**ein dreyjähriger Keiler**) huic magnitudinis ratione habita, non erat æquiparandus. Formam miram, ab omnibus & bene multis, aprinis dentibus a me visis prorsus differentem, cum genuina magnitudine, rudi penicillo adumbravi, chartæ dente imposito, quam hic saltem dimidiatam, ob spatii defectum, *Tab. IV. Fig. 2.* sisto. Dens inferiori maxillæ insertus, structura incurva superiori parte, ipsam maxillam superiorem ita attigit, ut quoties aper maxillas clauderet, toties comedens cutem feriret, & ita secum quasi perpetuum bellum gereret, quod tum jucundo spectaculo visum fuit.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVII.

Dn. D. RÜDIGERI FRIDER. OVELGÜN. Candela cerea, veſicalis Iſchuriæ remedium.

Vir primarius, a teneris militiæ deditus, corripitur Luxenburgi adfectibus pulmonalibus. Medicus loci ſatis exercitatus, qui & huic & alii militari viro, morbo pulmonali non minus adfecto, a conſiliis medicis erat, & huic & illi loci mutationem imperat, adjiciens, niſi huic monito morem gererent, prognoſi facta, intra breve tempus vitam cum morte commutaturos eſſe. Alter ex illis ſe huc ad me deferri curat, quod, ceu dein adveniens adſeverabat, certior factus eſſet, me cuidam fuiſſe auxilio, qui cum ſumma hæmoptyſi, varias particulas pulmonales, quarum una alteraque aquæ impoſita, ex more, nataſſet, rejeciſſet id quod ita ſe habebat. Alter ſe committit curæ Medici, ut ipſe volebat, nominatiſſimi, mihi ignoti, civitatis abhinc longiſſime ſitæ. Dum omnia ex voto heic loci ſuccedunt, per litteras, meus ille accipit, hunc ex Phthiſi diem obiiſſe ſupremum. Ego ægrum meum bono animo eſſe jubeo, triſti hoc nuntio turbatum. Dum interea temporis ſemel atque iterum quæro, cur illos tam ſerio ablegaverit Medicus Luxenburgicus; ille mihi ſemper reſponſi loco dedit, aërem ibi eſſe nimis ſubtilem, & hinc Medicos illius loci, experientia edoctos, conſtanter adſeverare, neminem morbo pulmonali, inprimis phthiſico, correptum, ibi loci curari poſſe. An illa aëris vel ſubtilitas, vel alia ſingularis diſpoſitio, loco in editis ſito, vel exhalationibus pulmonibus forte nocivis, vel aliis cauſis ſit adſcribenda, meum non eſt diſquirere. Certe fumum lithanthracum

cum, tetro sulphureo odore hypocausta hominum infimæ plebis, ob fornacum conditionem, ut omnes plateas tempore frigido, in civitate patria Hattinga, inficientem, & inspiratum esse in causa, quod pulmoniaci morbi, ut ibi sunt frequentiores, ita ad Phthisin dispositi, vel ea correpti, rarius & difficilius, vel prorsus non, curationem admittant, adserere nullus dubito, & rationis & experientiæ filo ductus, dum ibi praxi vacarem. Sed redeo unde digressus sum: Dum meus ille, ceu innui, per multarum septimanarum spatium, sic satis bene se habet, quum

- - vix clarum mane fenestras
intrat, & angustas diducit lumine rimas

me convenit, tremens, & sudore fere diffluens. Quid causæ & morbi esset, quærenti mihi, se vesperi præcedente plus solito bibisse, nihil urinæ autem excrevisse, nec vel guttulam excernere posse, respondet, vesica valde distenta. Quæro ulterius, an hoc malo? an calculo ante laboraverit? ille negat. Præscribo diuretica, vesicæ adplicari jubeo cataplasmata, & nihil non molior, at prorsus incassum, siquidem nec guttula urinæ prodibat. Nullum remediorum effectum videns, quod ille se propediem moriturum, cætera sanum, doleret, nisi sero urinoso exitus pateat, catheteris usum proposui. Ille se nec posse, nec velle in usum trahere remedium, quod visu, & auribus ipse perceperit, in viris se ipso longe robustioribus, dolorosissimum esse, constanter adfirmat. Ego vero nihilo minus, quod Chirurgorum nemo heic loci cathetere instructus esset, celeri equo nuntium iter aliorsum ingredi jubeo, ubi degit Chirurgus, hujus operationis satis delicatæ gnarus. Cum vero dictus ille nuntius vix se dedisset in viam, æger se non visurum Chirurgum, quod imminere mortem sentiat, edicit. Hinc succedaneum catheteris menti succurrit, candela nempe cerea. Hac a Chirurgo stanti, me non præsente,

te, adplicata, una tantum alterave urinæ guttula prodit. Rediens, ac videns, tremorem artuum, ad convulsiones fere auctum, & totum corpus sudoris imbre velut inundatum, ultima veritus, capiti pulvinaria subtrahi curo, & magnam illorum copiam, natibus ita supponi, ut iis valde elevatis, & capite, quantum fieri poterat, declinato, æger decumberet. Tum uxori demonstro, quod cum catheter virili sexui inserviens, sit instrumentum, altera parte recurvum, candelam ceream lente quidem adplicandam, non autem desistendum esse, si forte quid in via impedimento esse videretur, ut factum memini, sed lenta ratione continuandum, sic fore, ut cera in itinere incurvata debitum in locum penetret. Hoc cum factum fuisset, retracta cerea candela, magna copia magnoque impetu prorupit latex urinosus, tanto cum ægri gaudio, ut se alium diceret hominem, & vel in cœlum delatum crederet. Eundem, quem dixi, situm, per aliquot dies servandum commendavi, eandemque operationem, si forsitan sibi necessitatem impositam videret, repetendam id quod etiam illi proficuum fuit. Primis namque diebus, stanti urina non abiit, illico tamen, dicta ratione denuo decumbenti, sine ulla adplicatione candelæ cereæ. Data sunt dein vulgaria tantum, infusum nempe theeforme, ex Rad. Alth. Liquir. Herb. Veronic. Malv. Flor. Chamomill. aliisque cum Lap. Cancr. sub quorum usu urina nihil, quam pituitosa multa, oculis obtulit. Paucis diebus dehinc elapsis, & stante & decumbente ægro urina excernebatur sine ullo impedimento. Interfuit ex eo tempore per biennium expeditioni Hungaricæ, quæ tantum hominum, etiam robustorum, numerum letho dedit, illo, ceu nuperrime ad me delatum est, se optime habente, ita ut nec pectoris, nec urinæ malum, unquam per id tempus passus sit. Ex his interim videre est, quantum rei momentum attulerit decubitus. Chirurgus namque, qui stanti catheterem cereum

ad-

adplicaverat, id non ex voto, ceu dictum, peregit. Uſus is erat præterea candela cerea tenuiori quidem, at vulgari ibique venali, quæ in ætate ſeniore, ubi ductus urethræ anguſtior fieri adſuevit, craſſior erat, quam ut commode adplicari potuiſſet. Hinc commendavi & ſubſtitui multum tenuiorem, heic loci vix habendam. Ceterum meminiſſe juvat, quondam catheterem argenteum, ex more, a rei perito, at multo cum clamore ægri & incaſſum adplicatum fuiſſe. Sectio anatomica adminiſtrata edocuit, in cauſa fuiſſe veſiculas ſeminales & proſtatas ulceratas ac tumefactas; viis proinde ita anguſtatis catheter per veſicæ collum penetrare non potit. In tali cauſa, vel caſu inflammatorio, nollem candelam ceream, minus quantumvis dolentem ſi quis catheterem artificalem ſpectet, fortiori manu, ſed ex arte alia adhiberi.

(Fritzlaria Erfordiam miſſa d. 20. Jul. 1740.)

OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. D. GOTTLIEB. HENR. KANNEGIESSERI.

Concrementum carnoſum, uteri orificium externum claudens, menſtruique ſanguinis tranſitum & matrimonialem congreſſum impediens.

Puella viri honeſti J. K. cauponis, in vico Dæniſchhagen, Kilia noſtra duo circiter milliaria diſtante, mox a primis pubertatis unguiculis, de graviſſima anxietate præcordiali, crurum ac artuum dolore conqueritur tenſivo, cui demum dorſi ac infimi ventris adſociantur cruciatus.

Optimi parentes de filiolæ folliciti falute imminensque arguentes lunare debitum, crocata, myrrhata, & nescio quæ alia hujus commatis largiter, ftudio tamen porrigunt inani. Ad ætatem dein accedente paulo provectiorem, cum adpetitus deperditione, pulfu debili ac notabili virium lapfu, omnia fymptomata ingravefcunt magis atque fæviunt vehementius, corporisque totius habitus in pallorem & livorem mutatus. In hypogaftrio tumor, pugni fuperans magnitudinem ac interdum evanefcens pariter, cum fenfu ponderis huc vel illuc fe fe provolventis, percipitur. Parentes hujus rei pertæfi curisque vehementer acti, medicam petunt opem. Symptomata urgentia unanimi fere Medicorum confenfu præternaturali adfcribuntur menfium emanfioni. Hac igitur ducti fententia, ut emmenagogorum multitudine malum abigerent vires huc vertunt omnes, vano tamen conamine, & nihil nifi propriam caufæ adducunt ignorantiam. Medicis itaque ac medicaftris fruftra plane & in caffum laborantibus res unice, eventu haud infelici, committitur fato: mox enim a medicamentorum abftinens farragine, non parum perfentifcit levaminis, ac tormentorum absque ferocia jam multos tranfegit annos, fuperftite tamen manente tumore illo in regione hypogaftrica, fenfum ponderis comitem habente. Annum cum jam attigerit vigefimum quartum, parentes, filiæ fanitatem thalami fœdere optime recuperandam opinantes, tori deligere conftituunt focium. Adinvenerunt, quod defideravere, hominem videlicet, qui filiam thalami fumeret confortem; aft eheu! filiæ ineptitudinem ad focialia lecti jura fimul ac latentem hactenus menfium emanfionis rationem, ipfi fponfo reclufam, non fine animi intelligunt mœrore. Meum petitur confilium, &, quid factu opus fit, quæritur. Obicem nimirum, ut paucis me expediam, uteri orificio externo moles pofuerat carnea, fex-

ſextantem fere craſſitie adæquans, & non niſi lotium guttatim transmittens. Me igitur ſuaſore ac duce manualis admittitur operatio, nec poſſum quin laudibus hic extollam dexteritatem *J. Mülleri*, viri in operationibus chirurgicis omnino expertiſſimi. Medio namque diſciſſo hoc corpore carnoſo, ſimul pariter plus libr. IV. ſanguinis promanabat craſſi, ac ægre olentis. Chirurgus vulnus rite curavit, & adflictæ, cunctis mox evaneſcentibus ſymptomatibus, ac menſibus omni lunari tempore debite fluentibus, jam in præſenti integra conſtat valetudo. Malum ſine dubio fuit nativum; optimi enim parentes rimam magnam, ac labia videntes bene conformata, monſtri hoc ſubeſſe minime fuerunt rati. Proinde ætate provectiori ſanguis menſtruus, per haud exiguum temporis ſpatium circa uterum congeſtus, tumorem in hypogaſtrio & pariter ſenſum excitavit ponderis quaquaverſum labentis.

Tanti intereſt, quæſtiones circa uteri & menſium incommoda inſtitui. Equidem mulierculæ rubore ſubruſtico ſuffuſæ, propriamque mollitiem pudori ſibi ducentes, minime volunt interrogari, ſed vel celant, vel alium potius fingunt morbum: ita & ipſi Medici, ſciſcitari, quid patiantur, grave ſæpius opinantur crimen. Pendet tamen ab interrogatione Medici, & ipſius morbi & partis adfectæ ſalutaris cognitio: immo adfectiones dantur multæ, quæ non niſi prolixioribus quæſtionibus poſſunt inveſtigari, nec viarum ambage decipimur, ubi & hanc noſtram talium comprehendimus numero. Puella enim ipſa confitens, hujus rei penitus fuit ignara, & quatenus Medici haud percontati illam, morbi indolem, immo cauſſam latentem, minime potuit eam detegere.

OBSERVATIO LXXXIX.

Dn. D. GOTTLIEB. HENR. KANNEGIESSERI.

Tumor abdominis insignis, copiosa hydatidum exclusione ex Utero curatus.

Firmis argumentis quam valeat dexterrimi istius quondam Lipsiensium Medici, Dn. D. NABOTH, de Ovario duplici opinio, modo illos inter constat, qui non præjudiciis obcæcari, sed ad veritatis amussim singula adamant perquirere. Laudatus auctor in Dissert. de *Sterilitate*, de novo ovario publice jactitans, dotesque ostentans suas, eruditos inter quantas pariter excitaverit rixas, neminem fore, quem fugiat, certe confiteor. Et quamquam sententiæ ejus suffragari quidam videntur, conf. ETTNüLLERI *Epist. probl. de novo ovario 1715.* ad Dn. RUYSCHIUM data, item HENRICI Dissert. de *Vesiculis seminalibus*; tamen non pauci dantur, qui huic dirimendæ liti haud vano insudavere conamine. Hoc alios inter contra KERKRINGIUM inficiatus ELSHOLTZ, & celeberrimus Dn. LISCHWIZIUS, decus certe Academiæ nostræ Kiloniensis, in Dissert. de *ortu & propogatione hominis*, contra Nabothum insurrexit, atque ex re ipsa argumenta ejus solida refellit. Corpora sic ita Nabothi, tantorum juxta virorum placitum, non vera ova, sed hydatides, id est, vesiculæ aquosæ sunt, genuinorum Ovulorum species mentientes, hydropicis familiares, in hepate, ovario, utero aliisque visceribus reperiundæ. Ejusmodi vesiculæ, quæ procul dubio circumvenere NABOTHUM, utero observantur adnatæ a BLEGNY *Zod. Gall. 1682.* item a PECHLINO *Lib. I. obs. 19.* Placentæ uterinæ in hydatides degenerationem notat RUYSCHIUS *observ. 33.* Reliquorum infimi ventris viscerum hydatides, itemque hyda-

hydatidum ortum & ſpecies vid. in Act. Erudit. Lipſ. 1708. M. Jul. p. 311. 312. ann. 1725. M. Jul. p. 269. Sic etiam in *Annalibus med. phyſ. Wratislau. Tentam. XXIX. 212.* partus deſcribitur hydaticus, cui & alium ſubjungo hic Kiliæ in vetula nuperrime deprehenſum, qui in ſequentibus conſiſtit: Vetula quædam ſeptuaginta circiter annorum, in Xenodochio noſtro ſancti Georgii degens, multosque per annos ventrem gerens tumidum atque hydropis metu perculſa, jam varia fruſtra Medicorum petivit conſilia, quos inter neſcio quæ hydragoga eidem haud ita pridem porrexerat Dn. D. *Franck*, Utinenſis Archiater Ducalis longe meritiſſimus, unde non absque eximio ægrotantis levamine, hydatidum emittitur partus. Septimanas perdurabat excretio variæ magnitudinis veſicularum, *Tab. V. fig. 1. 2. 3.* delineatarum, excretio; atque plus centum depoſitis talibus corporibus hydaticis formam ovorum inanium, (quæ vulgo Wind-Eyer dicuntur,) exacte referentibus, omnis evanuit tumor, & adflicta, ſtudio atque conſilio laudati Medici, priſtinæ reſtituta eſt ſanitati. Non reconvaluit modo, ſed per triennium quoque, vix recrudeſcente priſtino malo, vitam protraxit ſuam. Doleo vero, immo doleo graviter, quod poſt obitum ejus cadaveris recuſaverint ſectionem. Uteri enim explorata conditio, hydatidum hiſtoriæ haud parum adfundere potuiſſet lucis.

Explicatio Figurarum.

Tab. V. Fig. 1. Hydatides ſiſtit majores.

Fig. 2. — — — minores.

Fig. 3. — — — mediæ formæ.

*a. a. a. a. &c. Membranularum repræſentat particulas.

OBSERVATIO XC.

Dn. D. GOTTLIEB. HENR. KANNEGIESSERI.

Angina ex levi processuum cartilaginis scutiformis dimotione oborta, repositione digitis facta feliciter curata.

Si quæ dantur corporis adfectiones, tactu, id est sola manus adprehensione sanandæ, illas inter Anginam quoque referendam esse, exemplum quoddam suadet fallere nescium. Vir quadragenarius, vegetus atque de reliquo medicis non egens herbis, per triennium gravi faucium inflammatione cum partium vicinarum tumore infestatur frequenter. Optima etiamsi semper adhibita fuerint remedia, nequaquam tamen prohiberi potuit, quo minus sese adsociaverit inflammatoria febris, mortis aliquo modo comminans inclementiam. Adflictus varia non ita pridem hæmorhoidum perpessus erat molimina; hinc Medicus talia in ipsis faucium confiniis arguens, pro hæmorrhoidum reseratione instituit medelam. Plurima tamen frustra tentantur, atque morbi sævities medicando non potest demulceri. Adflictus demum præter opinionem pristinæ restitutus sanitati, & biennium jam sospes atque ab aliis morbonæ injuriis immunis degens, malum se plus vice simplici sola manus adprehensione profligasse declarat. Ruborem atque faucium dolorem persentiscens, intolerantia magis quam consilio, digitis quaquaversum dimovisse laryngis caput, atque ita mox subsequente aliquali strepitus perceptione, omnem penitus abactam fuisse faucium obsessionem, mihi in hujus rei conditionem intimius paululum inquirenti retulit valde exhilaratus. Hicce noster ægrotus jam ad hunc usque diem tali sæpius tentatus morbo; nimium tamen

men hac ſua autocratia confiſus, vix unquam medicam admittit opem. Sic morbi hac medela in aliis, a me ipſo aliquoties pertentata feliciter, non illum ſolum non longe a vero abeſſe reperi, ſed relatu quoque non omnino indignam judicavi. Multum tamen erraret devius, qui medendi hanc methodum univerſalem cenſere, & ad illam in aginodeis adfectibus, a ſero præcipue, vel ſanguine reſtagnante originem trahentibus, velit ſumere perfugium, procul enim dubio, quod ad præſentem & alios attinet adflictos, in quibus tale hactenus cepimus experimentum a citata & inæquali cervicis in ſua terga retorſione, ac hinc inde facta levi proceſſuum ſcutiformis cartilaginis dimotione, gutturis tumorem & doloris ſenſum habens comitem, ſuborta eſt inflammatio, palam hoc oſtendente ſtrepitus perceptione poſt repoſitionem digitis factam ſimul ac mox omnia cum evanuerint ſymptomata.

(*Kilonio Holſatorum Erfordiam miſſa d. 10. Aug. 1740.*)

OBSERVATIO XCI.

Dn. D. JOAN. HARTMANNI DEGNERI.

De

Hydrophobia, ex morſu canis irati, non rabidi nata, lethali.

HYdrophobia, morſum canis, felis, lupi, hominis, &c. rabidi vulgo inſequens, ſicuti acutiſſimus, atrociſſimus, & tam quoad cauſas, quam effectus phyſicos, abſtruſiſſimus inter Medicos habetur morbus; ita etiam per Dei clementium ſane rariſſimus, in comparatione cæterorum, obſervatur adfectus. Licet enim haud plane infrequenter inter homines inveniantur ab animalibus rabidis

demorsi, multi tamen in integrum restituuntur, nulla relicta noxa. Si vero eorum, qui ab animali rabido hydrophobi facti sunt, rariora occurrunt exempla, omnium sane sunt rarissima eorum, qui a bestia non rabida malum hoc lethale contraxerunt, quale in viro nostræ civitatis contigisse, relatio sequens docebit.

Anno nimirum 1737. duodevigesimo Junii circa vesperam ad me accedit sutor quidam cui res angusta domi erat, nomine *Jacobus Otten*, cum glore sua ipsum comitante. Homo hic natus erat annos circiter 40. temperamenti cholerico-melancholici, habitus corporis sicci, robusti. Is querebatur, se hoc ipso mane, cum in foro piscatorio esset emendorum piscium causa inopinato correptum fuisse adfectu quodam insolito, sibique ignoto, nimirum se, cum optime valere sibi videretur, subito correptum esse horrore corporis quasi febrili, ex quo totus contremuerit, hinc se cauponam proximam intrasse, cerevisiæ poculum potandi gratia, quo hanc depelleret molestiam; cum vero vitrum ori admovere vellet, ita attonitum se fuisse, ut manus trementes & fere convulsas non auderet propius admovere, sibique visum esse, ac si quis vitrum retineret, aut potius vi a se removeret. Exinde etiamnum se tanta potulentorum, ut & esculentorum hauriendorum impotentia laborare, ut præ nausea nihil quidquam deglutire possit, quantocunque etiam conatu id facere niteretur. Cæterum se sibi satis sanum videri, nec ullum aliud malum sentire atque id solum optare, ut aliquid potus aut cibi adsumere valeret. Phænomenon hoc singulare ipse ego miratus, statim tamen anguem sub herba, ut loquuntur, latere suspicatus sum; ne tamen ægro terrorem inciterem, per multas ambages & quæstiones remotiores in rei causam inquisivi. Cum vero se sibi nullius causæ conscium esse constanter adseveraret, tandem interrogavi, num nam fortasse cum homi-

homine quodam pugnasset, aut a bestia quadam, e. g. bove, fele, cane, vulneratus esset? Ad quæ cum primum iterum negative responderet, glos ejus adstans alta voce exclamabat: Hac tua, Domine, quæstione corpus meum gelida perfunditur aqua, sororius enim meus utique elapsis aliquot hebdomadibus a cane suo demorsus est. Hoc dicto æger respondit: Hoc quidem verum esse, sed id jam pridem factum, seque nihil mali inde passum esse, vulneribus, quæ monstrabat, rite clausis. Historiam itaque facti, me jubente, sequenti modo exposuit: Magni semper cum fecerit canes & gallinas, accidisse, ut ante sex hebdomadas, septimo nimirum Maji, canis suus morsu necaret gallinam, sibi inprimis in delitiis habitam, eaque propter ipse ea de re vehementer iratus, canem manu prehensum fustibus atrociter & ad necem fere usque percuteret. Tum vero canem, quem jam pro mortuo habuerit, inopinato brachium sibi dextrum dentibus adprehendisse, eique, fortissime contracto ore, adeo tenaciter adhæsisse, ut vix avelli potuerit. Hoc morsu tria sibi inflicta fuisse vulnera, in ea regione, ubi pulsus explorari solet, sed illa impositis extemplo pilis e cane avulsis, ad sistendam gravem, quam passus esset, hæmorrhagiam, obturata, deinde spiritu frumenti elota adfini suo, hujus civitatis carnifici, tractanda commisisse, qui & intra breve temporis spatium illa consolidaverit, recte clausis adhucdum plagis, seque nihil sinistri inde experto & cane etiamnum bene valente.

His auditis de mali natura nullus amplius dubitans statim venæsectionem largam in brachio vulnerato administrandam præcipio, partim ut orgasmus sanguinis quadantenus reprimi, aut faucium constrictio, si adsit, nonnihil relaxari posset, partim etiam, ut satisfieret opinioni vulgi, omissioni illius plerumque mortis causam tribuentis. Dein potionem ex Scarabæis, melle conditis, hauriendam præ-

 scripsi.

ſcripſi. At patiens domum reverſus, atque impoſſibilitatem ut hoc vocabulo utar, quidquam deglutiendi magis magisque ſentiens, certo ſibi pereundum eſſe jam ſtatuit, & quædam de liberorum ſuorum cura ordinavit.

Inſequenti mane cum ægrum viſerem, malum valde exacerbatum vidi, de magnis enim nunc anguſtiis præcordiorum conquerebatur; vultus erat torvus, anxius, pulſus durus, celer, non tamen eo gradu, quo in febribus acutis, ardentibus, eſſe ſolet: lingua & fauces aridæ, ſiccæ, adparebant, nihil tamen tumidi, inflammati, anginoſi in iis conſpiciendum erat. Urina rubra, craſſa, lixivii inſtar. Liquida, quæ pridie adhuc adſpicere poterat, averſatione nunc extrema horrebat, adeo, ut ex ſolo eorum adſpectu inhorreſceret, contremiſceret, & miris geſtibus clamitaret, ſe illa præ ſummo animi dolore ne quidem adſpicere, multo minus adſumere valere. Cæterum nullus in ægro furor, mens utcunque ſana videbatur, miſeramque ſuam conditionem ipſe æger lacrymis deplorabat, nemini quidquam mali inferens. In triſti hoc ſtatu & deficiente jam ſpe quidquam remediorum ſub quacunque forma propinandi, ad externa, vel ſi mavis, ad extrema confugiendum erat. Hinc ægrum ligatum aqua frigida perfundendum curavi, id quod tamen horribili cum clamore & ſummis precibus declinare ſtuduit, adfirmans, malle ſe mori, nullum enim ſuppliciorum genus atrocius ſibi videri, mihique ſpeciatim, vitrum aquæ in faciem ejus effundenti, regeſſit: O vellem potius, Domine, gladio tuo cor meum perforares, quam tantopere me miſerum torqueri patereris, decem enim gladii, per intima viſcera adacti, tantos mihi dolores & cruciatus creare non poſſunt, ac ſolus hujus aquæ ſenſus & adſpectus. Hinc ab adſtantibus enixe petiit, ut modo quis ipſius miſertus, eum occidere velit, gratias ſe

illi

illi relaturum esse, qui hac miseria eum liberaturus esset, seque nihil magis, quam mortem citissimam expetere.

In hac calamitate, quæ sane homini durissimo lacrymas exprimere potuisset, nisi consilium servandi ægrum prævaluisset, accidit phænomenon sane maxime mirandum & memorabile; nimirum vulnera a cane inflicta, & jam diu plenarie consolidata, obducta scilicet cicatrice, nulloque inflammationis, doloris, aut molestiæ signo relicto, sicuti hoc in aliis casibus morbum præcessisse scriptores observarunt, jam sua sponte recruduerunt, multumque sanguinis fuderunt, adeo, ut arcessito Chirurgo ad sistendam hæmorrhagiam, deligari debuerint.

Morbo singulis momentis porro invalescente, ægrum jam ligatum, sub vesperam ad flumen duci, & in illud projici suasi. Sub primum aquæ adspectum anxie se torsit, ulteriusque progredi recusavit, ut manibus portari debuerit, flumini vero adpropinquans sponte intravit, sperans se suffocatum iri. Egressus deinde e flumine aquam sine ullo incommodo hausit, paulo vero post, oblata iterum aqua, illam respuit, post habitis persuasionibus quibuscunque. Domum reverso ut ad adsumendam potionem pridie præscriptam disponeretur, omnibus adlaboravimus viribus, sed frustra, semper enim summam animi aversationem & dolorem prætexebat: Tandem ipse proponit, se, si ipsi dare vellem pharmacum, quo citius interiret, ultima esse connisurum, quo ingereret, modo finis imponeretur miseriæ ipsius. Annui quidem dicto, sed joco, statimque potionem e Scarabæis factam, de qua nihil adhuc adsumserat, tradidi, quam etiam sub anxiis totius corporis tremoribus quasi convulsivus avide hauriens, pronus in lectum prolapsus est, ac mirum in modum se volutavit. Tandem ad se rediens, DEO gratias egit, quod nunc, ut opinabatur, brevi moriturus esset. Interea per totam noctem miserrime angebatur,

tur, vinculisque clam solutis, custodibus suis se subducere tentabat, duosque milites desultorios (*Dragoner*) jussu Magistratus illum custodientes, in terram conjectos vicisset, nisi his alii auxilio adcurrissent, impedivissentque, ne aufugeret, aut sibi ipse forsan manus inferret. Tandem miserando hoc statu eadem adhuc nocte, seu potius horis matutinis vigesimo Junii placide & cum adstantibus ratiocinans, morbo hoc extinctus est, altero ab invasione mali die nondum plane elapso.

Hoc facto vestes, lectus, omniaque utensilia, quae saliva ægri conspurcata esse suspicabamur, auctoritate Magistratus igne cremata sunt. Insuper etiam canis, tragœdiæ auctor morti traditus a lictoribus occisus est.

Scholion.

Ut morbum hunc ejusque indolem paulo accuratius cognoscemus, placet recensitæ huic ejusdem historiæ sequentia elucidationis gratia subnectere. Est nimirum Hydrophobia species quædam Maniæ, seu delirii melancholici, acuti, omnium liquidorum aversationem summam, corporisque humani destructionem promptissimam inferens; estque morbus utplurimum symptomaticus, ex morsu animalis, e. g. canis, felis, lupi rabidi, eique analogo contagio ortus & propagatus. Sunt, qui illam Cynanches speciem esse autumant, sed differunt quam maxime inter se hi adfectus. Nam in Cynanche adest inflammatoria faucium constrictio anginosa, quæ potulentorum deglutitionem impedit, ita, ut eadem vel ad nares regurgitent, vel ægri suffocationis periculo inde exponantur, quare etiam isti ut anginosi & suffocati plerumque moriuntur, nulla tamen adest liquidorum aversatio aut odium. In Hydrophobia autem, quamvis faucium siccitas, vel si mavis, constrictio præsens, adsit, ea tamen non est istius conditionis, ac si

præ

præ metu suffocationis deglutire non possint ægri, sunt enim momenta, ubi sine incommodo, vel potius sine fastidio deglutiunt, ut in nostro vidimus subjecto; sed adest inprimis phantasiæ in opinione circa liquida læsio adeo peculiaris & specifica, ut ad ipsum adspectum, aut nominis etiam mentionem quasi convulsi & epileptici evadant; hæcque animi aversio & nausea gravis, horrifica, dolorifica, tremebunda, convulsiva Hydrophobiæ veræ signum est pathognomonicum, totiusque scenæ maximum malum, eo quod omne artis & remediorum eludit auxilium; hinc & omnes hoc morbo adfecti, nullo excepto, pereunt, non ut anginosi, suffocati, anxii, sed tranquille satis & sine strepitu, manifesto indicio, quod faucium siccitas & constrictio, non ut causa, sed ut effectus morbi, a liquidorum defectu potius, quam ab inflammatione originem ducens, consideranda sit. Alii ad febres acutissimas & ardentissimas hunc referunt morbum; sed & hi minus accurate agunt, cum Hydrophobia sit symptoma specificum morbi specialissimi, febris exquisitæ signa minime præ se ferentis, nulliusque febris curationi cedentis.

Ad causas si respiciamus, sunt, qui hunc adfectum, sine communicatione externa, sponte & idiopathice, ex causis mere domesticis, internis, in homine æque ac in bestiis nasci posse statuunt, cum eædem causæ, quæ in cane, fele, lupo, &c. sine contagio prævio, hunc excitant morbum, etiam in homine existere possint, indeque ad experientiam provocant; cujusmodi exempla leguntur in *Ephemer. Acad. Natur. Curios. Dec. I. Ann. I. obs. 133. Dec. II. Ann. VI. obs. 220. Annal. med. phys. Wratislaviens. Tentam. VII. p. 212.* aliisque. Neque etiam nego, ex variis causis internis in homine oriri posse morbum Hydrophobiæ similem. Si tamen casuum a Scriptoribus relatorum circumstantias essentiales exactius pensitamus, non paucos sæpius defectus, immo

immo errores circa veram mali designationem occurrere, nec semper revera eum ipsum esse morbum, quem titulus indicat, deprehendimus. Sic ipsemet vidi mulierem faucium atonia lethali laborantem, omniumque liquidorum & solidorum adsumtionem respuentem, nulla tamen aderat nausea, sed potius deglutitionis defectus, adfectusque ab Hydrophobia valde diversus. Inprimis vero ex animi excandescentia & vehementi ira morbum hunc specificum nasci, prioris sententiæ fautores putant. Estque revera ira species insaniæ, aut teste SENECA, *furor brevis*, eique in commovendis conturbandisque humoribus magna vis inest, ut non solum multorum & gravissimorum morborum, sed & ipsius mortis causa sæpius existat, consentientibus omnibus Medicis: Vix tamen solam iram, tanta quanta est, licet sæpe nimis vehementem & ad insaniam usque in multis frequentem, verum hunc morbum specificum produxisse, certo constat, sed ira conjuncta debet esse cum circumstantia gravi, seu illam specifice adgravante, nimirum cum morsu & conspurcatione salivæ, corpus ulterius lædente, Ita refertur historia Juvenis, qui post vehementem indignationem proprium sibi momordit digitum, & inde hydrophobus factus est, in *Ephemerid. Nat. Cur. Dec. II. Ann. IX, in Append. p. 249.* Et sane morsus, a quibuscunque animantibus inflicti, etiam simplices ac leviores judicati, non plane vilipendendi sunt, gravia enim inde sæpius sequuta fuisse damna, jam plures adnotarunt Medici, ejusque rei exemplum notabile vid. in *Ephemerid. citat. Dec. III. Ann. IX, obs. 3.* Sic etiam CORN. CELSUS *de re medica lib. V. cap. VI.* omnem feræ morsum virus quoddam habere scribit, ejusque rationem facile sentimus; vix enim animalia, nisi irata, mordere, eo autem ipso corpus læsum irata sua saliva conspurcare solent, adeo ut vulnera ab illis facta, pro gra-

du

du iræ intensioris aut remissioris in illis excitatæ plus minusve periculi pariant.

Si vero morsus animalis irati graves noxas producere potest, eo graviora certe magisque funesta mala insequentur, si animal mordens in actuali constitutum fuerit rabie; saliva enim tunc eo magis corrupta, virulenta, fermentativa & noxia esse debet. Sic notavi casum, ubi a sola conspurcatione externa tibialium per salivam felis rabidæ, in loco infecto inflammatio cum motibus febrilibus orta fuit. vid. *Annales med. phys. Wratislaviens. Tentam. XXIX. pag. 320.* Alii solo osculo illam rabiem propagatam esse observarunt, saliva animalis rabidi sine dubio intus deglutita.

Alii, ut hoc tantum in transitu attingam, esu etiam lactis vaccæ, á morsu animalis rabidi in similem rabiem actæ, hunc illatum esse volunt morbum; sed hoc non perpetuum est. Ipsemet enim memini in pago *Linden*, prope oppidum *Rhenen*, ante aliquot annos vaccam a cane rabido demorsam inscio possessore, rabidam factam, ejusque lac incolis quotidie venditam, haustum, comesumque fuisse, nullo malo insequuto.

In iratis vero, & quam maxime in furiosis, saliva vehementissime agitatur, spumescit, acrimoniam acquirit morbosam, noxiam, ob bilis ebullitionem, & inde contractam qualitatem vitiosam, venenosam. Et quamvis neque catulos, neque vermiculos illis similes, quos alii, e. g. in saliva canis rabidi latitare putant, microscopiis nostris perspicue satis detectos noverimus, vera tamen & per experientiam multiplicem probata res est, quod per morsum & mediante isto per salivam animalis irati, rabidi, in corpus hominis sani communicetur subtile quoddam miasma contagiosum, quo similis animali mordenti, immo pejor, in subjectis læsis producatur morbus; estque illud contagium

mixtioni animali adeo adversum, eique resolutionem putrefactoriam adeo subitaneam inducit, ut aliquot vulneratos intra paucissimas, nimirum 20 - 30. a morsu horas mortuos legamus, id quod in acutissima Peste vix contingit; in aliis vero idem virus ad multos annos in corpore occultatum demum erupisse notatur, vid. *Ephemer. Nat. Cur. Dec. I. Ann. IX. & X. pag. 116. & Dec. II. Ann. VII. obs. 203.* Caeterum Medici vulgo novem, alii quadraginta numerant dies, antequam laesus a cane rubido salvus habendus sit. Et in nostro subjecto quadragesimus tertius a morsu canis non rabidi dies fuit, quo malum erupit, antea vero per totum illud temporis spatium nihil plane molestiae sentiebat, immo ne cogitabat quidem de malo; interea tamen venenum caninum in corpore, immo in loco primum laeso, latuisse, unica illa inprimis probat circumstantia, quod vulnera, quae jam diu rite clausa & consolidata videbantur, secunda Hydrophobiae die, & sub actu adspersionis aquae, sponte recruduerint, manifesto indicio, in iisdem firmam in superficie concretam non fuisse cuticulam. Et in eo quidem hoc venenum aliquid commune habet cum veneno luis venereae, quod in aliis citius, in aliis tardius, se manifestat, immo multos annos in corpore latere potest, antequam vires suas exerat.

Ad aetiologiam ut nunc adcedamus, omniumque supra memoratorum phaenomenorum nexum causalem verum, physicum, ex natura specifica istius miasmatis venenosi & contagiosi, exhibeamus, ordo postulat. Quod vero quam maxime in his morbis nobis adhuc haereat aqua, omnes cordati Medici satis norunt, nec est, quod aliquid apodictice me demonstrare posse putem: Venenorum enim & contagiorum natura & indoles physica in genere, eorumque modus operandi in corpore humano in specie, Medicis in hunc usque diem imperscrutabile extitit mysterium. Sunt qui-

quidem, qui spicula salina tali salivæ inesse putant, quæ ceu totidem stimulorum ad instar membranas vellicando, irritando, inflammationem & gangrænam, sanguinis vero mixtionem & crasin naturalem dissociando, destruendo, morbum illum specificum inducant. Alii illud salivale venenum situm globulorum sanguinis pervertere, & totam massam ad supra dictas turbas disponere, hocque modo novam naturam caninam homini superinducere credunt. Alii difficultates harum rationum summas expendentes, principii rationalis influxum ejusque æstimationem moralem, ac inde formatas sibi ideas, pro causa formali adsumunt, & hinc ad analogiam motuum in animali nocente maxime respiciendum esse putant. Sed & hæc hypothesis suis premitur obscuritatibus, immo latet in illa, secundum meam sententiam, argumentum contradictionis. Idem enim agens uno eodemque actu sibi ipsi contrariatur, dum liquida, ardente siti excitata, exposcit, eodemque momento, & ad solum eorum adspectum, adeo atrociter ab iis abhorret, ut domicilium suum potius deserere, quam quidquam admittere velit. Possunt enim deglutire ægri, si volunt, sed volunt & nolunt uno momento simul. Terrorem & eximiam animi mobilitatem & proclivitatem ad insaniam, in subjectis dispositis etiam incusant, sed æger noster, tamquam homo robustus, intrepidus, nullam omnino de statu suo habuit ideam, & ne quidem de morsu canis sui cogitabat, multo minus periculum aliquod inde sequuturum metuebat, hinc nulla dispositio præsens fuit. Præterea principium vitale nullam omnino potestatem habet in venena, & contagia, omniaque ea, quæ per motum fermentationis, aut putrefactionis, in corpore humano agunt, immo potius, notante Ill. HOFFMANNO certæ & perpetuæ est observationis, corpori communicata venena menti (seu principio vitali) vim inferre, eique sanæ rationis usum eripere,

immo singula eorum peculiarem insaniæ speciem inducere. Idem in contagiis obtinet, quæ singula similem sibi producendi morbum vim habent, reluctante etiam, si vis, quovis modo agente vitali. Habet enim anima, tamquam pars hominis cum corpore intime unita, vi unionis suæ, commercium & contactum immediatum cum corpore, & vice versa; id quod nulla cum ratione negari potest. Ita etiam perdurante hoc contactu omnia agentia corpora, inprimis vero venena & contagia, vim inferunt animæ, seu, si mavis, actibus ejus vitalibus & rationalibus, eosque per virulentiam suam imperscrutabilem, specificam, lædendo, depravando, ad insaniam disponendo, totam œconomiam vitalem destruunt.

Ad curationem tandem quod attinet, nec in hac nos feliciores, quam in pathologia profitemur: Uti enim veneni & contagii hujus indolem veram, physicam, ignoramus; ita nec certam methodum, ex artis principiis physicis desumtam, indicare possumus. Ad sola specifica, experientia iterata probata, confugiendum esse putamus, utpote quæ omnem hic absolvere debent paginam. Quod enim de remediis generalibus, ex. gr. de venæsectione larga, alii fabulantur, quasi illa virus salivale e sanguine ducere vellent, aut quod alii per submersionem ægri in mari, vel aqua fluviatili, terrore subito excitato, motuque nervorum in genere mutato, impressam a cane rabido ideam horrore aquæ suffocare, extinguere, atque a fixa illa idea abducentes aliam inducere, ac ita venenum expellere tentent, hæc minime tuta esse experientia jam dudum edocuit. Dum vero juxta eandem experientiam, singula venena specialia sua habent antidota; ita venenum hoc singulare animalo, rabiosum, nullo remedio certius & securius corrigi, enervari, aut plane extingui posse videtur, quam antidoto quodam ex animali regno petito; cujus rei exempla jam alia ani-

animalia venenata nobis præbent. Sic a Scorpione icto pulcherrimum medicamentum præbet Scorpio contritus. Viperæ morsum sanat vipera comesta. Bufonum conspurcationem corrigit bufonis viventis aut exsiccati externa adplicatio. Apum ictui solatium est mel, &c. Ex hoc fundamento remedia ex animali lædente, vel eidem analogo desumta, etiam in hoc adfectu maximopere commendant alii, alii vero iisdem, tamquam infidis, minime fidere volunt. Cancros porro fluviatiles combustos alii, haud pauci vero cantharides commendant, & hoc quidem effectu quodam specifico diuretico, venenum salivale unacum sero ab ipsa massa sanguinis segregare, & per urinam expellere credunt, neque hoc ultimum experimentum, si circumspecte adhibeatur, improbamus. Scarabæos tandem majales in melle extinctos subactosque laudant alii, de quibus nunc observationem singularem adnectere lubet.

OBSERVATIO XCII.

Dn. D. JOAN. HARTMANNI DEGNERI.

De

Scarabæorum majalium in morsu canis rabidi effectu specifico, salutari.

Adfectus hujus, nempe morsus animalis rabidi, seu potius inde enati symptomatis illius specifici, Hydrophobiæ, nexum causalem physicum a priori nos latere, neque pro extinguendo virulento hoc inquinamento ullam in curatione methodum, morbi indoli congruam, nobis suppetere, in præcedentis observationis Scholio fassi sumus. Hinc Empiricorum partes in tractando hoc morbo ut amplectamur, ad sola antidota specifica, experientia

probata, confugientes, nos cogit necessitas, malique summa atrocitas. Omnibus vero illis, quotquot publico hactenus innotuerunt, palmam præripere putamus *Scarabæos majales communes*, unctuosos, fuscos, arboribus adeo nocivos, pueris vero pro lusu & in deliciis habitos, german. Man-Käfers dictos, quos quotannis colligendos, & melle, vel, ut alii volunt, oleo condiendos, usuique adservandos curamus. Præditi quidem illi videntur vi diuretica generali, cantharidum instar, mitius tamen, & non solum tutius his operantur, sed & specifica quadam energia dotati sunt, ad extinguendum & expellendum venenum illud animale rabiosum, teste experientia multiplici, iterata. Plures jam Medici fide digni, inprimis vero WEICKHARDUS in *Thesauro suo pharmaceutico*, illos maximopere hunc in finem commendarunt, tamquam remedium, quod nunquam fefellerit; Ex horum commendatione hoc remedium a pluribus retro annis, data occasione multoties, inprimis etiam duobus elapsis ultimis annis, ultra viginta a canibus rabidis demorsis præscripsi, haud neglectis tamen iis, quæ vulneri externe conveniunt, eo sane effectu, ut nulli omnium, quotquot eo usi sunt, quidquam mali acciderit. Cumque occasione casus præcedentis sermonem haberem cum matrona quadam nobili, ex Ducatu Cliviensi, de remedio in illo adplicato, hæc mihi confitebatur, illud ipsum familiæ suæ esse, & a longis annis semper fuisse remedium & arcanum infallibile, quo innumeros homines & bestias a morsu rabido sanatos noverit, nullo in rabiem adacto, qui modo tempestive eo usus fuerit, hinc etiam adeo famigeratum esse, ut undique ad se advolantes illud expetere soleant. Methodus vero utendi & dictæ matronæ & mihi est sequens: Scarabæi majales melle suffocati numero quinque pro adulto, pro junioribus vero tres, abscissis & abjectis capitibus, in pulpam minutissime contusi exhibentur ægro, cum

coch-

cochleari uno mellis, in quo extincti sunt, mane jejuno stomacho, vel prima vice, quacunque diei hora res postulat, hocque magma per tres vel quatuor, immo si placet, & quod communiter majoris securitatis gratia soleo, per septem dies continuos usurpatur, & nullum a morsu timendum habebis periculum. Unica in adplicando est cautela & momentum maximum, ut tempestive satis, & quamdiu remedii adhuc tempus & locus est, adhibeatur, & hoc quo citius post morsum, eo melius, antequam nimirum venenum rabidos & hydrophobos suos in corpore exserit effectus; morbo enim jam formato & firmato, & aquae metu jam oppressis, in angusto spes est, omnisque remediorum adplicatio anceps, immo frustranea deprehenditur, consentientibus Scriptoribus omnibus.

(*Neomago Erfordiam missae d. 25. August. 1740.*)

OBSERVATIO XCIII.

Dn. D. JOAN. MARTIN. BREHM.

Ulcus intestini coli verminosum, feliciter sanatum.

Uxor Cotiarii cujusdam, annorum 46. hactenus sana vegetaque, inopinato adficiebatur anxietatibus gravibus praecordiorum, nausea, frequenti sputatione, torminibus abdominis, cum subsequente alvi adstrictione. His per aliquot dies ita continuantibus succedit tumor in hypochondrio dextro, circa regionem hepatis, qui successive magis magisque elevatus & expansus, ad inguinalem usque regionem extenditur. Imponuntur ergo huic statim cataplasmata ex emollientibus parata, quorum assiduo usu intra decendium maturatur, tandemque rumpitur abscessus,

ex

ex quo, cum notabili quantitate materiæ ſanioſo - purulentæ, admodum fœtidæ & fere corroſivæ, inſimul undecim lumbrici mediocris magnitudinis ſucceſſive prodeuut. Vix autem dein, ope injectionum mundificantium, balſamicarum & vulnerarium, ad conſolidationem iterum de ductum erat illud ulcus, cum in oppoſita regione lumbari ejusdem lateris, novus inſurgeret tumor, ex quo ſimiliter tandem emollito & maturato, poſt apertionem, cum ejusdem indolis materia praviſſime olente, iterum quatuor lumbrici egrediebantur, ipſumque tandem ulcus, poſt aliquot ſeptimanarum decurſum, iisdem injectionibus denuo in uſum vocatis, ac inſuper ſubjunctis internis abſtergentibus anthelminticis, blandis laxantibus aliisque convenientibus remediis, præter ſpem fere & opinionem, feliciter coaluit, ſuperſtite adhuc & integra iterum ſanitate fruente ipſa illa fœmina.

Primariam ulceris hujus ſedem circa inteſtinum Colon fuiſſe, illudque tam a collecta ibidem ſaburra humorum vitioſorum ſucceſſive in coruptionem degeneratorum, eroſum, quam a vermibus in eodem hoſpitantibus perforatum fuiſſe, & quidem in utraque ſuperficie, verſus abdomen pariter, ac dorſum ſpectante, non ſolum ex circumſtantiis modo recenſitis, ſed & ex loci & regionis conditione, abunde ſatis pateſcere arbitror. Licet enim primo iutuitu paradoxum cuipiam videri poſſit, quod facta qualiscunque eroſio, aut perforatio alicujus inteſtini, ſine ſanitatis & vitæ detrimento, intra paucarum hebdomadum ſpatium feliciter ſanata fuerit, eaque propter magis forſitan adrideat ſententia, de generatione æquivoca iſtorum vermium, ex corruptis illis humoribus, abſeſſum deſcriptum efformantibus, derivanda; ſequentia tamen nomenta non ſolum contrarium facile evincunt, ſed & aderti iſtius veritatem magis adhuc confirmant, dum nempe

1.) mul-

1.) multiplici experientia sufficientet jam constat, quod & intestinorum crassorum qualiacunque vulnera etiam transversim facta, cum plenaria eorundem dissectione, modo sponte natura, modo chirurgicæ artis auxilio, consolidata, aut ita sanata fuerint, ut per plures adhuc annos in vivis superstites manserint tales homines, testantibus id compluribus exemplis, tam apud alios Auctores; quam speciatim in Ephemeridibus Academiæ nostræ hinc & inde occurentibus, e quorum numero saltem tria illa notabiliora, quæ in *Decur. I. Ann. III. Obs. 8. Centur. I. Observ. 6. & Centur. X. Observ. 90.* extant, adlegasse sufficit. 2.) Quia vermes illi quindecim, ex utroque abscessu, tam anteriori, quam posteriori prodeuntes, veri fuere *lumbrici*, eorum ex genere, quos ordinarie in intestinis hospitari deprehendimus, qualesque in specie etiam crassa intestina quandoque continere demonstrat *Observ. 61. Ann. V. Decur. II. Ephemerid.* laudatarum; cum quibus vero ratione externæ formæ & figuræ, itemque, quoad magnitudinem, nequaquam conveniunt ulcerosi vermes, *Helcophagi* a celeberr. BIANCHI, in *Histor. de naturali in human. corp. vitiosa morbosaque generatione, pag. 362.* dicti, qui nempe ulcerum, tumorum, variolarum, abscessuum, anthracum, pestilentium aliorumve bubonum, carcinomatum, cariei & gangrænarum sunt incolæ. Tandem quoque 3.) quia similia itidem jam prostant exempla intestinorum a vermibus perforatorum, & tamen citra vitæ jacturam iterum feliciter sanatorum, dummodo læsiones istæ ita comparatæ fuerint, ut artis auxilio debita earundem abstersio & mundificatio, per exterana convenientia adminicula institui & impetrari potuerit, siquidem plures ejusmodi historias jam collegit SCHENCKIUS, *Lib. III. Observ. med. de Vermibus, pag. 373. sq.* quibus etiam adjungendæ sunt illæ, quæ passim in *Ephemerid. Nat. Cur.* inprimis autem *Dec. I. Ann. I. Observ. 145. Dec. II. Ann. I. Obs. 104. pag. 250. & Anno VI. ejusd. Dec. Observ. 191.*

 occu-

occurunt. Confer. quoque HILDANUS, *Cent. I. Observ. 74.* ubi admodum raram ejusmodi historiam fusius recenset.

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. JOANN. MARTIN. BREHM.

Hydrops saccatus stupendæ magnitudinis.

Claustrarii cujusdam uxor, cum anno ætatis suæ quadragesimo puellam felici enixa esset partu, brevi post, citra manifestam aliquam prægressam causam, abdomen plus justo intumescere observat, absque tamen eximio aliquo sanitatis detrimento, unde etiam parum curat tumorem istum, maxime cum tertio abhinc anno ingravidata iterum, post similem puelli vegeti partum felicem, eundem notabiliter imminui deprehenderet. Vix autem finito lactationis tempore, cum juxta morem antea consuetum menstrua non rediret purgatio, sed potius in totum præmature subsisteret, majora in dies & evidentiora dictus hic tumor denuo sumit incrementa, hacque ratione per integros quatuordecim annos, usque nempe ad quinquagesimum octavum ætatis annum, adeo augescit, ut in stupendam tandem molem expansum fuerit abdomen. Durante hocce tempore non solum œconomicos varios labores, non quidem absque omni molestia, magna tamen cum adsiduitate peregit, sed & ipsi marito in opificio suo, claves nempe aliaque lima radendo & poliendo, omnem possibilem opem tulit, donec tandem ineunte Aprili anni præter. ab adhibitis copiosissimis, congruis pariter, ac incongruis remediis, nihil plane levaminis persentiscens, viribusque plane deficiens, lecto prorsus adfixa manere coacta fuerit, sub quo statu etiam, post quatuor hebdomadum decursum, d. 3. Maji placide expiravit.

Insti-

Instituta dein post mortem sectione anatomica, externe in capite, pectore & brachiis caro omnis adeo absumta erat, ut sola tantum cute tecta adparerent ossa. Abdomen vero in tantam expansum adparebat molem, ut quoad longitudinem, a cordis scrobiculo ad pubis usque regionem, duas circiter ulnas, & quoad totum ambitum, seu circumferentiam, tres ulnas cum dimidia æquaret, eratque temporis diuturnitate nimioque pondere ita extensum, ut infra genua propendens, vix spithamæ longitudine, sub ingressu, a terra distaret, quemadmodum etiam umbilicus ita protuberabat, ut anserini ovi magnitudinem referret. Sub cute, a scrobiculo cordis usque ad femora, liquor lymphatico-serosus coagulatus, instar gelatinæ albicantis, vel lactis inspissati, musculos undique ita tegebat, ut in frustis auferri potuerit, parumque vel nihil inde digiti madefierent. Aperto demum abdomine, viscera ejus singula, inprimis autem Hepar & Lien, magna cum admiratione & præter exspectationem, prorsus sana & absque ulla labe conspiciebantur, indeque suspicabamur, extravasationem & collectionem hanc insignem serosam potissimum a restagnatione sanguinis graviori circa dicta hæc viscera, per mensium præmaturam emansionem adaucta, productam fuisse. Intestina etiam quoad maximam partem adhuc in naturali suo comparebant situ, præterquam quod jejunum, a pondere aquæ collectæ magis versus costas spurias propulsum, sub continua pressione firmiter cum iisdem concreverit. Uterus similiter rite adhuc erat constitutus, tam quoad magnitudinem suam ordinariam, quam quoad substantiam; in fundo autem ejusdem, versus latus sinistrum, adcretus erat, ibidemque variorum ductuum & canalium ope, originem sumsisse videbatur insignis crassiorque saccus, compluribus densioribus cum ligamentis per totum dorsum & in utroque latere, maxime autem in dextro, (in quo durante toto isto

diuturno tempore unice decumbere potuit,) arctissime obfirmatus. Hunc, cum tam ob magntudinem, quam ob eximium pondus & stupendam aquæ in eo contentæ quantitatem, ita integrum eximere nequaquam, absque metu disruptionis, possemus, incisione prudenti idcirco aperiebamus, & exinde 112. mensuras aquæ turbidæ, ex flavo nigricantis ad instar paludis putidæ, emittebamus, præter illam non exiguam portionem, quæ hinc & inde, ac potissimum inter musculos femorum pedumque satis adhuc tumidorum, remansit, Peractis hisce tandem & ipse saccus caute ab adjacentibus partibus liberabatur, atque extractus pellem vitulinam crassitie & consistentia, libræ autem impositus octo libras pondere æquare deprehendebatur.

Modo recensitus hicce casus in mentem mihi revocat alium, complures ante annos observatum, parumque vel nihil ab eodem discrepantem, quem idcirco hac occasione quoque subjungere lubet. Vidua quædam pauperrima, sexagesimo ætatis anno absoluto, post varias toleratas ærumnas atque miserias, insolito quodam adficitur dolore abdominis, cum respiratione difficili continua. Intumescit inde successive abdomen, & inprimis umbilicum versus ita turgidum & acuminatum evadit, sicuti in prægnante partui jam proxima, eumque singulis horis expectante. Transacto sic, variis sub molestiis, integro biennio, ingravescentibus tandem & ad extremum vehementiæ gradum adscendentibus, insimulque indesinenter urgentibus doloribus, die 6to Novembr. ann. 1721. lectum petere cogitur, vixque sex dies ita decumbens, duodecimo ejusdem mensis die inopinato moritur. Sectio anatomica, altero die, jussu Magistratus instituta, sequentia docuit: Remoto sterno non, ut ordinarie fieri solet, pulmonum lobi, sed Cor prægrande, pericardio suo inclusum, statim in conspectum prodibat, inque ventriculo suo sinistro polypum ex albo

flave-

flavescentem & quadantenus rutilantem, digitum longitudine æquantem, crassitie vero paululum exsuperantem, & figura limacem referentem continebat, qui, facta ventriculi hujus incisione, instar retinaculi adstrictorii, vi quadam elastica prosiliebat, qualis etiam in dextro ventriculo, sed minor, duorum circiter pollicum longitudinem & erucæ crassitiem monstrans, deprehendebatur. Ipsi vero pulmones in utroque latere infra cor depressi, ibidemque pariter, ac circa spinam dorsi adeo firmiter cum pleura concreti erant, ut difficillime abinde separari & non nisi in frustis eximi potuerint.

Facta dein apertione infimi ventris illco ex minori adhuc incisione emergebat & quasi impetuose protuberabat vesica quædam aqua repleta, totam abdominis cavitatem undique occupans, ita quidem, ut etiam omentum in medio disruptum fuerit, cujus inferior portio dein cum sphinctere vesicæ urinariæ eum in modum coaluerat, ut figuram bursæ cujusdam inde dependentis repræsentaret. Eadem in regione huic parti etiam adnexus erat dictus ille saccus aquosus, ac unicam quasi membranam in tota anteriori superficie cum eadem formabat. Figuram nactus ille erat exacte pyriformem, seu ad instar insignis cujusdam cucurbitæ, cum superiori, seu latiori sua parte versus diaphragma exporrectæ, a cujus nimia expansione procul dubio e naturali suo situ disturbati magisque dorsum versus adacti erant pulmones, quemadmodum ab eorum atque reliquorum abdominis viscerum compressione, hincque impedito & retardato sanguinis circulo, probabiliter polyposa concrementa in corde suam duxerunt originem. Habebat proinde saccus iste peculiaria sua ligamenta eundem undique obfirmantia, nec non vasa sua aduehentia ab utroque latere eidem se se insinuantia, quæ tamen pariter ac priora, tantæ erant laxitatis & teneritatis, ut, dum ex ab-

domine, una cum vesica urinaria, arctissime ipsi adnexa. protrahebatur, singula illa, citra ullam ejus læsionem, facile disrumperentur, quemadmodum etiam ipsa membrana, illum constituens, non ad modum crassa erat, sed saltem cum peritonæo vel pleura, intuitu substantiæ, conveniebat. Pondus dein ejusdem & contenti in eo seri flavescentis, examinantes, illud librarum 17. circiter deprehendimus factaque hujus emissione in fundo lumbricum, spithamam longitudine æquantem, offendimus, quorum aliquot etiam post mortem ex ore defunctæ prodierunt, & complures in ventriculo & intestinis adhuc delituerunt. De reliquo etiam a mole hujus sacci tam Hepar unacum ventriculo, quam etiam Lien, ex ordinario suo situ prorsus erant dimota, & ad costas usque veras propulsa; intestina vero adeo vehementer compressa, ut admodum turbatus & fere sufflaminatus fuerit motus peristalticus, indeque procul dubio continui & vehementissimi illi dolores, defunctam per integrum biennium excruciantes, provenerint.

(Smalcaldia Erfordiam missa d. 3. Septembr. 1740.)

OBSERVATIO XCV.

Dn. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFII.

De

Dysenteria maligna verminosa, cum pustulis squamosis, crustæ lacteæ similibus, conjuncta.

Anno MDCCXXXVI. d. 4. Septembr. puero 10. annorum diarrhœa torminosa laboranti, Pharmacopœus temerarius species laxantes, pro infuso cum vino, præ-

præbet, unde permultum sanguinis & muci per alvum excernit, tenesmo vexatur, multotiesque secessum, (licet sæpius frustra,) petere cogitur, insuper quoque non solum in capite, sed & abdomine & artubus undique pustulæ squamosæ effloruerunt, æstus, sitis & agrypnia continua, plenariaque adpetitus, nec non summa virium prostratio succedebant, conjunctis simul torminibus gravissimis. In consilium ergo vocatus ab initio laxans rhabarbarinum aquosum præscripsi. post cujus usum quoque æger ratione torminum levamen obtinuit, insuperque secessus non adeo frequentes fuerunt, reliqua vero symptomata in eodem gradu permanserunt. Varia dein an dysenterica, inflammationi resistentia & confortantia ordinavi, absque tamen ullo salutari effectu, siquidem Dysenteria subinde potius augebatur, quam minuebatur, ita ut unica nocte plus, quam centies, partim ob tenesmum partim alvum deponendi causa, lectum deserere coactus fuerit, & excrementa semper mucosa, sanguine inquinata & perquam foetidum odorem spirantia, dejecerit. Vires hinc magis magisque imminuebantur, & emaciatio corporis summa subsequebatur. Die 14. dicti mensis binos lumbricos, notabilis magnitudinis, per alvum excrevit, quos diebus sequentibus complures alii excipiebant; pustularum quoque supra notatarum proventus in ambitu corporis non tantum in dies augebatur, sed & nunc ad faciem usque eaedem progrediebantur. Die 23. respiratio difficilis evadebat, continuante successive lumbricorum excretione, hæcque tragoedia usque ad 1. Octobr. duravit, quo ipso æger externe mox frigidus, mox calidus adparuit, nec non ventriculi atroces dolores supervenerunt, dubio procul a copia restitantium adhuc vermium eundemque arrodentium, & inflammationem in tunicis ipsius excitantium, dependentes, unde tandem convulsionibus epilepticis correptus vitam cum morte commutavit.

OBSER-

OBSERVATIO XCVI.

Dn. D. JOANN. PHILIPPI WOLFFII.

De

Impenetrabilitate corporis humani falſo jactata.

Per multa ſuperſtitioſa remedia in jucundiſſimam ſcientiam Phyſicam, nobiliſſimamque artem Medicam irrepſiſſe, quilibet praxin medicam cum attentione & ratione exercens, absque ulla contradictione facile fatebitur. Inter hæc quoque, me quidem judice, ſuperſtitioſa illa referenda ſunt remedia, quibus nonnulli corpus ſuum impenetrabile reddi poſſe ſomniant, cujus commatis homines, qui vel de potentia, vel exiſtentia hujus artis gloriati ſunt, multi mihi obvenerunt, nullus vero in cute ſua experimentum inſtituere permiſit. Inprimis autem per ſe jam conſtat, quod potiſſimum in caſtris de nefanda iſto artificio agitetur, illudque excoli credatur, cum tamen eventus abunde doceat, id ipſum ſi non ſemper, tamen utplurimum falſum & imaginarium eſſe. Ad hanc meditationem & obſervationem anſam mihi dedit caſus ſequens: An. MDCCXXXVI. die 25. Novembr. in certamine quorundam, veſperi hora ſeptima, arbitrum agere voluit miles 59. annorum, cultro vero admodum acuto, in thorace ſub mamma dextra tanta violentia ictus fuit, ut retrocedere non ſolum coactus, ſed etiam in terram proſtratus fuerit: Strophium hinc & induſium ejus perforatum, ſed nullum vulnus corpori inflictum deprehendebatur, cutis enim quaſi acu leviter ſciſſa adparuit, nihilominus tamen tumor haud exiguus in dicto loco prorumpebat, inſuper etiam in capite, præcipue ſiniſtro oſſe bregmatis & temporum varias plagas & contuſiones obtinuit, nec non

in

in regione costarum spuriarum sinistri lateris pedibus calcitratus fuit. Subsequente die hic miles incedere iterum potuit, de punctoriis tamen doloribus in dicta regione sinistri ossis bregmatis & temporum, nec non thoracis dextro latere conquerebatur, quales etiam in regionc costarum spuriarum sinistri lateris sub respiratione fortiori sentiebat, qui corpore incurvato semper vehementiores reddebantur; & Die 27. dicti mensis omnes dolores admodum augebantur, concurrente simul anxietate præcordiorum, nihilo minus de pane lucrando sollicitus, exiit, mox vero rediens, lectum petere coactus fuit: Anxietas quippe præcordiorum adeo increbuit, ut vix respirare valuerit, succedentibus dein, sub dolorum summo augmento, convulsionibus caput retrorsum & os mox versus aurem dextram, mox ad sinistram, instar spasmi cynici, ultro citroque distorquentibus. unde æger, durante hoc paroxysmo, ne verbum quidem proferre poterat, totumque corpus frigidum deprehendebatur. Rebus sic stantibus antispasmodica cum sudoriferis remixta præscripsi & venæsectionem in brachio sinistro institui jussi, adstantes vero uno ore contendebant, cutem ejus impenetrabilem esse, siquidem in prælio prope Schellenbergam commisso nullas læsiones in cute obtinuerit, sed tantum vestibus, globis plumbeis gladisque tales illatæ fuerint, quod etiam in cruenta obsidione castelli Philippoburgi ita evenisset. Finitis aliquot paroxysmis paulo quidem magis quietus erat, de summa vero anxietate præcordiorum & doloribus punctoriis conqueri non desinebat, hinc phlebotomiam summe necessariam esse, iterum indicavi, statimque Chirurgus accersitus fuit, cui commilitones ægroti de novo impenetrabilitatem objicebant, ego vero eosdem ita adlocutus sum: vos superstitiosi accedite, tu teneas vas cruorem recipiens, & alius corpus patientis erectum, alius vero brachium sinistrum teneat. Ipse interim ægrotus toto con-

tremuit corpore, præcipue, quoniam nunquam venesectionem admisit, sibique, ob supra dictas rationes cutem suam esse impenetrabilem, firmiter persuasum habuit, ipse vero nescivit, unde hoc provenerit, atque hanc singularem qualitatem vel a nativitate sua, vel a socio quodam sibi clandestino modo communicatam esse certissime credidit. Brachium ergo sinistrum ipsius manibus meis adprehendi, venamque medianam digitis fricui, dein jussi, ut Chirurgus intrepide phlebotomum suum admoveret venamque secaret. Dictum factum: chirurgus brachium post incisionem direxit versus illum militem, qui audacter in sua præconcepta opinione, cutem hujus ægroti certissime esse impenetrabilem, perseveravit, quoniam testis oculatus esset, quod globi plumbei Philppoburgi vestem quidem ejus, neutiquam vero cutem, pertoraverint, unde hic purpureo isto latice in facie, pectore & vestibus undique contaminabatur. Altum hinc silentium erat, omnes muti & obstupefacti adsteterunt, tandem vero mussitarunt, me impenetrabilitatem hanc referasse; ego vero sereno animo mentem meam aperui, falsum nempe hoc esse & omnia abominabili ac damnanda quadam superstitione niti, siquidem optima impenetrabilitas non nisi in pugno robusto & agili, ab animo intrepido suffulto, consisteret. Interim præcordiorum anxietas statim post V. Snem cessavit & dolores punctorii sensim remiserunt, paucorumque dierum intervallo æger in integrum restitutus fuit. Ictum vero hunc, cultro acuto patratum, in costam veram, sterno firmiter adhærentem impegisse, non solum ex supra dictis patet, sed & nervum intercostalem ipsumque periosteum læsum convulsiones has excitasse, ex eo constat, quoniam nervi isti cum gustatoriis, abducentibus & vagis connexionem arctam & originem communem agnoscunt, hinc facillime convulsiones tam caput retrorsum, quam os huc illucue trahentes, exinde ob

con-

consensum harum partium provocari potuerunt, insimulque neutiquam impetrabilitas, sed potius costa vera huic ictui obicem posuit. Hac occasione aliquot alii adhuc casus, ejusdem argumenti, in mentem mihi recurrunt, quos sequentibus sisto:

I. Militi cuidam, qui per multos annos præliis & obsidionibus variis interfuit, variaque vulnera accepit, in obsidione dicta Philippoburgensi magna e sclopeto explosa glans plumbea hypochondrium dextrum tanta cum vehementia petiit, ut aliquot passus retro in humum prostratus fuerit; ad se demum rediens, instituta exploratione vestes perforatas & prope gladii cingulum coriaceum densum dictam glandem plumbeam invenit, cutis vero illæsa fuit; paulo post dolorem haud exiguum in hac regione sensit, cui etiam ulcus successit, ex quo multum puris, sanguine permixti, emanavit; ipse vero tam antea, quam sequentibus temporibus sæpius venæsectiones admisit, nulloque modo impenetrabilis fuit, sed dubio procul hæc glans e sclopeto, vel minori bombarda in loco remotiore explosa fuit, adeoque propter distantiam nimiam inter terminum a quo & ad quem, vis ejus perforandi imminuta fuit, ut tantum per pannum laneum, neutiquam vero cingulum coriaceum, penetrare potuerit, impetus tamen ejusdem, concurrente simul terrore, militem hunc, sine ulteriori læsione prosternere valuerit.

II. Alius miles, olim castra sequutus, periculosissimis sæpius locis, in excubiis, fossis castrensibus fodiendis & defendendis, nec non præliis truculentis, expositus & absque vulneribus redux factus, statim sibi & aliis persuasit, cutem suam impenetrabilitate munitam esse, & hoc, ostentatione captus, undique evulgavit. Data demum occasione, quæsivi ex eo, num res hæc ita se haberet? Responsio prompta fuit: Omnino, & neque ferrum neque

 plum-

plumbum cutem suam perforare posse. Præmium itaque cum hac conditione ei obtuli, ut ego tantum acu exigua, in cute sua, quocunque libuerit loco, experimentum instituerem; denegavit vero hoc his verbis: Me forsitan impenetrabilitatem e cute auferre posse. Respondebam ulterius, hoc non ita se habere, sed pro certo a me reputari, quod traditio hæc sua falsa atque superstitiosa sit; duplicavi etiam insuper promissionem meam ratione præmii, si permitteret, ut acu mediocri tantum cutem suam transfigerem, omnes vero promissiones frustra meæ erant, manifesto sane testimonio, hanc quoque falso creditam impenetrabilitatem non nisi sterilem superstitionem, vel potius vanam ostentationem redolere.

III. Ante 13. annos vir quidam horrore, æstu, cephalalgia & lassitudine spontanea adflictus, meum sibi expetiit consilium, cui, quoniam plethoricus erat, & tunc temporis febres petechiales & miliares epidemice grassabantur, stante pede venæsectionem in brachio commendavi, gemitu vero anxio mentem suam mihi aperuit hunc in modum: Cutem suam, in partibus, quas radii solares non ferirent, impenetrabilem esse; quodsi igitur necessitas venæsectionem exigeret, se antea amuletum suum seponere velle, ad quæ tamen respondebam, hoc impossibile quid esse, cumque perseveraret æger in superstitione sibi impressa, Chirurgum accersi jussi, inque ejus præsentia admonui ægrum, ut brachium suum, amuleto suo simul in eo relicto, porrigere vellet, quoniam forsitan, si nullus proveniret sanguis, tempus tunc adhuc superesset illud seponendi. Auscultavit ergo & venæsectio feliciter peracta fuit, nihilominus tamen sanguinem prodeuntem conspiciens, in magnam admirationem deductus confitebatur, se quondam permultas plagas accepisse a milite quodam acinace instructo, ut quoque vestes undique discissæ, prorsus tamen illæsa cu-

te

te sua, sub complurium laciniarum forma deciderint. Plagas vero has in superficie saltem corporis factas fuisse, & acinacem non directe, sed oblique penetrasse, facile e sequenti conjici potest casu.

IV. Vexillifer quidam, noctu aliquando perquam anxie ad me veniens, verbis interruptis & anxiis mihi exposuit, quod hoc ipso momento domicilium suum petere voluisset, bini vero incogniti gladiis instructi, a tergo ex improviso ipsum adgressi fuissent, iisque nudatis caput & humerum ejus graviter percussissent, ut idcirco coactus fuerit propriæ defensionis causa stricto gladio iisdem sese opponere, quod etiam eo cum effectu successerit, ut illos retrocedere coëgisset. Quoniam vero actio hæc in tenebris evenerit, & chirotheca dextra undique dilacerata, tunica manicata in regione humeri, dorsi, præcipue vero manica ipsa, nec non pileus hinc & inde discissæ essent, ideo potissimum se desiderare, ut corpus suum inspicere & visitare vellem, an forsan vulnus sibi inflictum sit. Depositis igitur vestibus undique eundem contemplatus sum, ast ne vestigium quidem vulneris, sed tantum maculas quasdam in manu dextra suggillatas inveni. Quæsivi hinc ex eo, an credat se cute impenetrabili gaudere? respondit vero: neutiquam, unde & ego, adserto ejus pollicem premens propter terrorem prægressum, venam in brachio ut statim secare permitteret, suasi, emissaque exinde sufficienti sanguinis quantitate, bene quoddam sudoriferum porrexi, quo adsumto lectum petiit. Altero die hilaris & erecto animo me visitavit ac adgressores suos sedulo, sed frustra, expiscari studuit. Ex hisce adlatis uberrime patescit, impenetrabilitatem nil aliud, quam superstitiosam esse traditionem, de qua tamen permulti vaniloqui, præsertim infimæ sortis, plenis buccis gloriantur.

OBSERVATIO XCVII.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI WOLFFII.

De

Plenaria & diuturna omnium potulentorum averſatione, ex terrore & imaginatione hyſterica.

FELIX PLATERUS in *Obſerv. Libr. I. p. m. 85. ſqq.* notatu dignum caſum fœminæ funeſta quadam Hydrophobiæ ſpecie laborantis, his verbis memoriæ tradidit: „ *Sutoris uxor, An. MDXCIII Martii XI. cum corium* „ *in Birſæ fluviolo, ſub concamerato opere, urbem interluente,* „ *veſperi lavaret, noctéque inſtante, eam vicini, ſolam illic* „ *reliquiſſent, ſolitudine perterrita, exiſtimans, ſe ſplendorem* „ *aliquem e fornice erumpentem, cernere, torrentemque inun-* „ *dantem auctumque cum impetu adfluere, eo perculſa, domum-* „ *que reverſa, ab eo tempore, neque aquam, neque vinum, nec* „ *juſculum, nec aliud quidquam liquidum, deglutire potuit, ſed* „ *ſtatim, hiſce oblatis, magisque ori inditis, interclusum tra-* „ *hebat*, &c. Anno MDCCXXXVI. d. IX. Octobr. ſimilis talis caſus mihi obtigit, hoc unico tantum excepto, quod mentis abalienatio defecerit, & ægra per DEI gratiam in priſtinam ſanitatem brevi poſt fuerit reſtituta. Hiſtoria morbi itaque hæc eſt: Uxor cinerum clavellatorum coctoris & ſubditi generoſiſſimi cujusdam Domini, 36. annorum, antea ad votum ſana, vegeta & robuſta, tempore fluxus menſtrui die vigeſimo ſecundo Februar. anni iſtius, hora ſexta matutina per januam domus ſuæ exiens, in reditu unum alterumve manipulum granorum hordei in limine januæ offendit, & quoniam hi conjuges in pago iſto multos ſibi invidos infenſosque habuerunt; hinc fœmina iſta non ſolum mag-

magno terrore & timore ab eo ſtatim momento correpta fuit, ſed & ſuſpicionem hac de re aluit, quod hoc dubio procul a malevola quadam venefica, nocendi cauſa, factum ſit, quæ imaginatio eo facilius altiores egit radices, quoniam menſes eodem tempore fluxerunt. Statim hinc ſucceſſit immenſus horror, ab hora ſexta matutina ad undecimam veſpertinam una ſerie, eodemque gradu continuans, fluxusque menſtruus plenarie ſimul ſubſtitit, cum ſitis plenària abolitione & ſumma virium proſtratione, oblato vero dein a marito hauſtu cereviſiæ, majori adhuc horrore, tremore omnium artuum & motibus convulſivis totius corporis, cum vix delibaſſet cereviſiam, adeo correpta fuit, ut vi adſtantium ægre in lecto retineri potuerit: inſimulque anxietas præcordiorum ſuffocationem eidem minabarur, & hinc vomitu exigua adſumta portio cereviſiæ rejiciebatur. Cum porro maritus vini hauſtum paulo poſt, pro reficiendis viribus, offerret, eadem ludebatur tragœdia, quæ etiam poſt adſumtionem omnium potulentorum, qualiacunque illa fuerint, repetebatur, unde poſtea in prandio & cœna, ut cibos dilutiores tantum caperet, & pomis, quantum fieri poterat ſitim reſtingueret, coacta fuit. Regula hac circa cibos obſervata in meliorem ſtatum rediit, & rebus ſuis œconomicis fungi iterum valuit, obſtructio vero menſtrui fluxus uſque ad primum diem Aprilis continuavit, omniaque potulenta ſemper plenarie abhorruit: A primo die Aprilis corporis viriumque vigor non ſolum magis magisque iterum decrevit, ſed & propter continuum mœrorem, perſeverantem imaginationem faſcinationis & vitæ genus ſumme laborioſum admodum emaciata fuit, interim tamen fluxus menſtruus parciori in quantitate rediit, & ſanguis excretus ſpiſſus & nigricans adparuit, inſimulque periodos ordinarias lunares uſque ad nonum diem Octobris ſemper anticipavit. Generoſiſſima matrona, multa gratia

&

& commiseratione ducta, statim de suspicione fascinationis, quam ægra firmiter sibi impressit, me certiorem reddidit & judicium meum hoc de casu postulavit, quare omnibus circumstantiis & symptomatibus probe pensitatis, mentem meam ita explicavi, quod adfectus hic hystericus sit & passionibus animi natales suos debeat, terrori nempe, mœrori, imaginationi & suspicioni, omnia reliqua vero symptomata ab his dependere & producta esse, ideoque etiam curationem tam moraliter, quam physice suscipiendam esse, neutiquam vero fascinationem hic subesse. Accersitam itaque ægrotam, postquam historiam morbi sui supra descripti mihi exposuit, ut superstitioni ejus de fascinatione aliquo modo, bona tamen intentione, velificarer, blandis verbis ita adlocutus sum: Miseret me tui status mali, ast bono sis animo, omnemque sollicitudinem, timorem & mœrorem prorsus abjicias, si in scrinio tui cordis prope perpendes, DEUM esse omnipotentem & omnia in salutem hominis creasse, Diabolum vero in his, qui in DEO fideli & ardente amore & timore confidunt, eumque pie colunt, umbram esse impotentem, siquidem si DEUS pro nobis, quis contra nos esse poterit? Proinde etiam Nutritorem nostrum summum inter innumerabilia beneficia hordeum, tamquam frumentum ad vitam hominis saluberrimum nobis largitum esse, ope cujus non solum famem, sed & sitim extinguere possemus; cum autem Diabolus pauperrimus ne culicem quidem, ne dum alia procreare posset, hinc ceu astutus seductor generis humani, tantum creaturis, licet alias & per se saluberrimis, abuteretur, & ope harum, quoniam in quotidianum usum necessario adhiberentur, hominibus insidias struere conaretur, præcipue illis, qui omissis precibus matutinis DEO & protectioni Ejus validissimæ se non commendarunt, adeoque quoniam ægra DEO pie inserviendo sollicita fuisset, generi humano infensissimum illum

illum hostem, potentiam suam in corpora a DEO, restricto tamen modo, concessam, in eadem, uti in Jobo exercuisse, vim autem hujus impotentis Diaboli adeo arctis inclusam esse limitibus, ut tam precibus, quam remediis naturalibus, ab altissimo DEO benignissime nobis concessis, illam infringere, ejusque malam intentionem destruere possimus. Tandem ægrotæ injunxi, ut contrito spiritu DEUM T. O. M. imploraret, quo gratia sua omnipotente precibus ipsius adsistere & omnibus conatibus clementissime benedicere velit, quibus peractis, intrepido animo pulverem fumalem grossum, (qui nihil aliud fuit, quam Asa fœtida, quam in adfectibus uterinis interne & externe optimo cum successu reiteratis vicibus in usum vocavi,) prunis inspergeret, prunasque corpore erecto sibi supponeret, ore vero grana aliquot, (quæ Cubebæ fuerunt,) masticaret, & uno alterove eorum masticato, bona fiducia haustum cerevisiæ superbiberet, quod etiam felicissime successit, ut non solum unum haustum, sed plures optimo cum adpetitu adsumserit, eodemque adhuc die totam mensuram successive consumserit, ac nihil plane alieni, intuitu pristinorum symptomatum atrocium, observaverit. Circa hujus diei vesperam maritus ægrotæ certiorem me reddidit, consilium meum optime successisse, ita, ut conjux sua per DEI gratiam, abjecto omni mœrore, nunc hilaris & sitibunda sit, variaque potulenta, cerevisiam nempe, vinum & aquam, pro lubitu & cum adpetitu adsumere possit, hinc si liceret, ipsam crastino die, (quoniam nunc propter largum sudorem, quem fumus prædictus excitavit, lecto se commisisset,) exoptati hujus successus gratia, me visitare velle, quod etiam factum fuit, siquidem altero die fœmina hæc summo mane fores meas pulsans, ob sanitatem pristinam, tamdiu multotiesque anxie, sed frustra, quæsitam, nunc vero prorsus inopinato recuperatam, summo gaudio perfusa, & DEO

& mihi gratias persolvit maximas. Præscripsi ergo adhuc Decoctum quoddam ex aperientibus & uterinis compositum, pro obtinenda vasorum referatione & sanguinis attenuatione, suadendo simul ut masticationem Cubebarum continuet, potumque sufficientem subjungat. Hac ratione fluxus menstruus periodos lunares ordinarias observavit, fœminaque ista in hunc usque diem integra sanitate gaudens, omnia potulenta, absque ulla difficultate iterum adsumere solet.

OBSERVATIO XCVIII.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI WOLFFII.

De

Milite bufones per alvum excernente.

Anno MDCCXXXIV. mens. Decembr. miles gregarius 28. annorum in castris prope Rhenum æstate præterita, sitim aqua putrida sæpius extinxit, postea huc in hibernum collocatus, Dysenteria corripiebatur, sub quo morbo unica vice quinque bufones mortuos per alvum excrevit, qui, postquam ab ejus uxore mundati & aqua abluti fuerunt, aliis veris bufonibus in omnibus simillimi deprehendebantur. Ipse vero æger postmodum in dies melius se habens, brevi convaluit & nunc in castris Hungaricis vivit.

OBSERVATIO XCIX.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI WOLFFII.

De

Puero ante nativitatem dente instructo.

Anno MDCCXXIX. d. XVII. Mart. uxor pistoris 36. annorum quarto mense ingravidationis febre continua corripiebatur, hacque intra quatuordecim dierum spatium per DEI gratiam feliciter superata, postmodum tempore gestationis legitime finito, puerum sanum absque difficultate, denteque incisorio in maxilla superiori instructum, exclusit. Puerperæ a mulierculis adstantibus metus injiciebatur, quod præmatura hæc eruptio dentis in fœtu, intra uterum adhuc contento, mali quidpiam præsagiat, quod tamen eventus non confirmavit, siquidem elapsis viginti septimanis hic dens iterum excidit, pauloque post alius, ex eodem alveolo erumpens, successit, qui denuo per septem annos substitit, quo tempore etiam hic e sede sua dimotus fuit, ac statim alius tertia nunc vice alveolum hunc explevit, puero interim in hunc usque diem vegeto & sano superstite, quippe qui etiam omnes dentes suos facile exclusit, variolasque quinto suæ ætatis anno feliciter superavit.

OBSERVATIO C.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI WOLFFII.

De

Præcipiti coalitu oculi post variolas.

Anno MDCCXXXI. d. XIII. Maji puer 8. annorum præterita hieme variolas feliciter perpessus, præmature aë-

ri liberiori frigido ſeſe expoſuit, ex quo tempore oculorum, præcipue vero dextri, palpebræ in totum fere coaluerunt, ſubſequente inflammatione, inſigni dolore & totius malæ hujus lateris intumeſcentia prægrandi, nec non copioſa puris ex ipſo illo oculo, inter palpebrarum commiſſuras ſuccedente excretione, præſcripta ergo prius congrua diæta, injunctoque debito regimine, ſequentia ordinavi: Rec. M. Pilul. de Succino Craton. ſcrupul. ſem. Extract. Helleb. nigr. Mercur. dulc. rite par. ana gr. V. M. F. l. a. Pil. No. XV. conſperg. Cinnab. factit. D. pro una doſi. Rec. Pulv. Radic. Liquirit. unciam dimid. Flor. Sambuc. unciam 1. Camphoræ drachm. dimid. M. & includantur ſacculo, oculo dexto imponendo. Sequenti ergo die oculus iſte non ſolum quoad maximam ſui partem recluſus fuit, ſed & dolores unacum inflammatione remiſerunt, unde ſequentem adhuc exhibui Mixturam: Rec. Eſſ. Succini, Tinctur. antimon. acr. ana drachm. 2. Olei deſtillat. lign. Saſſafr. gtt. VI. M. D. ter de die guttæ XX. in vehiculo aquoſo. Methodo hac per 14. dies continuata omnia ſymptomata iterum evanuerunt, puerque ad votum convaluit, absque ullo remanente oculorum vitio.

OBSERVATIO CI.

Dn. D. JOAN. PHILIPPI WOLFFII,

De

Convulſionibus vehementiſſimis, a vulnere abdomini inflicto obortis.

Anno MDCCXXXII. d. 24. Februar. vir juvenis 25. annorum, noctu ex improviſo ſub diaphragmate in ſiniſtro hypochondrio cultro lato vulnerabatur, unde quidem exigua ſubſequebatur hæmorrhagia, pulſus vero ad-

admodum languidus statim fuit, supervenientibus simul, erecto inprimis corpore, frequentioribus lipothymiis, quare Chirurgus, cujus curæ concreditus fuit, eadem nocte me in consilium vocavit, cumque tunc ægrotum in modo dicto statu, anxiis suspiriis anhelantem, deprehenderem, statim sequentia præscripsi: Rec. Aquæ Cinnam. cydon. Buglos. ana unc. 1. Carbunc. unc. sem. antimon. diaphor. drachm. sem. Syr. cort. aurant. drachm. 2. M. D. sæpius cochlear. unum. Rec. Rad. Arnic. veræ unc. dimid. conc. infundatur cum aquæ fervidæ mensura una & successive calide bibatur. Insequente die 25. redeunti paucis exposuit verbis, se præterita nocte permultos vomitus gravissimasque convulsiones in partibus superioribus, brachiis & manibus expertum fuisse, quæ etiam adhuc dum continuabant, ita quidem, ut a vulnere inflicto inciperent & sursum usque ad extremitates digitorum sese extenderent, cum rigida manuum incurvatione, anxietate præcordiorum & respiratione perquam difficili, sub quibus tamen omnibus æger mentis semper compos fuit, atque lipothymiæ in totum fere cessarunt, unde sequentia subjunxi: Rec. Olei Amygdal. dulc. rec. unc. 1. cum dimid. Syr. papav. errat. drachm. 6. M. D. successive cochleatim. Rec. Lap. Cancror. Lumbric. terrestr. ana drachm. 1. Nitri anod. Salis ammoniaci, Cinnab. factit. ana scrup. 1. Croci orient. gr. iij. M. F. Pulvis, D. singulis semihoris octava pars in jusculo calido. Rec. Herb. Serpill. Rorismarini, Melissæ, ana manip. 2. Fl. Chamom. manip. 1. Conc. M. D. & cum vino calido Cataplasma fiat, scorbiculo cordis imponendum. Die 26. hujus optime sese habuit, convulsiones, vomitus, reliquaque symptomata in totum cessarunt, ita, ut Chirurgus, vulnus inflictum lege artis tractans, tandem optime illud consolidaverit, redeunte simul ex voto integra sanitate.

(*Rüdenhusa Erfordiam missa d. 12. Sept. 1740.*

 OBSER-

OBSERVATIO CII.

Dn. D. NICOLAI BOERNERI.

Sacculus membranaceus inſolitus, poſt partum e pudendis puerperæ propendens, feliciter ablatus.

Fœmina, 30. annorum, quinque antea infantum mater, ſexto in puerperio poſt felicem fœtus excluſionem, tunicam ſentiebat aliquam, burſulæ ad inſtar e genitalibus propendentem, in quam ſenſim ſenſimque materia colliquebatur ſanguineo - ſeroſa, ita, ut exiguo temporis ſpatio ad crepaturam fere turgeſceret, & moles ejusdem caput infantis trium quatuorve annorum æquaret. Obſtetrix, quæ ultra bis mille parturientibus opem præſtitit, atque hujus quoque fœtus extractioni præfuit, nunquam tale quid ſe obſervaſſe non ſine terrore, adſeveravit, ideoque parentes cum cognatis & ipſa puerpera meum ſibi expetebant conſilium & ocularem ſimul inſpectionem, neſcientes, an uteri, vel vaginæ prolapſus, vel alius ſtatus plane præternaturalis, per ſectionem forſitan emendandus, ſubſit. Cum præterea ab obſtetrice perciperem, quod absque ullo impedimento extrahi potuerit placenta uterina, & quidem inter ſacculum prædictum & dextrum femur; hinc nullum reſtabat dubium, quin vel pars membranæ chorii, ſiniſtro in latere profundius vaginæ uteri diverſis in locis adhæreat, vel plane peculiaris tunica ab eadem ſeceſſerit, ſacculum talem formans & purgamenta uterina, ſeu ſanguinem ſeroſum lochialem excipiens. Abſciſſionem vero & extirpationem ſuadere haud volui, quoniam digitorum preſſione ſemper in parte uterum verſus ſpectante portio quædam contenti liquoris eructabat, juſſi hinc ut

po-

potius oleis ipſum illinirent coctis, chamæmelino videlicet, rutaceo, aliisque crebrius calefactis, & per reiteratam lenem preſſionem contentum humorem imminuere ſtuderent. Tali modo ſacculus trium ſpatio dierum plane evacuabatur, ut forfipe abſcindi potuerit nullo remanente veſtigio, vel alio incommodo, juxta propriam ipſius adflictæ confeſſionem.

OBSERVATIO CIII.

Dn. D. NICOLAI BOERNERI.

Inteſtini ilei corruptio ſphaceloſa, ſolitarie ab internis cauſis producta.

Vir 33. annorum, in cœlibatu vivens, temperamenti melancholico - cholerici, habitus corporis macilenti, & faciei pallidioris, vitam agens ſedentariam, complures per annos tormina infimi ventris, circa regionem umbilicalem, dorſum verſus ſe exerentia, per intervalla ſenſit, majora ſemper incrementa, autumnali præſertim & hiemali tempore, capientia, quod etiam non raro poſt leviſſimum in diæta commiſſum errorem eveniebat, unde meo non ſolum, ſed & aliorum Medicorum conſilio auxilioque ſubinde uſus fuit, perraro tamen ex remediis, contra dolores crebrius recurrentes, adhibitis, levamen quoddam obtinuit, niſi calor externus per fomentationem præmitteretur. Proinde etiam alui profluvio ſemper fere laborabat, præprimis poſt comeſtos fructus horæos & leguminoſos, a quibus inſimul quoque tormina augebantur & ſcybala, fecum inſtar, fluida prodibant; non minus quoque tuſſi nunc ſicca, nunc vero humida, adfligebatur, ſimili fere ratione, ut in ipſis phthiſicis ſubjectis evenire ſolet, unde etiam pro tali a quibusdam habebatur, ut ex indicatis,

mihi

mihi oblatis, colligere potui. Tandem circa æstatis principium decumbere cogebatur, ingravescentibus indies singulis modo recensitis symptomatibus, quibus, succedebat spirandi difficultas, cum adpetitu plane prostrato & anxietatibus præcordialibus interdum summis, quibus ructus crebriores jungebantur, nec non sudores copiosiores, vires magis magisque imminuentes, unde tandem pulsus tardior ac debilior redditus fuit, totamque scenam lethali exitu mors clausit. Pro indaganda ergo vera prædictorum symptomatum, funestique eventus causa, per conjecturas artificiosas antea non exacte satis detegenda, altero statim die anatomico cultro subjiciebatur corpus exanimatum, in quo, aperta prius regione medii ventris, viscera ejus, cor videlicet cum pulmonibus omni labe destituta, sicuti in homine perfecte sano esse solent, deprehendebantur; ad infimum dein ventrem descendentes, Hepar quidem pariter illæsum sanumque, intestina vero omnia, flatibus ad crepaturam pene usque turgescentia, offendimus, inter quæ speciatim ventriculus, vesicæ instar flatu distensus, eminebat nihilque plane ciborum pariter ac potulentorum continebat, id quod etiam de intestinis tenuibus reliquis confirmari potest. Omentum dein, in parte extrema, circa umbilicum, ad palmæ circiter latitudinem prorsus nigricans, indagationi exactiori & curiosiori occasionem præbuit; unde reclinatis anterioribus intestinis, in conspectum veniens ileum, quoad maximam sui partem ossibus ilei firmiter adnexum plane corruptum ac sphacelosum deprehendebatur, ita ut ad levissimum rumperet contactum, & flatus inibi contentos emitteret abunde. Hoc pacto fons inveniebatur mali, dictorumque symptomatum, caussaque mortis præmaturæ ipsius.

(*Neostadio ad Orilam Erfordiam missa*
d. 20. Septembr. 1740.)

OBSER-

OBSERVATIO CIV.

Dn. D. VALENTINI ERNESTI EUGEN. COHAUSEN.

De

Salutaribus & noxiis quibusdam in adplicatione remediorum commissis erroribus, speciatim vero Aphonia a linguæ Paralysi, simili errore feliciter sublata.

Cedro omnino digna sunt, quæ Aphorismo I. Sect. I. inculcat Artis nostræ Princeps: *Nec vero satis est, Medicum suum fecisse officium, nisi suum ægrotus, suum adstantes faciant, sintque externa rite comparata;* nisi enim prudentissime etiam & maxime circumspecte ab expertissimo etiam Medico præscripta debito modo adplicentur, parum proderit ægro doctissimum quodvis consilium; quin sæpius enormia inde enascuntur symptomata. Ante omnia itaque monet HIPPOCRATES, antequam se ad cœtera salutifera præcepta accingat, *ut ægrotus suum & adstantes faciant officium*, id est, prout egregie explicat LIBAUTIUS in Scholio ad Commentarium HOLLERII ad aphorism. I. pag. 8. *Nec solum se comparare debet Medicus ut faciat quod facto est opus, judicio & experientia occasionem arripiendo, sed & æger obediendo & fideliter referendo: Et illi, qui præsto sunt, ut Pharmacopæi, in remediorum electione, præparatione mixtione & exhibitione, Chirurgi conjuncta dividendo, divisa conjungendo & superflua tollendo, clinicæ mulieres, fide, officio & diligentia*, &c. Clariora hæc quidem sunt, quam ut egeant Commentario, peccatur interim toto die ab ægroto, ab adstantibus, a Pharmacopœis & Chirurgis, qualia exempla non sine funesto sæpius successu quotidiana praxis subministrat,

 & mi-

& mihimet ipsi sæpius evenerunt. Sic illustri militiæ præfecto viro 88. annorum suasor eram, ut Theæ, cujus infusum quovis mane sorbillabat, immisceret folia Altheæ emolliendi & asperitatem Theæ corrigendi fine, (quippe alui obstructionibus cum dolore, immo ardore urinæ, sæpius laborabat,) ast, loco herbæ Altheæ, Unguenti sic dicti de Althea cochlear unum quotidie sumsit, postmodumque erga me conquerebatur, se illud ob nauseosum pinguem saporem amplius sumere non posse quamvis ab ejus usu nullum detrimentum, quin potius levamen perceperit. Subolfeci statim errorem, sed ne venerandus senex inde terreretur sibique timeret, dissimulando tacui, ex errore hoc id animadvertens & omnes Medicos monens, ne verbotenus tale quid ægrotis suis suadeant, cujus multæ dantur aliæ denominationes fere similes. Cum enim herba & radix Altheæ raro a Pharmacopœis ita in substantia & simpliciter divendantur, Unguentum vero sæpius, quin indies petatur, non erravit Pharmacopœus, sed potius male fuit explicatum a famulis illud exigentibus, quales inconcinnas petitiones & dispensationes non semel in officinis pharmacevticis observavi, & idcirco fusiores semper signaturas remediis adponere soleo, ne unquam in circumstantia quadam error aliquis committi possit.

Ita ab amico & fautore relatum habeo, quod Rheinbergæ mulier quædam consueverit purgandi scopo drachmam dimid. Extract. Panchymag. Croll. in formam boli radactam, pro una dosi cum euphoria sumere; aliquando ergo mittit ancillam in officinam pharmacevticam, ut similem purgationem adferat, cumque hæc male explicaret nomen medicamenti, intellectum fuit a Pharmacopœo quasi peteret Emplast. vesicatorium, quod ipsi datum & ab ægrota devoratum fuit, cum subsequuto intolerabili & vix compescendo ardore tum in ventriculo, tum abdomine. Hinc

illustris

illuſtris HOFFMANNUS in *Medic. politic. Part. II. cap. I. Reg. 5.* probe monet, Medicum magis debere ſcribere, quam dicere, & funeſtiſſimum adducit exemplum, loco Nitri antimoniati dati vitri antimonii cum ſubſequuta morte ægroti: Sic & nuper in aula quadam illuſtri cuidam perſonæ præſcribebam, ut circa veſperam, abſorbendi fine, pulverem Lapid. cancror ſumeret. Aderat ſcatulæ lapid. cancror. repletæ comes ſcatula cum Alumine, ex qua ſumit integrum cochlear pulveris contenti, ob non lectam ſignaturam, unde evenit ingens adpetitus proſtratio, preſſio circa regionem ſtomachi, quibus ſymptomatibus diverſimode mederi adlaboravi, tandem emeticum, octiduo fere elapſo, ſerius licet, ob urgentes circumſtantias porrexi, ſub cujus operatione faſſa eſt, ſe aluminoſum adhuc ſaporem percepiſſe, quo ceſſante rediit adpetitus & convaluit.

Telonii vicini præfectus, vis craſſus & obeſus, filiam ſuam ſimul ſcabioſam, conſultum mittebat ad Medicum hujatem: Conquerebatur vero ille de aſthmate unde etiam Medicus antaſthmatica convenientia remedia, & ſcabioſæ virgini unguentum contra ſcabiem præſcribebat; æger accipiens ollam unguento repletam, hocque pro Electuario pectorali reputans, totum illud deglutivit, absque damno quidem, tandem vero Hydrope pectoris occubuit. Cum Bernenſtelli ad Moſellam praxin exercerem medicam, civi ex oppido vicino Grach, præſcribebatur pro ſtomachi confortatione Empl. de cruſta panis externe adplicandum, ſed errore pharmacopœi, cæterum in arte ſua optime verſati, datur Empl. veſicatorium, quod totam ſtomachi regionem excoriavit. Æger ſentiens primum ardorem, laudabat effectum, inquiens: Illud Emplaſtrum omnino egregium mihi videtur, calorem enim ſentio ſummum, hinc non dubito quin frigidiorem ſtomachi mei pituitam reſolvet; verum continuante & augeſcente dolore & ardore intolerabili, urgebat ejus remotionem

quo facto adparabat error & vesica aqua limpida repleta per totam stomachi regionem, cujus consolidatio non parum molestiæ creavit ægro, cessante interim vomitu & anorexia. Infelicior vero fuit error pharmacevticus, qui in antiquissima urbe contigit, cum Medicus moniali præscriberet Crocum Martis aperitivum in Electuario, Pharmacopœus autem immiscuit Crocum metallorum, unde eveniebat hypercatharsis, & ægra, optimis licet adhibitis remediis, brevi post extincta fuit. Caveant igitur pharmacopœi, ne ordine alphabetico pyxides, venenis aut aut periculosis remediis repletas, adponant aliis, hac enim ratione a festinantibus famulis multi possunt committi sontici errores, ut debita cum industria ad signaturas non respicientes, medicaminum loco venena porrigant.

Præ omnibus his vero admodum singularis & simul salutaris fuit error, quem notavi cum in antiquissima urbe, quæ ante Romam mille & trecentis annis condita fuisse fertur, praxeos Professoris munere fungerer. Vocabar celeri nuntio ad Vicarium quendam Monachorum, in Monasterio S. Germani, virum annosum, qui subito de sella prolapsus erat; post erectionem torvum videbat, nec verbum proferre poterat, concurrente brachiorum & pedum relaxatione; aphoniam hanc a paralysi oriundam conjiciens, inter alia remedia nervina excitatoria præscribebam Emplastrum vesicatorium, in forma monetæ imperialis super alutam extensum, cum expressa signatura, ut nuchæ adplicaretur. Post meum discessum ex pharmacia adfertur emplastrum illud rotundum; Monachus ægro inserviens negligit signaturam, & ob figuram rotundam & ægri aphoniam concludit, illud linguæ, tamquam membro adfecto, imponendum esse, quod etiam statim facit. Circa vesperam revisens ægrum meum, video, illum torvis oculis, ore aperto, lingua tumida, totam oris cavitatem implente, & Em-

plastro

plastro adhuc tecta. Scifcitor, quid hoc rei esset? unde hæc metamorphosis? reponunt ocius, omnia hæc mala a meo Emplastro linguæ imposito orta esse. Horreo, attonitus stupeo, irascor & simul video inopinatum a me nunquam visum factum; Emplastrum extrahi jubeo, vesicam aperio, mucilaginosa præscribo, sed ecce, detumescente lingua redit loquela, exactoque regimine præscripto sanus dimissus fuit, vixitque adhuc per septem circiter annos sospes & sanus, dein apoplexia fortissima tactus repente obiit. Experimentum hoc errore factum ansam præbet inquirendi, annon in simili casu, aphonia a paralysi, resolutione nervorum recurrentium &c. orta, simile remedium tentari possit cum utilitate, tanto magis cum in praxi nota sint & jam ab antiquis Medicis commendata apophlegmatizantia, sive masticatoria acria, ex Rad. Pyrethri, Angelicæ, Imperatoriæ, Sem. Sinapi, Staphi dagriæ, quorum usus etiam laude sua non caret, quod ulterioribus experimentis utinam confirmetur; fateor enim me nullum amplius periculum fecisse, quamvis non defuerit crebrior occasio, inprimis autem, quod illud in Monacho secundum regulas S. Bernhardi pie vivente, adplicatum non sit, adhucdum doleo, quamquam ordinarie dolorifica & insueta remedia ægri recusent. Hic enim tali linguæ paralysi, aut potius imbecillitate tactus fuit, ut non nisi tria hæc verba: *Schurp* & *Maria Magdalena* proferre potuerit, quæ verba citra difficultatem, quod mirum sane auditu, millies repetebat, & quæcunque poscebat, iis indicabat, cæterum nullum aliud monosyllabum, neque proprium nomen, vel solam litteram proferre valebat, siquidem quidquid tentabat dicere, hæc non nisi erant verba, sicque innumeris licet adhibitis remediis per plures annos vixit suumque votum pro electione Abbatis adhuc contulit, tandem annis gravis, apoplecti-

 cus

çus discessit. Vid. *Volum. V. Actorum horum Observ. 41. p. 153.* ubi notabilia quædam huc pertinentia occurrunt.

Similis error in adplicatione Vesicatorii, non tamen infelici cum successu, haud ita pridem contigit, ubi mulier scirrho mammarum per errorem imposuit Emplastrum Vesicatorium, quod pro more mammas excoriavit, scirrhum emolliendo aperuit, sicque ulcus aliis dein adplicatis Emplastris perfecte sanatum fuit.

OBSERVATIO CV.

Dn. D. VALENTINI ERNESTI EUGEN. COHAUSEN,

Ischuria ob præposteram medicationem lethalis.

Vere, ni fallor, dicit Plato; *Multum refert in quos homines & in quæ tempora quis inciderit.* In politicis sæpius proh dolor id comprobant viduarum & orphanorum gemitus, lites injuste decisæ, aut protractæ; in medicis gibbosa cœmiteria, relictæ viduæ & orphani, quale fatum annos ante aliquot perpessus est vir qnidam pius, sincerus & generosus, Telonii Luxenburgensis præfectus, vulgo Licent-Meister, præter morem illius gentis, (ex qua complures plerumque instar vulturum & luporum prædæ inhiant, studentque tantum, ut propter privatum tunc lucellum sub speciosæ fidelitatis juratæ prætextu, aliis noceant,) omnibus carus, hinc vita longiore dignissimus, qui in juventute castra sequutus fuit, & ut Marti, ita Veneri strenue litavit, ac ab illa, quæ juxta Poëtam læta venire tristis abire solet, reportavit Gonorrhœam malignam, quæ a Chirurgis castrensibus, (siquidem eo res hodiedum devenit, ut simili in casu plus fiduciæ in chirurgis temerariis, quam

quam Medicis prudentibus ponatur,) per adſtringentia ita tractata fuit, ut ſeminis quidem profluvium ceſſaverit, in urethra vero continuo impedimentum aliquod remanſerit, unde & urinæ ardor, & difficultas, quin ſubinde talis ſuppreſſio, ſuccedebant. Varia hinc & Medicorum & empyricorum quorumvis obviorum petiit & ſecutus fuit conſilia, inter quos nonnulli erant, qui eum pro calculoſo male habuerunt. Tandem & me ad virum quendam illuſtrem, ei vicinum, vocatum, ut eundem quoque viſitarem, rogabant, quo facto, poſtquam de vita prægreſſa morbique vera cauſa certior redditus eram, convenientia varia præſcripſi medicamenta, quibus etiam multo tempore uſus fuit, & licet malum ſumme radicatum iisdem tollere nequiverim, nunquam tamen non abinde præſens ſenſit levamen, inprimis quoniam ſedulo injunxeram, ut abſtineret ab omni diuretico, caveretque ab empyricis; ſed neſcio quo facto Medicaſter Judæus, perquam temerarius & ſtupidus, cum præſens urinam reddendi difficultas doloroſa magis illum moleſtaret, in conſilium vocatur, qui non ponderatis, aut potius ignoratis, nec examinatis circumſtantiis, morbi origine & cauſa, illico quævis lotium fundentia & pellentia, e. g. decoctum Sem. Petroſelini, Therebinth. Venet. Milleped. &c. audacter exhibet, non conſiderans, veſicam, latice urinoſo repletam, ſolitarie diſtendi, in urethra vero latitare repagulum, ſolo cathetere flexili Helmontiano, aut alio, removendum, unde dolor & reliqua ſymptomata indies magis augebantur, ſuccedente febrili ardore ſummo, ſiti clamoſa, delirio, ſopore, ipſaque tandem morte. En! ergo ignorantiam craſſam & ſceleſtam, carnificis virgis Hebræo tergo merito inſcribendam, qualem etiam alia occaſione a ſimili improbo Judæo me in aliis ægrotis ſæpius notaſſe non ſine commiſeratione recordor.

Elap-

Elapso dein exiguo temporis intervallo, alius mihi obtigit casus, priori huic non plane absimilis, salutariter tamen adhuc decurrens, qui in sequentibus consistit: Sutor Confluentinus (cujus uxorem ante biennium, Leucophlegmatia misere decumbentem, præprimis decocto Allii Bartholini a JUNCKERO, in *Consp. Med. theor. pract. Tab. de Hydrope pag 554.* commendato, feliciter liberaveram, quæ vero inter eas fuerat, ut ne quidem verbis, multo minus re ipsa gratias pro labore retulerit, hincque me ulterius accedere procul dubio verita fuit,) conquerebatur de urinæ retentione, dolore summo in pectinis regione, & anxietate præcordiorum; vocatur ergo Chirurgus, qui vel ex temeritate, vel crassa ignorantia, statim diuretica, inprimis Tinct. Antimon. tartaris. Millep. & alia diuretica præscribebat, quibus sumtis augebantur symptomata, dolor exasperabatur, unde timida & suspensa mane ædes meas hæc, ingratitudinis suæ memor, pulsabat uxor, me per omnes sanctos rogans, ut maritum periculosissime decumbentem, & præ dolore fere desperantem, accederem. Oblitus prioris ingratitudinis, turpe judicans pati aut mori sinere minus acceptum ægrotum, ob retardatam olim remunerationem, adcurro celeri pede, & reperio virum summe anxium utroque pede ob dolores e lecto nudum prosilientem, nunc in caput, nunc abdomen sese provolventem; examinare eum conabar, sed responsionem interrumpebat dolor, hinc uxor & adstans singultiensque filia fractis verbis seriem rei enarrant. Jussi ergo ut statim amoveantur præscripta remedia venenorum instar ipsi noxia, illorumque in locum dedi demulcens antispasticum, & externe unguenti paregorici & cataplasmatis anodyni emollientis impositionem in regionem vesicæ, nec non catheteris adplicationem suasi, unde plures grumi sanguinis, cum urina copiosissima prorumpebant, dolor mitigabatur, ægerque

huic

huic insistendo methodo convaluit, sostrum duplex adhuc debens.

Infaustum magis fatum e contrario tulit nauta quinquagenarius, qui de Dysuria, aut potius stranguria conquestus, ab eodem Chirurgo, simili methodo, pellentibus scilicet acribus & stimulantibus per aliquot dies ita excruciatus fuit, ut, continuantibus doloribus acerbissimis, præmature debitum naturæ persolvere coactus fuerit. Interim ex casibus hisce practicis facile cognosci potest, quantum referat abstinuisse ab empiricorum temerariis & stolidis consiliis, quantaque gens ista nequissima Reipublicæ inferat damna, itemque quam caute in Ischuria, Dysuria & Stranguria cum Diureticis acrioribus sit procedendum.

OBSERVATIO CVI.

Dn. D. VALENTINI ERNESTI EUGEN. COHAUSEN.

Sanguivorus.

Iram furorem brevem esse, funesta eheu! quotidie docent exempla, rari namque sunt qui omnem iræ motum generoso animo vincere & comprimere possunt. Pauci sane similis sunt animi ac vir quidam illitteratus, qui uxorem habet sævissimam summeque litigiosam, ipsis lapidibus, quin subinde sibimet ipsi infensam & invisam, cui, utcunque tumultuetur, furat, rixetur, clamet, semper tamen maritus temperamento prorsus phlegmatico reponit: Nosti me irasci non posse; age quidquid placet! En vere Socraticam patientiam, quam ut summopere quidem laudo, tanto magis in hac muliere extollit insolentiam, ut merito quæstio ventilanda sit: Num tale virorum vere philosophicum animi temperamentum semper bonum sit, de quo tamen

dubito ; mulierum enim ira furorque tanto magis increſceret, ut vel ipſis viris dominari vellent, vel plures funeſtas luderent tragœdias, qualem non ita pridem in vicinia egit mulier ferociſſima, quæ infenſa proprio viro, eum dormientem trucidavit, amputatisque cruribus ſacco impoſuit & in Rhenum ſucceſſive detulit, detecti tamen ſceleris horrendi pœnam promeritam poſtmodum quoque luit. Verum ergo manet, quod rariſſime, immo fere nunquam, vere iracunda emendari poſſit mulier, quantumvis diverſa jam a plurimis tentata fuerint remedia. Quod vero inter viros tales quoque interdum occurrant, quorum mentem ita turbare valent vehementiores motus iracundi, ut etiam turpiſſima quævis, inſanorum inſtar ſuſcipiant, tum per ſe jam conſtat, tum etiam ſequens confirmabit hiſtoria : Miles gregarius ſub cohorte Perilluſtri & generoſi Dni L. B. de Hohenfeldt, neſcio ob quam cauſam pœnæ ſubjiciebatur militari, & adligabatur ad palum ; unde ex compreſſo furore quid ageret, quid diceret, ipſe ignorabat, immo per breve aliquod tempus in lypothymiam incidebat, unde a pœna liberabatur. Hoc facto illico proprio auſu accedit ad Chirurgum, venam in brachio ſibi aperiri jubet, factaque ejus deligatione pro duobus crucigeris panem coëmtum depromit, & cum eo uncias illas octo vel decem detracti proprii ſanguinis, furens & fremens avidiſſime devorabat, mirantibus omnibus, cum nauſea & horrore id conſpicientibus, domum hinc redit, & altero die me, deſuper modo informatum, convenit, facie pallida, inſtar demortui, & de cardialgia, nauſea, adpetitu proſtrato, ſummoque languore conqueritur, ſuo tamen interim officio fungitur. Exhibui ergo lene rhabarbarinum (cum ſanguinem tum non amplius in ventriculo hærere augurarer, atque vomitorium qualecunque, inprimis acre quoddam & ſtimulans, durante adhuc iræ paroxyſmo, utpote quæ nondum defer-

ferbuerat, ſumme ſemper periculoſum, tam experientia teſte, quam juxta prudentiſſimum monitum illuſtris HOFFMANNI, deprehenderim,) ſubjunctis temperatis amaris & abſtergentibus, ſicque lente convaluit, quamvis per plures menſes in totum cum ſanitate in gratiam redire non potuerit.

OBSERVATIO CVII.

Dn. D. VALENTINI ERNESTI EUGEN. COHAUSEN.

Uterus inverſus feliciter exſectus.

Quam mira de utero veneranda crediderit antiquitas, ut PLATO animal concupiſcentiæ particeps, ARETÆUS viſcus prope animatum & velut animal quoddam in animali eſſe crediderit, prout id a mulieribus & ſtolida plebe ſæpius mordicus defendi audivi, res eſt notiſſima; nam eo fere devenit, ut, quidquid ſpaſtici aut torminoſi fœminas moleſtat, ſtatim utero, & non raro quoque a peritis Medicis, adſcribitur, adeo ut etiam ruſtici dolores, quos patiuntur, colicos non raro utero adſcribant. Sic ante aliquot annos Præfectus cohortis militaris me conveniebat, conquerens de recurrentibus doloribus flatulentis & colicis, qui, cum ipſi explicarem tam morbum, quam locum adflictum modumque fiendi, illico reponebat, quosdam ſibi dixiſſe, hæc pathemata provenire ab utero, inque ſuo pago habitare mulierem ita adfectam & hanc ſimiliter eſſe hyſtericam, unde ſe quoque hyſteralgia laborare acriter contendebat. Regerenti porro mihi, quod uterus ſit pars mulieribus unice duntaxat propria, ac generationi & fœtus geſtationi unice dicata; qua idcirco viri deſtituti eſſent, iterum reſpondebat: Aperte jam video, Domine, quod morbum meum non cognoſcas, nec velis capere, quod ex ute-

ro laborem, hinc & tua adsumere nolo medicamenta, statimque indignabundus abiit. Sicuti autem inprimis fœminarum complures firmiter credunt, suffocationem sic dictam hystericam exinde provenire, quod uterus versus collum adscendat; ita alii sustinere volunt, uterum inverti & prolabi nequaquam posse, quoniam a provida natura satis firmiter adnexus esset partibus ambientibus quatuor scilicet ligamentis, binis latis, a peritonæo oriundis, quas *vespertilionum alas* quidam vocant, binisque rotundis, e lateribus fundi uteri procedentibus, his tamen non obstantibus, docent observationes, uterum omnino interdum prolabi & inverti posse, id quod etiam suo confirmat adsensu REGNERUS de GRAAF, Tr. *de mulierum organis Cap. 10. pag. 146.* his verbis: *Quantum ad nos attinet existimamus in difficili partu, dum placenta firmius adhæret, & ab imperitis obstetricibus nimium attrahitur, id aliquando contingere posse, rarissime licet eveniat: in virginibus (nisi quandoque incredibilia contigerunt) impossibile judicaremus.* Huic quoque subscribere videtur Clariss. JUNCKERUS *in Consp. Chirurg. Tab. XXVIII. pag. 176.* his verbis: *Nunc inversus est uterus, & tunc instar molæ carneæ, quæ caput majoris infantis refert, intra femora propendet, ac serum cruentum e poris & vasis illius profluit;* unde etiam in cautelis practicis prudenter monet: *Accedente vero partus tempore quovis modo caveatur, ne ruditer parturiens tractetur, alias descensus in præcipitationem, vel plane inversionem transit.* Sic quoque LOMMIUS *in Observ. Med. Lib. II. pag. 241.* ita scribens: *Idem morbus longe gravior reddetur, cum eversus uterus (quod tamen rarius accidit) foras provolvitur - - - - Uteri fundus magnitudine ovi anserini, aut struthio cameli foras prominet, admisso digito obvius.* Nec etiam plenarie dissentire videtur Illustr. HOFFMANNUS, in *Medic. polit. Part. II. cap. 3. regul. 5.* dum ait: *Non concludendum*

Conf. Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. VII. & VIII. Obs. 98. p. 419.

dum universaliter, ac si procidentia uteri sit impossibilis, nemo tamen sibi persuadeat totalem uteri eversionem instar mitræ fieri, quod plane absurdum foret. Ejusmodi funestum exemplum anno MDCCXXV. Cusæ, in pago ad Mosellam sito, evenit, ubi pauperculæ totum uterum extraxit præstupida obstetrix, illaque repente exclamavit, quod sibi cor extrahatur, & statim extincta fuit. Interim præfatæ sententiæ, de possibilitate totalis prolapsus & inversionis Uteri quoque adstipulatur Celeberr. HEISTERUS in *Chirurgia sua Cap. 155. pag. 786.* aliosque Auctores, qui eandem observarunt, simul adlegat, unde etiam me non injuste facturum arbitror, si notabilem illam, quæ paucis abhinc annis mihi obtigit, communicavero observationem, in sequentibus consistentem: Anno MDCCXXXVIII. d. 1. Decembr. Anna Schaaf, ex Neundorf, pago quodam ad ripam Rheni prope Confluentiam sito, quadraginta sex annorum, mulier honestæ vitæ, in matrimonio suo cæteroquin sterilis, tendens post prandium Confluentiam, in medio viæ vehementissimo corripitur tenesmo, sub quo desidenti & alvum exonerare nitenti, uterus per vulvam prolabitur & invertitur. Domum ergo iterum delata, obstetricem vocari jubet, quæ reponere partem hanc conatur, sed frustra; advocantur chirurgi, qui omni modo repositionem tentant, irrito vero pariter conamine, advocor tandem & ego, remque insolitam miror, & cum inflammatio jam imminere videretur, sacculos statim parari jubeo ex speciebus discutientibus & resolventibus cum vino coctis, tum ad inflammationem, tum ad gangrænam præcavendam, hocque metu evanescente mutatum fuit consilium, adplicando sacculos e speciebus emollientibus in lacte coctis; his vero nihil plane proficientibus, cum nullum plane superesse videretur remedium præter extirpationem, hinc mutos meos consulo Doctores, & in Ephemeridibus Nat. Curios. Dec. II. Ann. V.

obſerv. 150. a doctiſſ. WEPFFERO communicatum ſimilem deprehendo caſum, inſuperque non multum ab hac mea differre recordor obſervationem, de *prolapſu Uteri inverſi*, in peculiari ſchediasmate ab HENRICO *von* SANDEN deſcriptam. Obtenta ergo ex his confirmatione, tandem d. 14. Decembr. ad operationem properatur, mulier reſupina, capite reclinato, & elevatis clunibus, collocatur, uterus prolapſus prope vulvam quam arctiſſime filo ſtringitur & ſuſpenſus tenetur a Chirurgo New Vallendarienſi, perque huiatem Chirurgum Dominum Schmitz novacula abſcinditur; ſanguini effluxus paululum dein relinquitur, ad præpediendam inflammationem, poſtmodum fungus, quem boviſtam, ſeu crepitum lupi vocant, adplicatur, & duplicatis linteis aqua calcis vivæ & ſclopetoria, cum lapide medicamentoſo Crollii, imponitur, conjuncta ſimul interne mixtura analeptica, ſervatoque exacto regimine. Nulla interim ſuſpecta eveniebat hæmorrhagia, adeoque actuali non opus erat cauterio; nulla proinde inflammatio, nullaque febris ſuccedebat, dolorque ſatis moderatus erat, nec admodum diu durabat, ut ita intra duarum circiter ſeptimanarum ſpatium plenarie reſtituta fuerit, quemadmodum jam eam ſæpius obviam & valentiſſimam video, & niſi maxime verecundæ, nec minus caſtæ & honeſtæ mulieris obſtaret rubor, multas lubentiſſime eidem propoſuiſſem quæſtiones, non minus utiles, quam curioſas, caſum hucce magis illuſtrantes.

OBSERVATIO CVIII.

Dn. D. VALENTINI ERNESTI EUGEN. COHAUSEN.

Insignes Hydropotæ.

Mos ille inter Germanos inolevit & a sera posteritate nimium adhuc observatur, ut piaculo ducant convenire, & non bibere. *Mors*, inquit SENECA, *est non esse*, Germanus vero mortem, non bibere, esse putat. Hinc sitim ferre Teutoni admodum grave, prout de suo jam tum tempore testatur CORNELIUS TACITUS de moribus Germanorum §. 22. *Diem noctemque continuare potando nulli probrum. Crebræ ut inter vinolentos rixæ raro conviciis, sæpius cæde & vulneribus transiguntur, sed & de reconciliandis invicem inimicis & jungendis adfinitatibus & adsciscendis principibus de pace denique ac bello plerumque in conviviis consultant, tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat;* & §. 23. *sine adparatu, sine blandimentis expellunt famem, adversus sitim non eadem temperantia.* Hæc sane, si paulo attentiori consideramus animo, vere dici potest: Impleta in nostris hæc est scriptura diebus; tota enim fere die bibitur, & quanto nobiliores & illustriores sunt conventiones, tanto majores & enormiores sunt potationes & vini ingurgitationes.

Anno MDCCXXVI. rogabat me vir quidam præclarus, ut ipsum cum uxore sua comitarer ad Thermas Bertlichianas in superiore Archidiœcesi Trevirensi, duabus leucis a Mosella & una ab Illustri Abbatia Springirschbacensi, inter mera rudera sitas. Annuo votis, ibique inveni non nisi rusticos & pauperes, qui summopere balnei vires extolle-

tollebant. Hos inter aderat quoque rustica mulier, ex pago Montzel, quæ de vagis artuum doloribus, & nescio quibus sanguineis impuritatibus conquerebatur, atque absque consilio alicujus Medici, (siquidem singuli illi suo tantum indulgebant genio,) quolibet die, antemeridianis horis bibebat de aquis istis thermalibus viginti ampullas, (quarum centum & octo constituunt duas amphoras, **eine Ohme/**) idque per tres integras hebdomadas, sine interruptione ulloque incommodo continuavit. Aqua promtissime per urinam transit, optimus fuit successus & effectus, cumque post annum iterum eandem conspicerem, sciscitabar, quomodo valeret, respondebat: optime, nec satis laudare poterat aquarum istarum effectum summe sibi proficuum. Alius mihi quoque notus vir illustris, si aquis soteriis Antoninianis utitur, ordinarie incipit bibere ampullam unicam adscendendo usque ad novem, sicque iterum descendit, per consequens, si ad supremum usque devenit gradum, tunc etiam quartam circiter totius amphoræ partem quolibet mane capit nec hactenus infeliciter aliquoties id successit, quamvis nulli suasor sim, ut imitatorem agat.

OBSERVATIO CIX.

Dn. D. VALENTINI ERN. EUGEN. COHAUSEN.

Variolæ & morbilli sibi invicem succedentes.

Variolarum & morbillorum origo & causa varie jam exercuit antiquorum ingenia, & haud exigua inter modernos excitavit litigia, cum peculiare illud exanthema soli & omni homini fere proprium sit, siquidem illos si excipias, qui hoc morbo tentati nunquam fuere, aliorum

respectu,

respectu considerationem vix merentur & omnino rarissimi sunt. Num Variolæ HIPPOCRATI aliisque antiquioribus notæ atque ab ipsis sub nomine anthracum, ut vult celeberr. HAHNIUS, descriptæ sint fusius demonstravit negavitque doctiss. WERLHOFIUS in *Disquisitione medica & philologica de Variolis* Unde suos deducant natales, an a sanguine menstruo retento, an vero ut ingeniose satis condendit Illustr. HOFFMANNUS *Med. systemat. Tom. IV.* §. *1. cap. 7. pag. 144.* latibulum virulenti hujus miasmatis, variolas producentis, medullæ spinalis tubuli obstructi constituant, exactius inquirendum adhuc restat. Interim curiosa quoque est sententia, quam PATINUS *Tom. I. Epist. ad Sponium Epist. 15.* profert, his verbis: *Inter alia opinionem Arabum falsam credo, quod e sanguine menstruo, hoc enim in casu nemo exemtus foret. Qui nunquam pultem comederunt, illi sunt exemti; credo esse rationem, que me exemit, cum tantum matris uberibus nutritus; pulticula alimentum grossum est, quod facit magnas viscositates & obstructiones stomachi & infimi ventris, facitque dispositionem ad morbos putredinosos; neque infantes mei subjecti fuere, quia cavi a pulticulæ usu invitis nutricibus & reclamantibus, sed evici, idque prospero successu.* Idem hoc in adversariis meis curiosis circa Observationes & scripta PATINI suo tempore, volente Deo, fusius indagare non negligam. Sicuti autem de variolarum causa & origine adhucdum disceptatur, ita & alia utilior quæstio adhuc ventilatur, quomodo tam curandæ quam præcavendæ sint? cum in præservatione summum Medici consistat artificium, quod tamen eheu! nimium & ab ægrotis & ab ipsis Medicis negligitur, maxime vero ab iis, qui Archiatri Principum constituti sunt, ut nempe inprimis sibi concreditorum sanitatem tueantur, de qua tamen parum interdum cogitant, donec anxii parentes, si istiusmodi epidemicum grassetur contagium, pro dilectæ prolis conservatione prophylactica exigunt remedia, qualia

 vero

vero num promitti tuto possint, valde sane dubito. Vidi quidem data fuisse cathartica, sudorifera, continuatum sic dictorum bezoardicorum usum adplicata vesicatoria, e collo suspensam Camphoram aliaque amuleta, infantes ab omni commercio cum infectis separatos & seclusos, ita quidem, ut nemo variolosos invisens cum illis tantum loqui ausus fuerit, qui infantibus istis sunt a servitiis, sicuti etiam mihi aliquando similem ob causam accessus ad aulam quandam plane interdictus fuit, quam diu variolæ grassarentur; interim tamen omni hoc adhibito studio variolæ præcaveri non potuerant, quarum curatio in illustrissimis his infantibus mihi demandabatur. Vulgus interim pro optimo signo habet, si pueri antea aliis exanthematibus laboraverint, & inprimis si morbilli præcesserint, per hos enim multum de isto miasmate dissipari aut inverti, sibi persuasum habent, cui tamen & constans refragatur experientia. Sic anno 1739. cum Confluentiæ populariter grassarentur variolæ, vocabar ad Consiliarii Cameræ Electoralis filium, quem ex variis signis variolis laboraturum esse conjiciebam, nec fefellit prognosticum, erumpebant enim variolæ, servatoque exacto regimine & paucis medicamentis præscriptis & adhibitis evasit feliciter, vix autem variolæ exsiccatæ erant, cum sub consuetis symptomatibus supervenirent morbilli, quibus & alter frater decumbebat, inque hoc iisdem, vix per aliquot dies disparentibus, succedebant variolæ, quod tertio horum & filiolæ eodem modo evenit, hancque variolarum successionem in aliis binis subjectis eodem anno notavi, ut proin hoc ex fundamento consectarium emergat, quod nullum aliud exanthema variolas æque ac morbillos benigniores reddere, aut eorum numerum imminuere queat, cujus tamen contrarium clariss. GOELICKE in *Selectis Francofurtensibus Volum. II. obs. 2. pag. 106.* observasse videtur, dum ita scribit.

Nec

Nec fugere quempiam poteſt, variolas confluentes & malignas contagioſæ indolis eſſe, id quod in purpura alba & confluente ſimiliter animadvertere aliquoties mihi contigit, ea tamen cum differentia, quod, qui hoc modo per contagium morbo iſto correpti, fuerunt, & mitius eodem laboraverint, & minori quoque periculo expoſiti inde fuerint. Specificum namque illud eſt miasma, quod evacuari non poteſt, niſi per motus certos, ſpecificos & adpropriatos.

(Confluentia Erfordiam miſſæ d. 10. Octobr. 1740.)

OBSERVATIO CX.

Dn. D. JOHAN. HERMAN. FÜRSTENAU.

Rheumatismus ex ſudore pedum retrogrado lethalis.

Vir fere quadragenarius, temperamenti ſanguineo-cholerici, Medicus & ipſe florentiſſimus, præterea & mathemathicis ſtudiis deditus, ſudore pedum perpetuo cum ἐυφορίᾳ adfectus, nocturnis non tam compotationibus, quam lucubrationibus nimium indulgens, & non niſi ſera nocte lectum petens, ſudores iſtos pedum, hactenus ſibi familiares, aliquamdiu non expertus, hinc rheumatismo totius, cum oppreſſione pectoris, correptus, non parum vitæ ſuæ metuit. Accidit opportune, ut non tam remediorum uſu, quam naturæ benignitate & congruo adhibito regimine, dolores rheumatici extrema magis occuparent, cum manifeſto reſpirationis hactenus impeditæ levamine, ſudoribus quoque pedum rurſus adparentibus, ut Podagram ſibi imminere per jocum ominaretur ægrotus. Hinc vero & brevi poſt aluo ſimul pertinaciter clauſa, neque iteratæ

 clyſte-

clyſterum injectioni auſcultante, æger, vix per quatuordecim dies clinicus, circa noctem inſultu apoplectico cum ſtertore correptus, venæſectione in brachio, in ipſo agone adminiſtrata, citius expiravit, quam vel Medicus ex vicinia vocatus advolare, vel conveniens ipſi medicina adplicari potuerit,

OBSERVATIO CXI.

Dn. D. JOAN. HERMAN. FURSTENAU.

Αὐτοχειρίας ſingularia.

Αὐτοχειρίας proprie dictæ & violentæ ut paſſim proſtant, ita circa æquinoctia & ſolſtitia frequentius eheu! contingunt paradigmata, a cauſis ſæpe phyſicis, ſæpius moralibus, non raro & utrisque derivanda, quas eo majori induſtria adnotare & poſteritati commendare par eſt, quo magis in obſcuro plerumque deliteſcunt, & ſero nimis, facta quaſi per ſomnium eorum, quæ ante triſtem ejusmodi obitum contigerunt, recordatione patefiunt. Lugubris ejusmodi caſus, ſi quis alius, in agro nobis vicino contigit in ipſo ſolſtitio hyberno anni proxime elapſi, quo V. D. M. vir ætatem intra trigeſimum & quadrageſimum annum mediam agens, temperamento melancholico præditus, & de ſingulari memoriæ debilitate & præcordialibus anxietatibus, maxime poſt paſtum, conqueſtus, & in primis mira mortis violentæ formidine diu agitatus, indeque proximis ante obitum fatalem diebus genibus flexis ſub dio ardentes ſubinde preces in cœlum miſit, propinquos & quoslibet obvios, idem ut facerent, adhortatus, quo nimirum a ſpectris & latronibus, a quo ſibi tantopere metuit, immunis degeret. Is media inter negotia domeſtica, a rudi, ut fertur, operario, verbis laceſſitus, tacite ſe ſubducens, in horto ædibus contiguo, enſe in propria viſcera adacto, brevi vitam

cum

cum morte commutavit. Facta in ipsis vigiliis festi Nativitatis Christi cadaveris sectione, vulnus diaphragma & arteriam pulmonalem perforans, & sanguinis extravasati copia in pectoris cavitate occurrens, læsionem absolute lethalem satis arguerunt. Hinc vero suprema & infimima regione illæsis, pulmonum alter lobus flaccidus & collapsus, alter vero pleuræ undique adnatus, & quod caput rei & totius sine dubio scenæ auctor extitit, loco intra cartilaginem ensiformem & ventriculum medio, sub diaphragmate, globulus quidam pinguis, pugni magnitudinem referens, deprehensus fuit. Phænominis hisce singularibus merito jungenda veniunt ea, quæ in alio non minus lugubri, quod circa æquinoctium a. c. contigit, exemplo, obvia fuere. Locus, in quo postremum hoc contigit, vix uno lapide a priori distat, & vitæ quidem genus utriusque diversum fuit, sed causæ antecedentes, & partium internarum situs, ac fluidarum temperies multum inter se invicem commercii alere deprehendebantur. Erat nimirum vir officio non minus publico, quam maritali per aliquot annos strenue functus, ob perpetuas vero angustias ac præcordiales anxietates aliquamdiu vitæ pertæsus, qui communicato, quod serio ceperat, magnus sibi violentas inferendi, cum propinquis, ipsisque Theologis, consilio, quotidianis ac solemnibus precibus more consueto, in superiori ædium contignatione, alta voce ad Deum missis, præter omnem expectationem globulo a sclopeto exploso frontique immisso, vitæ filum abrupit, posteaquam scalpellum & similia arma lethifera, eundem in finem in lecto subinde occultaverat, sed aliunde impeditus id, quod animo agitavit, effectui dare non potuit. Facta hinc corporis exanimati sectione & sollicita omnium, quæ adparebant, exploratione, præter polypum notabilem in dextro cordis ventriculo conspicuum, & anxietatum perpetuarum causam sine dubio effectricem, alter

pulmonum lobus diaphragmati, rariſſimo exemplo, adnatus viſus fuit, unde adeo in anguſtiarum frequentium originem, quæ vitæ attulerunt tædium, penetrare haud difficile fuit. Utrumque certe phænomenon ſenſum omnem in homine vivente fugiens, omnemque reſpuens medelam, brevem certumque vitæ terminum, ominari eſt viſum; an æque violentum & propriis manibus, anticipandum, hæreo, aliisque dirimendum relinquo.

OBSERVATIO CXII.

Dn. D. JOAN. HERMAN. FÜRSTENAU.

Criſeos ophthalmicæ lætus triſtisque eventus.

Criſes, ſeu eccriſes potius, in noſtris regionibus paulo eſſe infrequentiores, quotidianus rerum uſus docet, ſed frequentius occurunt translationes, congeſtiones & decubitus humorum ad certum aliquem locum, ubi minorem reſiſtendi vim deprehendunt, qui ultimi modo majori, modo minori & ſenſum fere omnem fugiente excretione ſtipati, criſeos ſubinde vicem ſuſtinent maximumque corpori emolumentum aut ſpondent, aut refera fœnerantur.

Talem humorum & ſanguinis inprimis decubitum ad oculum dextrum in proprio corpore cum maximo valetudinis commodo bis expertus ſum. Febre enim catarrhali benigna aëris partim humidi an. MDCCXXXIX. partim frigidi nimis & horridi an MDCCXL. vitio contracta, cum ſymptomatibus conſuetis laboranti, die morbi ſeptimo ſemel atque iterum tumor ruborque oculorum,absque tamen dolore notabili, acceſſit, & ad diem usque quartum & decimum, remediis duntaxat diapnoicis, cum ſimili regimine uſurpatis, conſtanter perſtitit, hinc demum rubore omni

&tu-

& tumore sensim evanescente, pristinam sensim redire corporis alacritatem animadverti. Sed aliam longe sortem expertus est venator mediæ ætatis, liquorum ardentium abusui deditus, qui & ipse occasione frigoris M. Novembri a. p. præmature ingruentis, febre acuta epidemica correptus & paucorum spatio dierum ad se redire visus, aëre sereno, & terra nivibus cooperta, iter faciens, aciemque oculorum, radiis solaribus in adversum sibi nitentibus, intendens, domum hinc redux, aurium, mox oculorum dolore & rubore correptus est, quibus, neglecto regimine conveniente & debitorum præsidiorum usu, mirum quantum adauctis, aliorum suasu, celebris in vicinia Ophthalmiatri, id vero est, Chirurgi castrensis, opem imploravit, qui una cum sociis oculum jam inflammatum tumidumque sacrificationis ibidem institutæ, itemque setacei trajecti, quin & ipsius lapidis infernalis sæpius adpositi ope, concessa simul, immo imperata diæta rudi & spirituosa, paucisque ac plane incongruis exhibitis internis remediis, id effecit, ut oculus omni sensu successive exutus, pugni magnitudinem fere, horrido adæquaret intuitu, ipse vero æger febre lenta tabidaque sensim confectus extremis vitæ diebus extirpationem oculi admitteret, utpote inutilis, atque ob tunicarum crispaturam humorumque coagulum ad videndum prorsus inepti, brevique post vita functus fuit.

OBSERVATIO CXIII.

Dn. D. JOAN. HERMAN. FÜRSTENAU.

Miasma venereum sub varia forma morbis aliis, præsertim chronicis, junctum.

Venerum illud virus, pessimis seculi moribus longe lateque dispersum, varias induere formas & morbos sæpe-

beni-

benigniſſimos mentiri, aut innocentium ſpecie adfectuum imperitis ſæpe imponere conſtat. Hanc vero larvam, qua plures fucati incedunt, ut rite detrahamus iis, qui pallio hoc turpitudinem ſuam velare nituntur, illisque, qui contagio forte admiſſo infecti ſunt, infantum, maritorum maritarumque exemplo, innocentium, congruis ut ſubveniamus præſidiis, & artis, & ægrotantium intereſt. Et Lepræ quidem fabulam, per tot ſecula decantatam, qua ſpecioſe tectus impune morbus diu inceſſit peſtilentiſſimus, pridem detectam, excluſamque dedi, *Diſſ. de Xenedochiis*, inque eo *Guidonem* & *Carolum PATINOS* Gallos, *BECKETUM* Anglum, inter Germanos vero G. W. *WEDELIUM* & *Polycarpum Gottlieb SCHACHERUM*, aliosque conſentientes deprehendo. Spasmodica pathemata, hodieque adeo frequentia, annon venereum interdum occultent inque ſinu gerant contagium, nuper in hiſce Actis, (*) ſed non niſi problematis loco, ita nempe, ut ingenuos decet veritatis indagatores, propoſui, addito uno alteroque paradigmate, quod conjecturam ſatis reddit probabilem. Nunc quæ porro hanc in rem notare licuit, addenda duxi. Vir juvenis eſt, qui trigeſimum ætatis annum cœlebs ſuperavit, in otio litterario laute ſatis & ſibi plerumque vivens, a contagio hujus mundi ſcelerumque labe prorſus immunis viſus. Is variis hactenus pathematibus ſpasmodicis & hypochondriacis, ut adpellantur, adflictus, & remediis exquſitiſſimis ſollicite, cum diæta conveniente, adhibitis, ne tantillum quidem adjutus, interea dislocationem partium infimi ventris in regione præſertim inguinali, alia inter perpetuo & a longo retro tempore cauſatus, neque raro pollutionis cujusdam diurnæ, ſeu madoris potius in orificio urethræ obvii, mentionem fecit. Is ſerio tandem rogatus, ingenue mihi

(*) *Volum. V. Obſerv. LVIII. p. 236.*

mihi confessus est, se plures ante annos Gonorrhœa laborasse, a Pharmacopœi socio, ut ipse autumat, præmature suppressa. Hinc lignorum decoctis & medicamentis antimonialibus rite adhibitis, atque mercurio dulci per vices interpositio non quidem salivandi, cum & lenis salivatio pridem adfuerit nec omni levamine destituta, sed alvum, additis catharticis, subinde subducendi scopo, demum & acidulis Pyrmontanis methodice usurpatis, non dum quidem malum omne sublatum est, sed mitius tamen urget, & rarius recurrit, idque ventriculi amarum eructantis plerumque vitio, cujus simile per omnia ante aliquot annos feliciter in integrum restitutum memini exemplum. Infantilis quid patiatur ætas tum aliunde constat, tum exemplo quoque Herpetis erysipelatodis in his ipsis actis (*) descripti, patet, ubi lac nutricis tantopere ab aliis accusatum, innocens fuit deprehensum, labe hinc in parentem vel utrumque, vel alterutrum redundante. His ipsis diebus infans puella nondum bimula curæ meæ commissa, quæ inflammatione indicis digiti manus sinistræ & dorsi manus dextræ adflicta, adhibitis congruis præsidiis internis & externis ad suppurationem perducta, notabilem puris quantitatem utrobique in quartum usque mensem ploravit, nulla hactenus vel consolidationis plenariæ, vel restitutionis in integrum spe adfulgente. Accedente hinc dentitione difficili, & oris interioribus sollicite hinc examinatis, ulcusculum quoddam in labii utriusque commissura, tuberculum vero nodosum tum in carpo, tum lumbo dextro deprehensum est. De causa tot tantorumque malorum rebellium ante omnia sollicitus, relatum accepi, matrem brevi post puellam hanc in lucem editam Phthisi, ut putant, extinctam esse, patrem vero hodieque superstitem vagæ & impuræ adeo quoque libidinis

(*) *Vol. IV. Observ. XLV. pag. 137.*

ſuſpectum eſſe; quin & ancillam frequentiſſimis baſiis puſillæ ejulatus demulcentem, lue revera venerea pridem laboraſſe. Unde etiam dudum frequenti edoctus experientia in eam deveni conjecturam, a nutricibus, fœda infectis labe, infantes, ab his vero totam, quin plures non raro familias ſcabie correptas, eandem vero refractariam admodum & malignam, indole hac ſua primam mali originem haud difficulter indicare.

OBSERVATIO CXIV.

Dn. D. JOAN. HERMANNI FÜRSTENAU.

Hydrops pectoris.

DE hoc adfectu plures, nec inconcinne cauſarum ſeriem enarrando, ſigna tum diagnoſtica, tum prognoſtica indicando, juvantia & nocentia, optimamque adeo medendi methodum oſtendendo expoſuerunt, quos inter ut Medici quondam Wratislavienſes, in appendice, qui ad calcem *Hiſtoriæ morborum Wratislavienſium* legitur, reliquis forſan omnibus palmam reddiderunt dubiam, ita, quæ ante quatuor luſtra a M. *Simone*, Hungaro, conſcripta de eodem argumento ſolemnis Diſſertatio, atque in ipſis feſtivitatibus Academiæ ſecularibus, meo ſub Præſidio, non ſine auditorum adplauſu, ventilata fuit, iisdem addi meretur. Hiſtoriæ ejusdem magno paſſim numero proſtant, majori in praxi occurrunt clinica, licet non autopſia ſemper anatomica, quam plura impediunt momenta, confirmata. Mihi certe unum itemque alterum occurrit exemplum haud quaquam e trivio petitum, in quo talia notare licuit ſymptomata, quæ in Hiſtoria morbi ab aliis ſollicite tradita, iisdem ſcilicet circumſtantiis, non æque occurrunt. In his nuper juvenis fuit Ebræus, 20. annorum, ab ineunte ætate

te gibbosus, cachecticus non æque asthmaticus. Is vere præterito, aëre frigido & humido peregre profectus, pedibus inprimis nive copiosa perfrigeratis, paroxysmo febrili semel atque iterum correptus est. Nulla, quantum quidem sollicita indagine instituta rescire licuit, adhibuit febrifuga medicamenta, adeoque nec chinata, aut adstringentia, multo minus arsenicalia, opiata, aut similia. Interea a febre constanter immunis mansit, sed pedibus tumere cœpit, quod quidem phænomenon pluribus aliis hoc tempore familiare non modo non noxium. sed & salutare & criticum initio habitum, eidemque præter universalia, purgantia & anticachectica, ipsaque pediluvia ex sapone confecta, nihil directe oppositum fuit; ægro per aliquot septimanas, immo menses, bene ingerente, digerente & egerente, nec nisi post pastum insolitam quandam dispnœam & mirum totius corporis languorum accusante, accedente sensim ponderis & fluctuationis in pectore sensu, qui & decubitum in dorso & latere alterutro impediendo, somnum hactenus profundum & sufficientem, noctu diuque impedivit. Monstri itaque quidpiam sub hoc schemate delitescere diu hariolari, & pectoris inprimis Hydropem suspicari, consultus cœpit Medicus, ideoque præter purgantia mercurialia, per intervalla, neque sine levamine adsumta, selecta inprimis diuretica, admistis tonicis & roborantibus, ex Tinct. Antimon. cum Spir. Corn. Cerv. asellis, nitro, cinnabari, æthiope minerali, Cascarilla, ipsoque sapone Veneto, baccis Juniperi, atque arillis Cynosbati, quorum inprimis efficaciam in casibus similibus expertus novit, varia sub forma varioque tempore exhibuit, neque pectoralia & resolventia ex Spermate Ceti, oleo amygdalarum dulc. Spir. Salis ammon. anisato, Croco, & similia prætermisit, eo quidem effectu, ut diu & per plusculos menses miseram æger vitam traheret & ὀρθοστάδιος plerumque maneret, donec sub finem M.

Dec. anni elapsi per aliquot dies lecto adfixus & incredibili atque perpetua anxietate, cordisque palpitatione, vigiliis, rhonchis sitique adflictus, circa solstitium hibernum animam efflaret.

Circa hunc, ut & ejusdem commatis ægrotos sequentia inprimis notatu digna sunt visa:

1.) Tumor pedum supra genua interdum adscendens, quin & abdominis regionem occupans, non tamen illam aut constanter, aut vehementer tumidam reddidit, neque in pectore adeo notabilis fuit, huic vero plus incommodi quoad respirationem attulit.

2.) Manuum inprimis tumor, Phthisi & Hydropi, aliisque morbis chronicis ultimo accedens, nunquam hactenus prognosin funestam, ut nec h. l. fefellit.

3.) Urinæ copiosum, quin doloribus junctum, profluvium, ut in pluribus aliis Hydropis speciebus, ita in Hydrope pectoris & h. l. sigillatim infidum, quin & funestum, cum aliis signis malis, præbere augurium, sollicita docet experientia.

OBSERVATIO CXV.

Dn. D. JOAN. HERMANNI FÜRSTENAU, Arthritidis indoles varia & singularis infrequentia.

Quod articulis cum exquisito dolore infestum est malum, longe aliam hodie & a pristina diversam refert faciem, posteaquam immortalis opera STAHLII, quam rerum confirmat usus, *pathologia*, quæ vocatur *falsa*, e foro medico aut prorsus proscripta, aut dubia saltem reddita, eidemque meliori longe jure, hæmorrhagiæ aut molientes, aut impeditæ, indeque oriundæ humorum metastases

stases & congestiones ad varia loca, surrogatæ fuerunt. Duum vero generum cum id ipsum ab omni retro memoria fuerit observatum, prout vel in uno alteroque manuum, pedum, aut coxæ articulo sedem fuerit nactum fixam, vel in toto articulorum systemate, incerto plerumque tramite passim oberraverit, ab una tamen causa tum qui falsæ adhuc pathologiæ favent, tum qui a plethora & impedito hæmorrhagiarum successu eandem repetunt, utrumque derivare solent; illis sal utrobique, varii generis, maxime tartareum, his vero sanguinis & lymphæ varias congestiones & decubitus accusantibus, utrisque & hæreditariam dispositionem, variosque in adsumtis atque excretis, itemque commotionibus corporis & animi commissos errores in subsidium vocantibus. Hæc ut ut sint, notabilem utriusque, fixæ & vagæ, arthritidis differentiam in eo me deprehendisse visus sum, quod illa præter nativam & hæreditariam, quoque aliam quamcunque dispositionem, aëris inprimis, plerumque etiam ex aquarum calcariarum vitio oriatur, adeoque nonnullis in locis endemia sit; hæc vero nullis fere locis, nulli quoque sexui, nec ætati parcat, quin ceu genuina plethoræ soboles, hujus undecunque exagitatæ, aut turgescentis occasione in actum erumpat. Hic certe locorum quantum per viginti annorum attentam, non propriam tantum, sed & alienam indagare licuit experientiam, ab omni calculo & podagra, quæ est summa optimi maximi Numinis clementia, immunes degimus, in eo nimirum tractu, qui utroque flumine, Visurgi & Extera alluitur, & montium elliptico tractu includitur, cum, quæ ultra montes sitæ sunt regiones, vix uno licet alteroque lapide hinc distantes, ægros podagricos aut calculo adfectos haud parco numero alant; cujus quidem phænomeni ratio, ut attentione maxime digna, ita alio forsan tempore & loco ad liquidum perducetur. Sed alia longe vagæ con-

ditio est arthritidis, utpote cujus in sexu praesertim foemineo, ipsisque puerperis, mensium & lochiorum minus rite succedentium, quin & haemorrhoidum vitio, tempestate praesertim gelida humidaque diu molesta, passim notare licet paradigmata, tanto frequentius in uno eodemque subjecto recurrentia, quo major causarum cumulus, plethoram inprimis vel augentium, vel foventium, vel exagitantium adesse solet. Quae si cum Podagra, inprimis nodosa & largo calculorum proventu, alibi satis frequenti, heic loci vero, in oppido nempe Rinteliensi & agro contiguo, fere ignoto, conferantur, evidens utriusque discrimen mali, neque tamen difficilis causarum, utramque foventium arthritidem, conciliatio erit, cum & morbos endemios, aëris & aquae vitio excitatos, non omnibus in universum, qui iisdem fruuntur, sed iis tantummodo, quos peculiaris & vel haereditaria, vel quaevis alia dispositio iisdem obnoxios reddit, esse infestos, constet; sicut vicissim plethora in locis, aëris aquarumque conditione Podagrae calculique ignaris, alia longe facie inducere, saepe & vagam producere solet arthritidem, exemplis passim obviis, & quae iisdem auxilium promittit opportuna medendi methodo, fidem dictis facientibus. In his foemina erat fere quadragenaria, aliquot liberorum mater, & ipsa arthritidi per plusculas saepe septimanas, si non menses obnoxia, quae M. Martio ab aliquot hebdomadibus puerpera, eadem iterum corripitur, & saevissimis torquetur cruciatibus. Rogatus suasi venaesectionem in pede quantocyus instituendam, & subjuncta potiuncula laxante ex Manna, Tamarindis, Rhabarbaro & similibus, exhibitis porro absorbentibus & temperantibus ex C.C. philos. praepar. Antimon. diaph. Nitro, arcano dupl. Succino, Coralliis, Cinnabari & Cascarilla, additis quoque Emulsionibus papaverinis, gelatinosis & mucilaginosis, ipsisque lignorum aliisque decoctis, regimen exquisite dia-

pho-

phoreticum injunxi. Quo facto paucorum spatio dierum incantamenti instar omnes evanuere dolores, ægraque præter omnium & propriam quoque spem atque exspectationem, opinione citius cum valetudine in gratiam rediit, ejusque rei famam longe lateque disseminavit. Enimvero plures utriusque sexus mox inter initia morbi, & morigeros nactus ægrotos, hac methodo curavi, quos DEUS sanavit, ut cum HENRICO *ab* HEER loquar. Quodsi vero malum initio sibi relictum, aut minus rite tractatum, per longas aut mediocres saltem invaluerit moras, frustranea fere omnia, aut nullo saltim evidenti effectu conspicua esse, quæcunque tentaveris præsidiorum genera, ut trimestre, quin & semestre & diuturnius spatium eidem non raro sit impendendum, palam est, eo quod coagulum quoddam, seu tenax pituita, initio per corpus aberrans, temporis tractu sedem in articulis fixam, sicut in membrana musculis inducta, albicans & tenax mucida, rheumatismum, fovens, materia, quæ est elegans DRELINCURTII observatio, nacta fuerit, donec vel temporis diuturnitate semet ipsam consumserit, vel in tubercula tophacea degeneraverit.

OBSERVATIO CXVI.

Dn. D. JOAN. HERMAN. FÜRSTENAU.

Arteria pro vena secta Lypothymiæ causa.

Varias inter Lypothymiæ, venæsectioni supervenientis, causas, ab aliis passim indicatas, non vulgarem mihi notasse visus sum in fœmina plethorica & succi plena, V.Snibus frequentibus adsueta & nunquam hactenus Lipothymiam experta. Illa enim V.Snem in pede instituta, eumque in finem pedibus in aquam tepidam immissis, Chirurgi adventum diu, sed frustra, exspectans, inde-

que

que ut & ob alias caufas domefticas animo vehementer commota, ab adventante tandem Chirurgo, facto in talo pedis finiftri foramine fatis exiguo, tanto cum impetu fanguis profiluit in faciem & collare Chirurgi, ut cachinnum primo in fœmina, fed brevi poft Lipothymiam infuetam excitaret, fanguine & in ipfo animi deliquio facta ligatura difficulter coërcibili. Hanc vero fyncopen plurium deinde dierum excepit languor, qui & ipfe cum V.Sni anfam dediffet, ab eodem & lipothymiam derivandam effe, vero fuit fimile. Aliquot vero annis interea exactis, facta eodem loco & iisdem phænomenis, in fœmina nunc fana & ab animi commotione libera, fanguinis evacuatione, & lipothymia pariter præter opinionem accedente, arteriæ venæ loco incifæ fufpicio non incidit tantum, fed & facta in loco iterum confolidato exploratione, pulfus in eodem manifefto deprehenfus fuit.

(Rintelio Erfordiam transmiſſa d. 20. Novembr. 1740.)

OBSERVATIO CXVII.

Dn. D. PAULI GERARD. HENR. MOEHRINGII.

De

Narthecio, novo plantarum genere.

§. I.

Character ſpecificus.

Planta perennis, e fummitate radicis aliquot foliorum fafciculos, feorfim pofitos, protrudens, in ericetis arenofis

nosis palmaris, in humidis graminosis plerumque pedalis circiter.

Rad. corpus minoris pennæ anserinæ, vel majoris aut quandoque mediocris columbinæ crassitie, nodosum, horizontaliter repens, perpendiculariter ramosum, teres, ex albo flavescens, longitudine 3. ad 5. digitorum transversorum, antequam foliorum alium fasciculum protrudat. *Radiculæ* capillares fibrosæ, flexuosæ, breves, fibrillis brevissimis lateralibus sparsim cinctæ, densissimo agmine e geniculis corporis exeuntes, intervallis nudis.

Fasciculus quilibet in basi aliquot foliis siccis cingitur, cujus dispersæ fibræ longitudinales siccæ radiculas mentiuntur. Prodeunt 1. 2. vel 3. quandoque etiam plures foliorum fasciculi ex eodem radicis loco, interdum etiam gemma novella adparet ad latus.

Folia radicalia 4. 5. 6. ut plurimum distincte posita, erecta, externa breviora, falciformiter gladiata, lævia, longitudine 2. 3. 4. digitorum transversorum vel locis graminosis humidis duplo longiora, latitudine $\frac{1}{4}$. ad $\frac{1}{3}$. digiti transversi, acuminata, longitudinaliter nervosa, ex pallidissimo flavescente læte viridia, margine interiori a parte dimidia inferiore perpendiculariter bifido, carinata & proximum folium pariter, ac scapum, vaginæ instar, amplectente: *caulina*, unius vel alterius pollicis transversi longitudine, rara, sessilia, erecta, inferiora amplexicaulia, superiora semiamplexicaulia sensimque minora, figuræ & substantiæ ut supra; *floralia* vaginula spathæ formis, erecta, lineari-concava, acuta, 2. aut 3. linearum longitudine, pedunculis arcte adpressa, ac fere eosdem involvens, ejusdem cum pedunculo longitudinis: al-

terum adhuc tenuius, planum, lineare, mediæ circiter pedunculis parti adfigitur.

SCAPUS ſimpliciſſimus in ſingulo foliorum faſciculo, quamvis 3. 4. 5. ſæpe radicibus ſuis in uno ceſpite cohæreant, rariſſime ad ſpicæ florum initium unico ramulo donatus, longitudine palmari, ſpithamæa, aut parum altiori, teres, vix compreſſus, interdum infra leviſſime anguloſus, erectus, glaber, e viridi ruffeſcens, aut plane viridis, craſſitie circiter pennæ columbinæ.

FLORES in ſummitate ſcapi, 8. ad 16. raro 18. rarius 20. in ſpicam infra laxiuſculam, ſuperne vero denſam diſpoſiti, e *pedunculis*, corolla duplo circiter longioribus, aut illi æqualibus, filiformibus, craſſiuſculis, ſcapo fere adpreſſis, erecto-parumper patulis, ruffeſcentibus, egrediuntur.

CALIX nullus.

COROLL. *Petala* ſex, lanceolato-linearia, concava, obtuſa, prorſus uniformia, potentiſſima, perſiſtentia; longitudine $\frac{1}{4}$. dig. rhen. latitud. $\frac{1}{12}$. dig. rhen. intus citrea, extus flavo-viridia, odorata.

STAM. $\frac{1}{4}$. corolla breviora. *Filamenta* ſex, ad baſin petalorum enata, adſurgentia, tubulata, circum circa villoſa, $\frac{1}{3}$. petalis breviora, citrea: *villi* capillacei, breves, oblique adſcendentes, vel quandoque etiam horizontales, citrini. *Antheræ* ſimplices, oblongæ, compreſſæ, biſulcæ, cinnabarino-miniatæ, primum erectæ, mox extrorſum recurvæ, obtuſe unciatæ, ac prope apicem parum coarctatæ, longitudine $\frac{1}{3}$. filamentorum.

PIST. *Germen* ovato-acuminatum, obtuſe trigonum, & ſulcatum, (hinc tandem ſexangulare,) erectum, ſimplex,

plex, longitudine filamentorum. *Stilus* nullus. *Stigma* minimum, obtusum, planiusculum.

PERIC. *exterius.* Corolla marcescens, erecto - connivens. *interius* & *proprium.* Capsula ovato - oblonga, attenuata, acuta, erecta, obtuse sexsulcata, non nisi capsula perfecte sicca, apice trifariam dehiscens, ½. ad ½. corolla longior, glabra, ruffescens, interne tribus valvis perpendicularibus prædita, trilocularis. Valvæ hæ infundibulum obtusum prismaticum formant.

SEMINA in quolibet loculo numerosa, parva, oblonga, albida, utrimque capillari & tenuissimo filo setaceo, altitudinem capsulæ attingente, utrimque æque longo, lacteo, parte superiori prope insertionem in semen angulato, prædita, basi loculorum infixa.

§. 2.

Locus & tempus.

E perennante radice quotannis novos foliorum fasciculos vernis mensibus protrudit. Floret apud nos tota æstate. Semina perficit Septembri & Octobri. Hortorum pingue solum ægre fert. Nec enim plantæ cum cespite effossæ, in hortum aliquoties a me transplantatæ, progerminare; nec sata semina prodire voluerunt.

Crescit prope *Jeveram Frisonum*, *varietas minor* in apricis & subhumidis ericetis, tenui gramine vestitis; *major* ad vias subhumidas graminosas in sylva Upieverana. Est præterea in humidis *Flandriæ* ericetis, DODON.; in subhumidis & paludosis *Angliæ* & *Flandriæ*, LOBEL.; in ericetis palustribus, *Maldeghemo* vicinis, secundo a Brugarum urbe, in *Flandria*, miliari, CLUS.; in *Dania*, loco *Ved Viborg* dicto, floret Junio, KYLLING.; in bogs in *Surrii Angliæ*,

MERRET. ; in *Angliæ* & *Cambriæ* paluſtribus, RAJ. ; in variis *Norvegiæ* regionibus, *Act. Hafnienſ. Volum. II. p. 126.* in ſubhumidis *Finmarkiæ Norvegicæ*, ad latus ſeptentrionale Alpium Lapponicarum, LINN. ac tandem in parœcia *Stenbrohultenſi Smolandiæ* in *Suecia*, *Idem*; & ſi SIM. PAULI fides habenda, prope *Varſoviam*, indicante id Viridario Varſovienſi. Ergo plantæ nullum frigus hibernum lethale quum a gradu 52. ad 70. elevationis polaris creſcat.

§. 3.

Figura.

Ut omnes fructificationis partes diſtincte exhiberem, omnia delineavi nativa magnitudine, *Tab. VII. Fig. 1.*

a a. Gemmæ ad geniculos corporis radicis.
b b. Foliorum faſciculi.
c. Geniculum in ſcapo.
d d. Vaginæ ſpathaceæ florales.
e. Flores nondum aperti.
f. Corolla recens aperta, antheris erectis.
g. Corolla adoletior, antheris extrorſum recurvis.
h. Filamentum unum, ſeorſim pictum, ut villi explicatius ſiſtantur.
i. Anthera erecta, biſulca.
k k. Germen.
l. Pericarpium utrumque cum pedunculo.
m. Pericarpium proprium, nudatum a corolla marcida.
n. Sectio transverſa capſulæ, loculorum numerum & figuram offerens.
o. Sectio longitudinalis, cavum loculorum & columnam intermediam exhibens.
p. Semina, in ſetam utrinque exeuntia.

§. 4.

Nomina.

NARTHECIUM. vid. Tab.

Anthericum ſcapo folioloſo laxe ſpicato, filamentis villoſis. *Linn. Fl. Lapp.* §. *136. Roy. Prodr. Leyd. 45.*

Aſphodeliris major paluſtris lutea odora noſtras. *Prim. lin. 14.*

Phalangium Anglicum paluſtre, iridis folio. *Tourn. Inſt. 268.*

Pſeudoaſphodelus I. *Cluſ. hiſt. 1. p. 198.* fig. e. Dodon.

Pſeudoaſphodelus paluſtris Anglicus. *Bauh. pin. 29.*

Pſeudoaſphodelus paluſtris. *Heiſt. Helmſt. 1731. p. 23.*

Aſphodelus minimus acorifolius luteus paluſtris. *Lob. obſ. 47. Ic. 92.* fig. utraque e Dodon.; *Lob. adverſ. 46.* *deſcr. ſteril. Mentz. ind. 38.*

Aſphodelus luteus acorifolius paluſtris Anglicus Lobelii. *Bauh. hiſt. 2. p. 633.* fig. & deſcr. e Dodon.

Aſphodelus minimus luteus paluſtris, acori folio. *Mor. hiſt. 2. p. 332. ſ. 4. t. 1. f. 7. Herm. Lugdb. 65. Zumb. flor. Lugdb. 121.*

Aſphodelus paluſtris, carinato folio. *Merr. pin. 12.*

Aſphodelus luteus paluſtris. *Dod. pempt. 208.* fig. quoad habitum ſatis bona, deſcr. imperf.; *Kyll. Vir. Dan. 12.*

Aſphodelus luteus paluſtris 7. *Tab. Germ. 2. p. 366.* fig. mala, quoad bulbum radicis falſa.

Aſphodelus paluſtris. *Dalech. hiſt. 993.* fig. e. Dodon. deſcr. indidem fere deſumta. *Paul. Vir. Warſ. indig. 292.* & *Græning. 605.*

Aſphodelus falſus, vel Pſeudoaſphodelus paluſtris Anglicus. *Mentz. ind. 38.*

Aſphodelus Lancaſtriæ Gerardi. *Raj. Cat. Angl. 33.*

Gramen Norwagicum oſſifragum. *Paul. Quadrip. 529. ſqq.* ubi multa fabuloſa.

Gramen oſſifragum. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. II. p. 126. ſqq.* fig. rudis ſcapi defloreſcentis, & quoad radicem, ficta.

Gelber Sumpf- Aſphodill, *vel* geel Waſſer - Aſphodill. *Germanis Herbar. veterib.*

Geele Water Asfodillen. *Dod. Belg. 343.* fig. & deſcr. ead. c. Pempt.

Làncashire Aſphodil, *or* baſtard Aſphodill. *ſec. Rajum*, Anglice.

Small Water Aſphodill. *Anglice, ſec. Merret.*

Been-Brud. *Danice, ex Kylling.*

Beengræſſ. *Norvegis, ſec. Paul. Quadrip.*

Stur. *Norvegice. Act. Hafnienſ. Vol. II. p. 232.*

Stoerregræſ. *Bergis Norvegiæ. Treubler Act. Hafnienſ. l. c, p. 133.*

Ilagræs. *Smolandis. Linn. Lapp. l. c.*

α. Varietas, ſola peavitate differens, & ſcapo ſubnudo, quid ? quod interdum plane nudo.

Aſphodeliris minor paluſtris lutea odora noſtras. *Prim. lin. 14.*

Phalangium Scoticum paluſtre minimum, iridis folio. *Tourn. Inſt. 369. Dillen. apud Linn. Lapp.* §. *136. V.*

Pſeudoaſphodelus paluſtris Scoticus. *Bauh. pin. 29.*

Pſeudoaſphodelus minor. *Bauh. hiſt. 2. p. 633.*

Aſphodelus falſus, vel Pſeudoaſphodelus paluſtris Scoticus. C. B. *Mentz. ind. 38.*

Aſphodelus Lancaſtriæ verus. *Ger. emac.; Raj. Cat. Angl. 32.* Synon.; *Merr. pin. 12.*

§. 5.

§. 5.

Derivatio & ratio nominum genericorum.

A DODONÆO ad *Aſphodelos* relata planta, quietum in iis locum ſervavit, donec CLUSIUS, ejusque adſeclæ, *Aſphodelis adfinem* pſeudoaſphodeli nomine, declararent; quod MENTZELIUS *Aſphodelum falſum* interpretatus eſt. Majori deinceps jure TOURNEFORTIUS ad *Phalangii* genus herbam noſtram retulit, modo nomen, inſecto proprium (a) retineri potuiſſet. Hinc adſumta ex THEOPHRASTO & DIOSCORIDE *Antherici* voce, LINNÆUS (b) a Phalangiis reliquis, quæ ipſi *Bulbines* nomine veniunt, aliquas ſpecies ſeparavit, quas inter noſtra. Aſt eodem temporis intervallo, nondum viſis operibus *Linnæanis*, penitius, ceu imaginabar, examinato flore & fructu, *Aſphodeliridis* genus ex ea conficiebam *ego*, ut ſimilitudinem faciei irinæ cum aſphodeli ſpica conjungerem. Jamque tradita erat obſervatio Illuſtr. BUCHNERO noſtro, quæ *Act. Nat. Cur. Volumini IV.to* infereretur, quemadmodum alibi (c) indigitavi. Læta autem hora non ita multo poſt miſſam ab amiciſſimo LINNÆO Criticam ipſius *botanicam* perlegens, ac viſis in nomine hujusmodi compoſita adverſariis, propoſitis ejus indulgendum ſatius duxi; quem in finem mox a BUCHNERO noſtro humaniter petii, vellet dictam obſervationem ſupprimere, aliam paulo plus politam ſuppeditaturus. Enata hinc ipſa, quam habes, obſervatio, cui *Narthecii* titulum præfixi. Quo jure? inferius (§. 10.) dijudicare licet. Ut tamen nominis heic ratio pateat, νάρθηξ, ναρθηκία, & ναρθήκιον, Græce *ferulam*, vel *bacillum* denotan-

(a) *LINN. Fl. Lapp. l. c.*
(b) *gen. plant.* 303.
(c) *Prim. lin. hort. mei, l. c.*

tantia, fuere adhibita a THEOPHRASTO, GAZA, PLINIO, promiscue pro *Ferulæ* & *Asphodeli* genere denominando. Vagum hoc, & simul antiquum nomen, adprime plantæ nostræ, bacilli vel virgulæ instar simplicis erectæ, conveniens, & in vicino olim genere usitatum, huc transposui.

§. 6.

Historia.

Primus nostram descripsit & depingendam curavit DODONÆUS, unde suas descriptiones hauserunt LOBELIUS in *Obs.* & *Advers.* nec non *JO. BAUHINUS*, & ex parte CLUSIUS, qui ob habitum scapi foliorum nomen *pseudo* adjecit. Nil fere mutavit TABERNÆMONTANUS, præterquam quod binos scapos, totidemque foliorum fasciculos pingat. Quæ *Sim. PAULI* & *BARTHOLINUS* in *Act. Hafniens. l. c.* suggerunt, alienæ fidei adeo innituntur, ut ex cognita stirpe, & missis incompletis herbæ frustis *Gramen* fingerent Anthericis jungens LINNÆUS, vix fructum & semina matura ad manus habuisse videtur. Descriptio nulla bona. De figuris judicium amplius fuit §. 4. Mea observatio (§. I.) e curis, per octennium multoties, renovatis, conflata est.

§. 7.

Character genericus.

CAL. nullus.

COROLL. *Petala* sex, oblonga, concava, obtusa, æqualia, patentissima, persistentia.

STAMINA marcescentia, corolla breviora. *Filamenta* sex, subulata. *Antheræ* perpendiculares, compressæ oblongæ, simplices, bisulcæ; mox extrorsum recurvæ.

PIST.

PIST. *Germen* ovato-acuminatum, e trigono mox sex angulare, simplex, longitudine filamentorum. *Stylus* nullus. *Stigma* minimum, obtusiusculum.

PERIC. *exterius. Corolla* marcescens, nonnivens.
interius & *proprium. Capsula* ovato-oblonga, acuminata, obtuse hexagona, trilocularis, apice trifariam tandem dehiscens.

SEMINA numerosa, tenuia oblonga, *seta* capillari utrimque exporrecta.

§. 8.

Anthericorum Linnæi partes fructificationis, per species evoluta.

Inquiram ante paullo curatius in Antheriorum LINNÆI diversas species, quam constare poterit de diversitate Narthecii nostri (§. 1.)

α. ANTHERICUM filamentis lævibus, perianthio trifido. *Linn. Hort. Cliff. 140.* descr.

Huic speciei, Virginiæ producto, est:
Scapus nudus,
Flores pedunculati, spicati, nunc solitarii, nunc vero bini, & terni fasciculati, ex eodem tuberculo: *pedunculi* squamam basi habent.
CAL. *Perianthium* minimum, semitrilobum.
COROLLA persistens, sexpartita, linearis, &c.
STAM. *Filamenta* sex, glabra, longitudine corollæ. *Anthera* cordatæ.
PIST. *Germen* ovatum, simplex. *Styli* tres. *Stigmata* totidem.

De pericarpio & seminibus nil addit; forte, quia inspecta exemplaria sicca ad eum maturitatis gradum nondum pervenerant. Eamdem postea GRONOVIUS, a quo suas LINNÆUS plantas habuerat, *Flor. Virgin. 1. p. 39.* a phalangiis

fructu & pistillo simplici; ab omnibus liliaceis, calyce differre pronunciavit.

β. ANTHERICUM scapo nudo capitato, filamentis glabris. *Linn. Fl. Lapp.* §. *137. t. 10. f. 3.*

Huic speciei Lapponicæ sunt:

Scapus nudus.

Flores sessiles in spica brevissima, in capitulum collecta: *bractea* nulla.

CALIX nullus.

COROLLA sexpartita, persistens, raro explicata, nivea.

STAM. *Filamenta* sex, glabra.

FRUCTUS subrotundus, obtusus, tripartitus.

Reliqua de *antheris*, *stylis*, *stigmatibus* & *seminibus* non adjecit.

γ. *Phalangium alpinum palustre, iridis folio.* Tourn. Instit. speciei huic, Helvetiæ soboli, est:

Scapus foliis 2. communiter vestitus, multo longioribus, quam in Narthecio nostro (§. 1.)

Flores pedunculati, sparsi, nunc arcte, (a) sæpius laxe (b) & alterno situ spicati; *squama spathæ* formis ad basin pedunculorum, semper solitariorum.

CALIX. *Perianthium* parvum, trilobum (c) laciniis obtusissimis.

COROLLA sexpartita, petalis lanceolatis. (d)

STAM.

(a) Cujusmodi siccum specimen misit optimus meus *Alb. HALLERUS.*

(b) Qualia aliquot exemplaria sicca ab humanissimo *Balth. EHRHARTO*, Meminga habeo.

(c) An planc tripartitum? quod in siccis adeo curate ob fragilitatem investigare nequivi.

(d) In *Halleriano* specimine petala ad ovatam figuram adcedunt.

STAM. *Filamenta* ſex, glabra, longitudine corollæ. *Antheræ*, cordatæ.

PISTILL. longitudine ſtaminum. *Germina* tria, conniventia, acuminata. *Styli* breves. *Stigmata* totidem globoſa.

PERIC. *Capſulæ* tres (e) ovato oblongæ, conniventes.

SEM. - - - -

Seminum nondum maturorum figura e ſpeciminibus meis ſiccis non patebat.

§. 9.

Juſta determinatio ſpecierum §. præcedentis.

E collatione (§. 8. litt. β & γ.) utriusque deſcriptionis liquet, diverſas eſſe ſpecies, atque *Linnæanæ* (f) quæſtioni, de iis jungendis, (g) locum amplius non eſſe. Quid? quod, commune ejusdem LINNÆI nomen (§. 8. α.) cadere quoque in ſpeciem tertiam (§. 8. γ.) poſſe conſtat. Hinc aliis nominibus ſpecificis utraque donanda.

Eſt ergo ſpecies 4. §i anteced.

ANTHERICUM ſcapo nudo ſpicato, floribus ſæpe faſciculatis.

Species autem γ. ejusd. §i.

ANTHERICUM ſcapo folioloſo ſpicato, floribus ſparſis, pedunculis ſolitariis.

§. 10.

Generis ratio & character eſſentialis.

ANTHERICO *Linnæano* ſpec. α. & γ. (§. 8.) eſt manifeſtum *perianthium*, ſpeciei vero β. (ibid.) nullum. Omnibus

(e) Inde HALLER. *Itin. Helvet. §. 64. pag. 90.* ſiliquas diſtinctas nominavit.

(f) *Fl. Lapp. §. 137.*

(g) Quod confirmat HALLER. *Itin. Helvet. l. c. not. h.*

bus tribus *α. β. γ.*, consentiente LINNÆO *Gen. 303.* sunt

Petala inæqualia, inferiora minora, persistentia.

Filamenta longitudine corollæ. *Antheræ* triangulares.

Germina tria; totidemque styli, ac stigmata & capsulæ.

Semina acuminata (h) angusta.

BULBINE *Linn. Gen. 269.* habet

Calicem nullum;

Petala decidua;

Antheras quadrisulcas;

Stylum longum, simplicem

Capsulam ex ovali subglobosam, vertice obtuso vix apicato, trisulcam, totam dehiscentem; &

Semina angulata, superne truncata.

NARTHECIUM nostrum (§. 1. & 7.) gerit

Calicem nullum,

Petala æqualia, persistentia;

Filamenta corolla breviora; *Antheras* compressas, bisulcas.

Germen simplex, e trigono mox sexangulare, staminibus brevius; *Stylum* nullum; *Stigma* minimum;

Capsulam ovatam, sex sulcatam, acumine longius producto, tenui; trilocularem, apice trifariam parum dehiscentem; &

Semina tenuia; corpore oblongo in setam capillarem, ad

(h) Qualia vero, si cum Bulbines genere Anthericum, excluso priori, conjungere velit suavissimus LINNÆUS? quod ex *Syst. Nat. Edit. 2. Class. 6. ord. 1. p. 1.* concludere licet; nisi errore typographico Bulbine omissa sit. Sane alia, diversa longe, angulata scilicet, & superne truncata, ut adparet e *Gen. 269.* & TOURNEF. *Instit. Tab. 193.*

ad inſertionem in corpus ſeminis utrinque angulum facientem, deſinente.

Ergo ſatis clara eſt differentia partium eſſentialium fructificationis, & inſignis diverſitas proportionis.

Styli abſentia, *capſula* ſimplex, & *ſeminum* ſingularis, faciunt, niſi me omnia fallunt, eſſentialem NARTHECII characterem.

§. II.

Reductio generis ad omnium Syſtematum claſſes.

Pertinet ergo genus noſtrum (§. 7.) in Syſtemate

(a) a Fructu deſumto,

1. CAESALPINI ad Claſſem IX. herbacearum, triplici principio, bulboſarum.
2. MORISONI ad Claſſem VII. hexapetalarum tricapſularium; ord. I. radicibus tuberoſis, fuſiformibus, nodoſis, fibroſis.
3. RAJI (i) ad Claſſem XXIII. ord. 3. graminifoliarum floriferarum, flore hexapetalo, ſedi fructus cohærente.
4. KNAUTII (*Chriſtoph.*) ad Claſſem VI. unicapſularium hexapetalarum; ord. I. trivalvium, trilocularium.
5. HERMANNI (k) ad claſſem tricapſularium, flore hexapetalo ſpicato; radice fibroſa fuſiformi:
6. BOERHAAVII (l) ad monocotyledones bracteatas, flore hexapetalo, ovarium amplexo, poſt *Phalangium*.

(b) a Corolla.

7. RIVINI, RUPPII, HEBENSTREITII, (m) LUDWIGII

(i) in *Meth. emend. & auct.*

(k) in ZUMB. *Flora Lugdb. Florib. p. 121. & adpend. ibid. p. 249.*

(l) *Hort. Lugdb. 2. 133.*

(m) HEBENSTREIT. *defin. plant.* §. 8. addit. floribus ſtelliformibus, in ſpicam collectis.

WIGII ad regulares hexapetalas capsula tripartita.
KNAUTII. (*Christ.*) ad hexapetalas uniformes, ad capsulas triloculares compositas, floribus fructus subjectis.

9. TOURNEFORTII ad Classem IX. Sect. 4. herbarum, flore liliaceo hexapetalo, cujus pistillum abit in fructum.
10. PONTEDERÆ (n) ad plantas, gemmis carentes, floribus polypetalis liliaceis.

(c) a. Calice
11. MAGNOLII ad herbas, calice interno tantum, bulbosis adfines.
12. LINNÆI ad classem 17. apetalorum, sexfidorum; post *anthericum*,

(d) a Staminibus
13. LINNÆI ad Hexandriam monogyniam, corollis hexapetalis nudis; post *bulbinem* (o) vel post *anthericum* (p)

(e) a Fructificatione tota
14. LINNÆI (q) ad ordinem IX. post *bulbinem*.
15. Royeni (r) ad Lilia, corolla hexapetala; itidem post *bulbinem*.

In his tantum dedi specimen aliquod, redigendi genus quoddam ad locum suum in quolibet excogitato Systemate; licet multæ Auctorum variorum, v. g. *num. 1. 2. 4. &c*, hujus §. classes aliter subdividi deberent.

§. 12.

(n) vid. LINNÆI *Class. plant. p. 371.*
(o) in *System. Sexual. p. 10.*
(p) in *Syst. Nat. edit. 2. p. 21.*
(q) vid. *Fragment. meth. nat.* in *Class. plant. p. 491.*
(r) *Prodr. Flor. Lugdb.* ubi ex ord. IV. Liliorum polygynorum eximatur species nostra, *Anthericis*, præeunte LINNÆO, adscripta.

§. 12.

Vires & superstitiosa rejecta.

Omnes hactenus Botanici de viribus plantæ nostræ siluerunt, adeo, ut nihil de ea constet, præter hæc LOBELII verba: (s) *Floribus lixivio maceratis puellæ crinem flavum inficiunt.* Pauca forte alia concludenda forent e verbis D.D. TREUBLERI in *Act. Hafn. Vol. II. Obs. 43. p. 135.* referentis, duos Chirurgos, sibi adstantes, & plantam nostram Centaurium minus existimantes, adfirmasse, se diu pro Centaurio minori in usum traxisse nostram, nec exinde mali quidquam profluxisse. Ut adeo vix credi queat, eam ullam pecori noxam conciliare, multo minus ossa illorum emollire posse, qualia credulum rusticorum Norvegicorum vulgus sibi persuadere certo voluit. Unde, licet *Sim. PAULI* in *Quadrip. Bot.* & *Act. Hafn. l. c. ibidemque* prudens *Thom.* BARTHOLINUS judicium ob plantam totamque ipsis ignotam rem, suspenderent, TREUBLERUS tamen jam in dubium vocavit, LINNÆO (t) *Flor. Lapp. c. l.* plane hæc negante. Nec ulla apud nos experientia, hominumve memoria constat, pecori ac seorsim ovibus morbum ex esu hujusce herbæ attractum esse. Et verum quidem est, in nostrarum quoque ovium jecinoribus (u) quotannis, mensibus auctumnalibus, vermiculos illos latos, pleuronecten AR-

(s) Quæ a RAIO *Cat. Pl. Angl. 33.* & BAUHINO *Hist. 2. p. 633.* repetuntur.

(t) Nescio tamen, cur idem optimus Amicus c. I. flori odorem manifeste virosum adscribat, qui semper & mihi & aliis gratus ac mellitus est visus. An differens odor: pro ratione diversi soli? in Smalandia forte mineralium particeps sicut & in Norvegia; quum heic terrarum in pura arena, leviter palludosa crescat.

(u) *LINN. Flor. Lapp. §. 136. litt. β.*

ARTHEDI Ichthyol. similitudine exscribentes (atque hinc patrio sermone *Bütte* nuncupatos,) generari, ovesque dictis in ericetis, ubi planta nostra provenit, pabulum frequenter quærere. Conf. LINNÆI *not.* 3. *cit.* Sed hi quoque in ovium scirrhosis jecinoribus inveniuntur, quæ nullum Narthecium, ericetorum aliorum, planta nostra carentium, pascua frequentantes, devorarunt. Nascitur enim heic terrarum ad aliquot milliaria longe lateque nullibi, ac circum sylvam Upieveranam,& in ericeto Ostringiæ. Quum autem nulla unquam ovis, in locis argillaceis, pingui lætoque gramine vescens, hisce vermibus inquinetur; omnino alia in re causam generationis horum vermium quærendam fore, patet. Jam vero indoles herbarum plurimarum exsiccantium & adstringentium, proindeque fervidiorem sanguini naturam conciliantium, (id quod potissimum e fimo elucet, qui multo fervidior ab ovibus in ericetis victum quærentibus, quam abs iis qui locis argillaceis gramina pinguia & magis humida decerpunt, excernitur,) quales in plerisque ericetis arenosis ac sylvestribus occurunt, v. gr. ipsæ Ericœ, Empetrum, Myrica Linnæi, Carices, Jasione Linnæi, Succisa, Tormentilla, Geranium foliis myrrhidis, Columbinum, Acetosa minima, Filices, Vaccinia, Prunella, Bugula, Euphrasia, Pedicularis, Crista galli, salix minima repens, &c. multo propiorem nobis causam vermium horum largiri videtur. Scilicet sanguine hinc sicciore, magisque volatili facto, faciles in Hepate canalium tam sanguinorum, quam biliosorum obstructiones, scirrhi, vermium memoratorum nidi, oriuntur. Quæ res aliio loco exponi commode posset, & illustrari dispositione ovium illarum hæreditaria, & translatione ovulorum e parentibus in prolem.

OBSER-

OBSERVATIO CXVIII.

Dn. D. PAULI GERARD. HENR. MOEHRINGII.

Caucalis involucro universali monophyllo-partiali triphyllo.

Caucalis Mauritanica, vulgari similis, sed semine majore Walth. Hort. 2. p. 127.

PLANTA annua, bipedalis circiter.

RADIX longa, carnoso - fibrosa, perpendicularis; fibrillæ paucæ laterales.

CAULIS ramosus, ramis alternis, diffusis; angulosus, angulis 5. ad 8. hinc inde, ac præsertim inferne, raris pilis adspersus.

FOLIA alterna, semiamplexicaula, infima petiolata, superiora sessilia, tripartita, pinnata, pinnis decompositis, pinnulis linearibus profunde incisis; costa nuda carinata, raris pilis hirsutula; *petiolo* plano-concavo, membranaceo.

CALIX. *Umbella universalis* inæqualis, patens, fere plana, radiorum 3. raro 4. aut quinque.

Partialis inæqualis, trisperma plerumque, florum 5. ad 12. quorum hermaphroditi majores.

Involucrum universale foliolum unicum, lineari-subulatum, breve, sæpe subito deciduum.

Partiale triphyllum, rarissime tetraphyllum, foliolis lineari subulatis, extrorsum ad pedunculos hermaphroditorum sitis, reclinatis tandem.

Perinthium proprium quinque partitum, inæquale, persistens, foliolis lanceolato-linearibus, acutis,

brevibus, quorum 2. exteriora duplo fere reliquis majora.

COROLLA. *Universalis*, ut in LINNÆI Gen.; *propria disci mas*, ut in LINNÆI Gen.; insidens pedicello, florum hermaphroditorum quadruplo circiter longiori, numero 2. 3. ad 7.; *propria radii* hermaphrodita, ut in LINN. *Gen.* num. 3. raro 4. rarius 5. insidens pedicello brevissimo, florum masculorum quadruplo breviori, at tantumdem crassiori.

STAMINA omnibus. *Filamenta* 5. capillaria, apice introrsum flexa *Antheræ* parvæ, oblongæ intorsum patentes.

PISTILL. *Radii Germen* oblongum, setis introrsum uncinatis, oblique erectis tectum, infra receptaculum proprium. *Styli* ut LINN. *Gen.* crassiusculi. *Stigmata*, ut *Linn. Gen.* tenuia.

PERICARP. *Fructus* ut in LINNÆI *Gen.* in acumine fovens perianthium, stylos & stigmata persistentia.

SEMINA ut apud LINN. *l. c.* setulis subulatis, horizontaliter patentibus, uncinatis, introrsum incurvis.

Obs. *α.* Crescit, si fides synonymo habenda, in Africa; & facies plantæ idem innuere videtur. Floruit in horto meo Junio, Julio & Augusto, semina maturuerunt Septembri & Octobri. Floris color albus in dilute purpureum urgens.

β. Synonymum Waltherianum subjunxi, seminibus sub eodem nomine ante triennium inde missis.

OBSER-

OBSERVATIO CXIX.

Dn. D. PAULI GERARD. HENR. MOEHRINGII.

Eryſimum foliis radicalibus pinnato - dentatis, apice ſubrotundis : caulinis ſuperioribus lineari - pinnatifidis acutis.

Siſymbrium folio tenuiter laciniato, flore luteo. Heiſt. Helmſt. 1730. p. 29.

Differentia inter hanc & *Eryſimum foliis* (omnibus) *pinnato - dentatis, apice ſubrotundis.* LINNÆI *Fl. Lapp.* §. *264. Hort. Cliff. 338.* ſpecifica adeſſe his ex rationibus videtur.

Noſtræ ſpeciei *folia* tam *radicalia*, quam *caulina inferiora* baſi pinnato - dentata, ſegmento extimo maximo, ſubrotundo, inciſo, obtuſo ; *folia caulina media & ſuperiora* pinnatifida, pinnulis linearibus, extimo ſegmento lanceolato - lineari, ſemel aut bis lacinulato.

In *Linnæana* ſpecie *folia* tam *radicalia*, quam *caulina omnia* baſi pinnato - dentata, apice maximo, ſubrotundo, obtuſo.

Noſtra ſiliquas triplo majores, laxas, lineares, *valvulis* ad apicem uſque diſſepimenti excurrentibus, habet, acumine obtuſo.

LINNÆI ſpecies *reliquas* triplo minores, confertas, lineari-ſubulatas, *valvulis* diſſepimento brevioribus, habet, acumine ſive *roſtro* ſubulato, acuto.

Ceterum florum ſtructura, plantarum item altitudo, ac facies ramoſa in utraque ſpecie eadem.

Ergo proportio ſatis diverſa, dum ſpeciei noſtræ folia

caulina pinnatifida multoque tenuiora ſunt, nihilo tamen ſecius *Linnaeanam* ſpeciem ſiliquarum laxitate, craſſitie, magnitudine multum ſuperant, ſpecierum differentiam ſine dubio egregie arguit. His adde valvularum diſcrepantem terminum, roſtrique in altero abſentiam, in altero notabilem præſentiam.

(Jevera in Friſiis Erfordiam miſſæ d. 28. Novembr. 1740.)

OBSERVATIO CXX.

Dn. D. JOAN. SEBAST. ALBRECHT.

Spicilegium ad Hiſtoriam naturalem Scarabæi maximi platyceri, *Tauri* nonnullis, aliis *Cervi volantis*, Raji (a) ſeu *Scarabæi cornuti*, a Joh. de Muralto deſcripti. (b)

IN Hiſtoria naturali ita cum multis rebus comparatum eſt, ut, quoniam multæ naturæ actiones in occulto, & ab oculis noſtris remotæ fiunt, non unius hominis, etiam vel maxime induſtrii, ſæpe in eadem re ſufficiat labor, ſed aliorum quoque accedant obſervationes neceſſe ſit. Clariſſ. FR. ERN. BRUCKMANNUS, naturæ ſcrutator diligentiſſimus, Collega, Fautor & ab academicis jam annis amicus honoratiſſimus, inter alias elegantes & curioſas *Epiſtolas itinerarias*, haud ita pridem anno 1739. in LXXVIII. de *Cervo volante ejusque hibernaculo* docte egit, & Muraltianæ obſervationi nonnulla noviter adjecit. Sed cum & mihi caſu notæ ſint quædam circa hanc rem, non contemnendæ mihi

(a) *In Hiſtor. Inſector. Londini 1710. 4to p. 74.*

(b) *Ephemerid. Medico-phyſ. Acad. Nat. Curioſ. Dec. II. Ann. II. Obſ. 83. p. 201.*

mihi visæ, observationes, licebit mihi, ad augendam hujus Insecti historiam naturalem illas addere & figuris quibusdam illustrare, ut pateat etiam in hoc insecto aliquam fieri mutationem, tum aliquamdiu quiescit, nec loco se movet, & inediam patitur, ideoque omnino ad μεταμορφέμενα pertinere, (c) licet nemo, quantum novi, hujus status mutati vel aliquam adumbrationem dederit. Ratione temporis autem, præmonendum mihi videtur omnino necessarium, quemadmodum illa Cl. BRUCKMANNI observatio mense Junio facta est, sic meam natam esse paulo serius, nempe XX. Julii, cum in extirpandis radicibus, arborum occupati essent operarii, ut locus quidam prope urbem nostram, horto colendo aptior redderetur, & eum in finem summa imis & ima summis miscerent. Casu enim sic factum est, ut glebam pugni magnitudine ex profundis eruerent atque ad me deferrent, quam statim pro domicilio cujusdam insecti, Gryllotalpæ nempe habui, & sic cum cura aperui. Nec pœnituit erroris, inveni enim aliquid, mihi quidem, adhuc non visum, Cervi volantis Scarabæi in formam mutatam. Quod ad domicilium hoc attinet, nihil habeo, quod observationi BRUCKMANNIANÆ addere possim, nisi forte illud, quod domicilium hoc ita comparatum sit, ut non omnino expleatur insecto, sed spatium aliquod supersit, ut movere se liberius possit, & prudentes hac in re industrii architecti fibras arborum & radicum teneriores admiscere noverint luto, ut firmiori nexu cohæreat lutosa terra, quemadmodum eundem in finem, in ædificiis exstruendis hominum industria luto admiscet straminis particulas, aut frumentorum paleas & locustas, ut cohæreant omnia firmius. In hoc spatioso, intus polito, & prudenter structo domicilio hospitatur insectum, uti ego observavi, eo situ,

(c) Vid. RAJUS *l. c. in Prolegom. p. IX.*

tu, quem *Figura 5. Tab. V.* monſtrat, capite cum cornibus verſus pectus, ſi ita dicere licet, declinato, pedibus ſex verſus abdomen contractis, alis tam ſuperioribus, quæ vaginam duriorem conſtituunt, quam inferioribus membranaceis, contractis & ex parte rugoſis, limbo duriuſculo quaſi cartilagineo cinctis utrisque ſubſtantia omnino, nec cornibus ipſis quidem exceptis, nunc quidem molli, & colore albo. In ſcutato capite quatuor latera, a MURALTO deſcripta, multum ſunt evidentiora itidem, ut reliqua omnia, mollia & alba. Quatuor plumæ, tam majores ſuperiores, quam minores inferiores, ex ore ſub ſcuto naſali natæ, nunc non expanſæ, ſed contractæ atque in ſe invicem quaſi convolutæ obſervantur. Myſtax, utrinque duplex. magis tumidus adparet, Antennæ autem plicatiles libere fluctuant. Abdomen biſulcum in ſuperiore parte, & imminutis utriusque generis alis quaſi nudum, in novem circiter circulos diviſum, terminatur in extremitatem cochleæ figuræ æmulam, in ſe convolutam, an penis ? quod MURALTUS vult, an anus ? nolo determinare, cui ab utroque latere adeſt elongatio parva oblonga, paulo durior, forſan ex complicatione foliacearum excreſcentiarum oblongarum, quas in utroque latere binas notavit MURALTUS, nata. Hæc omnia ut eo melius poſſint intelligi, duplici figura curavi hanc obſervationem illuſtrari, ad rem ipſam formata, quarum prima *Fig. 5. Tab. V.* hujus inſecti ſitum, ante oculos ponit, quem in cavo glebæ argillaceæ, fibris intertextis firmius compactæ, obtinet, ideo extra glebam nunc poſitum, ut ſingula poſſint obſervari melius. Altera, *Fig. 6.* ejusdem Tab. autem partes extra ſitum protractas & nunc explicatas ſiſtit, ut quæ plumarum ex ore, quæ proxime myſtacum, porro antennarum, ſcutati capitis & pectoris, inprimis autem Vaginarum, ſive elytriarum & alarum nunc mutata ſit conditio, melius obſervare liceat. Unicum adhuc ſupereſt

phæ-

phænomenon, quod addam : Colorem album hujus insecti statim mutatum esse in fuscum nigricantem, simulac ad ejus conservationem in vitro superfusus est spiritus vini, mollitiem autem adhuc, dum hæc scribo, durare.

OBSERVATIO CXXI.

Dn. D. JOAN. SEBAST. ALBRECHT.

Color florum Thlaspios Cretici utriusque, Tabaci fumo mutatus.

Nihil in rerum natura esse durabile & immutabile adeo verum est, ut quidam, qui mihi nunc in mentem non redit, Physicam definiverit, esse rerum mutabilium scientiam. Mutationi autem citiori illa corpora inprimis sunt obnoxia, quæ delicatiorem & teneriorem partium habent, quas *solidas* vocamus, structuram, & *fluidorum* mixturam, ad quam classem plurima vegetabilium referri possunt. Hoc non mirabitur experientia doctus, plurium vegetabilium colores adeo esse fugaces, ut pictores illis parum fidant, cum noverint, pigmenta inde parata in nitore suo non perdurare, sed quam facillime mutari brevi tempore, solo etiam aëre. In hac re quemadmodum multum operræ olim impendit diligentissimus rerum naturalium contemplator & interpres, nec non philosophiæ experimentalis restaurator, celeberr. ROBERTUS BOYLE (a) & plures eruditi Physici, qui phænomena naturæ cum cura & debita attentione observant, numerum illorum experimentorum post illud tempus multum auxerunt, ut ex multis paucos, qui cum vegetabilium partibus pericula fecerunt, proferam,

(a) In *Experimentis de Coloribus pluribus.*

feram, JESSOPIUS, (b) HAGENDORNIUS, (c) TEICHMEYERUS, (d) VATERUS, (e) GODOFREDUS junior (f) ita & mihi licebit elegans addere experimentum. Cum mense Julio hujus anni in hortulo meo cum amicis versarer, & varios flores vegetos, qui ad manus erant, cum iisdem contemplarer & inter illos ipsos Thlaspios, Cretici quibusdam, flore albo & rubente I. B. 2. 924. quod Thlaspi, umbellatum, Creticum, Iberidis fol. nominat *Morison.* H. 2. 295. Thlaspi Cappadocicum autem flor. incarnato & flore albo vocatur in Hort. Eyst. Aestiv. Class. O. 7. fol. 11. figur. 2. & 3. venit, nescio, quo fato, in mentem, periculum facere, annon ex Tabaci fumo alkalisato mutationem subeat tenerior hic flos in suis coloribus. In utroque ejus colore eventus ex voto respondit dubitationi. Namque ille rubellus, liberius admisso fumo hujus herbæ, jucundo spectaculo, confestim mutatus est in elegantissimum smaragdinum, vivacem admodum, hic vero albus eodem modo transiit in flavo-viridescentem, cum præsentium amicorum admiratione & delectatione.

OBSER-

(b) In Epist. Philosophic. JOH. RAJI. Vid. Act. Erudit. Lips. 1719. Mens. Januar. p. 19.
(c) Ephem. Nat. Cur. Dec. II. Ann. III. Observ. 29. pag. 87.
(d) In Element. Phil. Nat. Experim. pag. 113.
(e) Physic. Experiment. systemat. Sect. II. C. IX. p. 224. sqq.
(f) Memoires de l'Academie Royale des Sciences 1707. pag. 686. sqq.

OBSERVATIO CXXII.

Dn. D. JOAN. SEBAST. ALBRECHT.

Funesta febris suppressio, ob inde ortam paralysin, sphacelum, mortem.

Verum est, quod dixit Excell. HENRICUS HENRICI, olim in Academia Halensi Pr. P. celeberrimus : (a) *Plures alioqui sanæ rationis, quod mirandum est, inveniuntur, qui rem, quæ sanitatem & vitam ipsam concernit, ejusmodi imperitis, tamquam ovem lupo, committere non verentur, cum tamen nullus tam stolidus sit, qui vestem conficiendam sartori imperito, nullus, qui suos agros villico rusticarum rerum inexperto, nullus, qui ædificationem domus alienissimo ab architectura, nullus, qui pecuniæ procurationem & dispensationem hujusmodi rei imperito commendet. Unde etiam sæpissime accidit, ut infelices homines ab ejusmodi artis opprobriis spem salutis incertam pretio emant. Et nihil aliud hic in culpa est, quam nimia mortalium credulitas, qui enim facile credit, secundum illud, facile decipitur. Et verum quoque manet, quod Rex ille, quo non alius fuit sapientior : Prudens & peritus, inquit, artifex rem sibi concreditam bene perficit, imprudens autem & artis suæ ignarus illam depravat & corrumpit.* Hanc veritatem liceat nobis tristi exemplo confirmare, licet tot jam probatam experimentis. Utinam vero tandem in salute sua conservanda & recuperanda homines fierent prudentiores! Plura esse damna, quæ ex corruptis febribus nascuntur, pluribus argumentis probarunt viri in arte medica perfectissimi & celeberrimi, non solum beatus & post fata su-

(a) In Diss. *de sinistro morborum eventu.* Halæ 1713.

perstes doctissimus G. E. STAHLIUS, (b) sed etiam, qui adhuc spartam, quam tenet, mirifice ornat eruditissimus JOH. JUNCKERUS, (c) novis vero exemplis hanc rem, quotidiana experientia notam, confirmatam legimus in *Se-lect. medicis Francofurtens.* (d) Si vero adhuc quis dubitet, eum per sequentem observationem plane convictum iri nullus dubito. Fœmina XXX. annorum, robusta, alias plethorica, & gravioribus laboribus adsueta, superiori anno 1740. mense Majo febris intermittentis anomalis adhuc motibus per aliquot dies tentata, consultum me veniebat, quid agendum sit. Circumstantiis bene pensitatis auctor fui, ut adhuc unam alteramve diem abstineret a medicamentis, interim vero diætæ, quam præscripsi, rationem cum cura haberet diligentissime, sic fore, ut tantilla mora concessa, vel cessent omnino motus illi, vel sublatis anomaliis typum certum sit acquisitura febris, tunc demum medicamentis debitis congrue debellanda. Sed consilio hoc neglecto, quod plerumque fit, *Medicorum enim consilia vitamus, adsidentum diffidentumque, qui parum docti & satis seduli languidos multos officiosissime occidunt, sequimur*, (e) auxilium quærit apud empiricam mulierculam, bullati cujusdam Licentiati, tunc absentis, uxorem, quæ medicinæ exercendæ, aut si mavis, impune occidendi, æque sibi licentiam datam esse, rata, ac aliorum opificum uxoribus, quæ absente, vel mortuo marito, vel ipsæ opificia exercent, vel per alios perfici curant, temerario sane ausu, officiosa tamen,

(b) In *Diss. de febribus intermitt. turbatis atque corruptis. Halæ 1713.* & passim alibi.

(c) In *Diss. de legitima febrium corruptarum tractatione. Halæ 1731.* §. *IX. sqq.*

(d) *Volum. VIto Tomi I.*

(e) SEMPRONIUS GRACHUS in *Medico hujus seculi, Libr. II. Sect. IV. p. 280.*

men, nihil intentatum reliquit, sed secundum ingeniosi illius Gallici Comici de *Moliere* methodum satyricam, venam secari jussit & validum purgans subjunxit. Rebus vero in pejus ruentibus, proximis diebus ad aliud transeundum erat; exhibebatur itaque medicamentum febrifugum, quale illud autem fuerit, an chinatum, an forsan arsenicale, aut aliud ? ignoro, nam diligentissime celatum est, hoc vero probe scio, me nimis sero iterum vocatum, & eo quidem die, quo medicamentum hoc accepit, ægrotam invenisse gravi paralysi omnium inferiorum partium adeo tactam, ut crura instar demortui hominis sine motu, sine sensu, frigida obriguerint, alvus & urina fuerint suppressa pertinacissime, accesserit altero die febris inflammatoria, cum siti intensissima, quam postea excepit internarum partium gangrænosa & tanta quidem corruptio, ut sphacelo corruptæ partes a vivo adhuc corpore tandem una cum excrementis partitim secesserint. Sed ne tanti facinoris egregii abesset excusatio, fascinum, ut plerumque fieri solet accusatum est : **Die Krancke sey über eine böse Spuhr gegaugen** ; cum tamen non statim graviores morbos pro fascino habendos esse, jam dudum b. WEDELIUS, Præceptor olim meus in cineribus venerandus, pronunciaverit. (f)

O miseræ leges ! quæ talia crimina fertis.
O cœci Reges ! qui rem non cernitis istam.
Vos ! quibus imperium est, qui mundi frena tenetis ;
Ne tantum tolerate nefas, hanc tollite pestem,
Consulite humano generi. Quot nocte dieque

(f) In *Diss. de Morbis a fascino, Jenæ 1682. C. IV.*

Horum carnificum culpa mittuntur ad orcum?
Vel perfecte artem discant, vel non medeantur.
Nam si aliæ peccant artes, tolerabile certe est,
Hæc vero nisi perfecta, est plena pericli
Et sævit tamquam occulta atque domestica pestis.

Ita eleganter SEMPRONIUS GRACHUS (g). Sic vero tandem justissimarum querimoniarum finem futurum esse & Medicinæ antiquum splendorem, honorem & justum pretium restitutum iri sperare liceret. Nam de quo Celeberr. STENZELIUS conqueritur (h) intuitu Saxoniæ, eandem palinodiam etiam in multis aliis locis & provinciis Medici, quibus patriæ salus curæ cordique est repetere necesse habent. Sic vero ille: *Insciis invitisque Medicis, hodie non Chirurgi saltem, sed & omnes perditi homines, medicinam faciendo, innumera per mortes ægrotantium experimenta instituunt. Nihil detestabilius, nihil calamitosius, quam præsens artis salutaris status sisti potest. Nos Saxones in hac re omnium miserrimi sumus, ad nos enim pessimorum & imperitissimorum hominum, qui aliis locis non tolerantur, colluvies, quasi torrente acta, confluit. Exinde tam male apud nos audit Medicina, hinc nihili apud nos Medici æstimantur, hinc Saxonia demum Empiricis obruta, genuinis carebit Medicis, exactum negligendo, qui in re medica constituendus est, ordinem.*

OBSER-

(g) *l. c.*
(h) In *not. ad* LINDERSTOLPE *Tract.* de *Venenis* p. 80.

OBSERVATIO CXXIII.

Dn. D. JOAN. SEBAST. ALBRECHT.

Læsio capitis gravissima, post sextam septimanam demum lethalis, cum sectione anatomica.

Servus agricolæ, homo robustus, proceræ staturæ, XX. annorum, secunda feriarum Pentecostes hujus anni d. 22. Maji circa vesperam per lapidem e longinquo, seu eminus jactum in capite graviter lædebatur, interim potens erat, ut solus ex alio pago, quo id passus est, adhuc potuerit domum reverti, sed statim, ac domicilium patris intravit, concidit quidem, mox autem vires colligit & ad se redit, & quid ipsi contigerit, exponit. Accersitus ex vicinia balneator, rem parvi æstimans, remotis capillis, quæ impedimento erant, nihil vulneri adplicat quam Emplastrum de Sperm. ranar. & sic satis negligenter tractat. Cum autem proximis diebus totum latus sinistrum debilitate paralytica adficeretur, id illustri nostro Regimini Ducali relatum est, quod pro ea, qua pollet, Reipublicæ & pro singulorum incolumitate cura, primum Chirurgo nostro provinciali jurato, deinde vero, cum hic majus subesse periculum denunciasset, quoniam loquelæ difficultas aliqua paralytica accesserat, & mihi Physico provinciali mandavit, ut præsentibus personis, judiciali auctoritate munitis & vulnus majori cura, quale illud sit, & qua ratione adhuc ab ignaro balneatore tractatum sit, inspicerem & renunciarem, ægri vero una cum Chirurgo provinciali curam haberem, quorum illud factum est d. 27. ejus mensis.

Respexi ægrotum velato linteis capite, sub fasciis sacculos cephalicos in vino coctos calide proximo demum die, ex consilio provincialis Chirurgi, impositos, antea neglectos, vulnus in sinistro bregmate versus os temporum oblique descendens duarum unciarum tectum erat Emplastro de Spermate ranarum, tumor aderat exiguus, inflammatio nulla. Remotis omnibus sub curatiore læsionis scrutinio, specillo facto, statim cranii fracturam adesse cognovi, cum aliqua fracti ossis subsidentia. Præter hæc in capite nihil, nisi levis quædam sugillatio versus nasum ad oculi canthum, a subsidente extravasato sanguine nata, conspiciebatur. Æger ipse compos omnino mentis, sine febrilibus symptomatibus, v. g. calore, siti, pulsu celeri, facile respirabat & æqualiter, totum vero corpus salutari madebat tepore calido, adpetitus sic satis constabat, quod referebant adstantes æque ac illud, urinam & alvum adhuc successisse, nec vomitu tentatum esse ægrotum, qui alias gravius in capite vulneratis admodum esse solet familiaris. Interim tamen vehementioris percussionis & læsionis signa erant, paralysis totius lateris sinistri, quæ ipsius etiam linguæ motum ita impedivit, ut, adposite quidem ad singulas judicis quæstiones interrogatus responderet, sed difficulter & per monosyllaba tantum se explicaret, qualia sunt, **Ja / Nein / hier / dar.** Præter hoc adstantes etiam proxime prægresso die vesperi circa horam septimam convulsiones in ægro observarunt ; **Es hätten alle Glieder starck an ihn gezucket.** Aliam itque curandi viam ineundam esse ratus, ante omnia vulnus ampliari jussi, ut liberior ad partem læsam pateret aditus, deinde autem illud suasi, ut leniter & successive separata ossium fragmenta caute eximerentur, ne inde aliquid denuo pungendo, vel lacerando; læderetur; vulnus ipsum vero bene abstergeretur & linteis carptis, balsamico liquore humectatis, expletum desuper Emplastro de Betoni-

ca

ca muniretur, & tandem porro quam diligentissime sacculis nervino-cephalicis discutientibus defenderetur, sub singulis deligationibus autem aëris accessus, qua posset fieri diligentia, arceretur a vulnere. Interna simul medicamenta stasin humorum resolventia, blande diapnoica, cephalico-nervina, cinnabarina, antispasmodica & alia, pro rerum exigentia, itemque analeptica cum potu diluente adpropriato, ordinavi, nec diætæ rationem, qualem observare deberent, docere neglexi. Spes etiam aliqua, a tanta læsione restitutum iri ægrotum, adfulgebat, sed vanam fuisse tristis monstravit eventus, nam d. 3. Julii vesperi circa horam tertiam, sexta jam hebdomade absoluta, moriebatur, interim per Chirurgos duodecim ossis bregmaticis fragmentis, variæ figuræ & magnitudinis, exemtis. In demandata mihi pro officii ratione, legali sectione, remotis integumentis communibus, nullum adhuc aliud violentiæ aut læsionis signum, vel ex sanguine extravasato intra integumenta & cranium, vel ex fractura, aut contrafissura aliqua præsente, præter indicatam 1½. unciam longam & 1. unc. latam observare licebat in loco sæpius jam memorato, in cujus limbo, versus suturam coronalem, aliud adhuc fragmentum parum depressum, obtusum, non pungens, reliquo ossi firmiter adhuc adnexum deprehendebatur. Separato pericranio, in dextro quidem bregmate versus suturam lambdoideam, macula quædam nigricans adparebat, sed elevato cranio, seu calvaria, illam ipsam a fovea ex pulsante arteria subjacente, ut sæpius fit & hinc tenuiore transparente osse, natam esse, extra controversiam erat. Porro quoque nihil quidquam peregrini, aut humoris, aut solidi, neque intra cranii ossa, & duram matrem, neque inter hanc & piam matrem reperiebatur; omnia erant ubique, si vulneris locum excipias, ab omni labe & impuritate immunia, sub vulnere autem utraque menin-

gum

gum perforata, & in vulneris ambitu tam inter se, quam cum cranio coaluerant ita, ut neque ex vulnere illuc, nec ex his locis ad vulnus quidquam crudioris humoris potuerit pervenire, qui adfluxus etiam coalitum impedivisset. Mox autem sub fractura cranii in corticali crebri substantia plures sinus ulcerosi, altius per medullarem, ad ipsum ventriculum sinistrum anteriorem progredientes & ultra uncias 3. materiae saniosa ichorosae fundentes, in conspectum veniebant & ulterore examine instituto totius hemisphaerii sinistri substantia interior putredine foetente corrupta & adeo destructa erat, ut vix ventriculorum, nedum teneriorum partium structura & ambitus potuerint discerni, quae fluxilior ulcerosa materia profunde penetraverat & inundatione quasi circumfusam tenebat medullam oblongatam non solum, sed & intra vertebras colli descensu facto, inter media spatia intra spinalem medullam occupaverat, ita ut pro diversa capitis declinatione manu facta, modo hic, modo illic adscenderet atque descenderet ille humor corruptus. Habemus hic casum rarioribus adnumerandum, & ob plures circumstantias admodum memorabilem: Nam vel illud maxime mirandum est, aegrum gravissima licet cerebri facta percussione adhuc viam satis longam absolvisse, deinde etiam omnibus sensibus integris ultra 6 septimanas superstitem vixisse, nullis divexatum symptomatibus febrilibus, sine vomitu, omnibus actionibus, tam vitalibus, quam naturalibus, etiam animalibus, si paralysin excipias supra notatam, usque ad finem vitae fere integris. Porro etiam de mortis causa dubitare quis posset, an ex balneatoris, sub initio adhibiti, negligentia & incuria, an ex laesionis conditione magis acciderit? Non excuso balneatoris vel ignorantiam, vel negligentiam, sed illud quaerendum foret, an, licet omnibus adhibitis, ex interiorum partium centrali, ut vocant, contusione, orta sanies praecaveri in erebro,

utpo-

utpote viſcere facile corruptibili, potuerit, ad quæ intimiora etiam fomentationum halitus vix penetrare poſſunt, nec arti acceſſus alius datur? Nam copiam ſaniei non in externis natam ad interna confluxiſſe, ſed interioribus genitam, vi gravitatis, deorſum deſcendiſſe, vulneris via licet ſatis patula, docuit inſpectio, & coalitus membranarum cum cranii ambitu in loco læſionis, nec non abſentia omnis impuritatis confirmat. Tandem argumentum illud, a diuturniore mora, quæ inter acceptam plagam & mortis terminum intercedit, pro excuſanda lethalitate deſumtum, parum valere forte etiam denuo hoc exemplo evinci poterit, quod & alibi factum eſt, in *Vol. V. Actor. Phyſ. Med. Academ. noſtræ Obſ. 140.*

(Coburgo Erfordiam miſſa d 18. Decembr. 1740.)

OBSERVATIO CXXIV.
Dn. D. JOANN. CONR. TRUMPHII.
De
Partus ſeptimeſtris ſpeciali quodam ſigno.

Signa partus præmaturi, inprimis ſeptimeſtris & octimeſtris, qui tamen vitalis eſt, inter alios Auctores fuſius recenſet TEICHMEYERUS in *Medicina legali Cap. IX. pag. 57.* Decidendum aliis relinquo, annon inter illa hoc ſimul referendum ſit, quod infans talis præmature in lucem editus papillam matris, aut nutricis, labiis non adripiat, neque ſugat. Relatum mihi eſt a matronis honeſtis & obſtetricibus, quod infantes tales per tot dies mammam recuſaverint, quot pro adimplendo juſto partus termino defecerint, poſtmodum vero rite ſuxerint. Ipſe ego quoque tale exemplum vidi puellulæ, quæ octavo menſe nata erat

ubi præter alia signa præmaturi partus hoc quoque occurrebat, quod nempe mammam non adriperet, adhibito cochleari parcissimum suum nutrimentum ipsi præberi debuerit. Subsequente vero tempore eadem rite mammam nutricis (quoniam mater febre purpurata decesserat,) suxit vivitque adhuc trimestris. De reliquo heic loci nullus fere partus septi - aut octimestris diu invivis superstes mansit; dicunt tamen de quodam, qui jam vitam militarem agit, & tum proceritate corporis, tum torositate membrorum præ aliis satis eminet, quod fuerit pusio septi - aut octimestris. Verum hoc in passu calculum sæpe non debite formant mulierculæ, tum ex errore, tum etiam quandoque consulto. Mihi quidem sic videtur, quod partus octimestris, quamvis vitalis, tamen ejus magnitudinis non possit esse, cujus ille est, qui tempore a natura statuto nascitur. Interim Jure consulti has circumstantias non perpendunt, sed meretricibus fidem quandoque adhibent, eum quoque pro patre spuriorum suorum infantum declarantibus, qui ante septem duntaxat menses coitum cum ipsis celebravit, freti sententia Medicorum veterum, quod & partus septimestris non solum excludi, sed & vitalis esse possit. Tali in casu cum aliquando judicium meum desideraretur, omnia illa signa in partu genuino septimestri occurrentia, fusius exposui, istumque infantem talem non esse demonstravi, quoniam ratione partium perfectus, robustus & torosus erat, insuperque jam adhuc in vivis est; interim tamen hæ rationes in foro politico non attendebantur, quin potius ex modo adductis rationibus pro septimestri declarabatur. De signo autem illo suctionis adhuc recordor, aliquando me vidisse contrarium in puellula quadam. Hæc uterum deserebat matris, per tres jam menses in summo gradu phthisicæ, & aliquot abhinc septimanis demortuæ, sub finem circiter mensis septimi aut initium octavi, eratque multo tene-

tenerior & statura minor, quam illa, de qua supra dictum fuit; nihilo tamen minus digitum vino madidum adripiebat & inde quasi sugebat, sexta vero post partum hora exspiravit. Inquirendum ergo foret, an illi tantum infantes mammam non adripiant, qui aliquamdiu in vivis sunt superfuturi?

OBSERVATIO CXXV.

Dn. D. JOANN. CONR. TRUMPHII.

De

Paralysi ex læsa spina dorsi.

Læsiones, quæ ita adficiunt spinam dorsi, ut nervi quidam ex contusione simul adfligantur, unde dein Paralysis partium inferiorum subjacentium oboritur, lethales plerumque esse, effato Illustr. HEISTERI, in Chirurgia sua, tum & experientia facile confirmatur. Bina ejusmodi exempla, in praxi mea observata, idem demonstrabunt. Ante quatuor annos virgo 18. annorum luxationem vertebrarum patiebatur, cui, licet satis exacta earum fuerit facta repositio, tamen paralysis inferiorum partium successit. Gangræna jam aderat ventris, neque octavum a læsione diem ægram esse exsuperaturam, omnes credebant. Interim tamen post aliquot dies deferri poterat in patriam, Cellerfeldam, Hercyniæ urbem, in qua adhuc per aliquot hebdomadas in vivis mansit. Illo tempore bulimiæ quadam specie laboravit, & quamvis Dn. D. *Meienbergius* eam aliquo die circa vesperam, cum eum convenirem, jam mortuam fore crederet, tamen etiam tunc adhuc per sex vel octo dies vixit. Hac occasione mihi retulit nominatus hic Medicus, quod tria similia exempla sibi in praxi obtigerint, quæ tum citius, tum tardius morti occubuerint manifesto testimonio, quod rarissime tales sa-

nentur. Nuper metallarius quidam sexaginta quinque annorum mole frustorum metallicorum oppressus, contusionem acceperat in medio vertebrarum & dorsi. Luxatio quidem non aderat plenaria, sed tamen semiluxatio & fractura spinæ unius vertebræ, cum immobilitate, vel movendi impotentia, in partibus subjacentibus atque inferioribus. Alvus sub initio per tres vel quatuor dies erat obstipata, urina autem postero statim die involuntario & sine sensu emittebatur. Alvus igitur primis diebus semper remediis sollicitanda erat. Accedebat tumor ingens durus ventris, cum calore febrili & dolore obtuso intra abdomen. Febris ipsa de reliquo non valde vehemens erat, neque admodum diu durabat, quamvis & circa nates & anum sphacelus aliqualis in superficie compareret. Superveniebat dein præter dolorem ventris & dorsi etiam molestissimus pedum dolor punctorius, qui omnes sensim cessabant, remanente tamen aliquali adhuc tumore. Alvus tunc temporis sponte iterum solvebatur. Cæterum dum hæc scribo, status ægri in sequentibus adhuc consistit: Urina non quidem absque omni sensu prodit, sed raro diu retinetur, dumque excretio ejusdem urgetur, uno impetu egreditur, ut eam voluntarie emittere nequeat, & hinc opus habeat vesica, noctu præsertim genitali membro adliganda; motus pedum, qui ab initio plane cessavit, successive tandem rediit, tumorque illorum ædematosus evanuit, ac insimul sensus in plerisque locis iterum percipiebatur, quamvis non firmiter pedibus insistere valeat, sed grallis suffultus incedere cogatur. Spes interim adhuc superest, fore ut facultatem liberius se movendi tandem iterum recipiat. De urinæ autem stillicidio dubito, an medelam plenariam illud sit admissurum. Remedia fuere sequentia: Venæsectio in brachio ab initio statim instituta. Potio sequens sæpius repetita: Rec. Decoct. Hord. cum C. C. & Scorzon. Aqu.

flor.

flor. Samb. & Paral. Fœnic. antepilept. Lang. unc. 3. quibus proportionata addebatur quantitas Pulv. ad casum August. Lap. Cancr. Corall. rubr. Tart. vitriol. Cinnab. nat. Extr. Bellid. Mixt. simpl. rectif. & Syr. de Hyssopo. Dorso adplicabatur sequens Linimentum: Rec. Aqu. Anhalt. unc. 2. Spir. Sal. ammon. drachm. 2. Ol. dest. Succin. Caryoph. arom. ana scrup. dimid. Rorismar. Lavend. C. C. rectific. ana gtt. vij. Ol. Nucist. scrup. dimid. M, Aliquando etiam huic addidi Spir. vini camphor. & Ol. Therebinth. nec non Petræ alb. exiguam quantitatem. Primis diebus etiam bis vel ter ordinabatur decoctum laxans, quod subinde repetebatur: Constabat autem illud ex rad. Rhabarb. Monach. Rub. tinct. Pœon. Herb. Chærefol. Heder. terrestr. Rorismar. Salu. fol. Sen. flor. Arnic. Chamom. Bellid. Paralys. Hyperic. Cryftall. Tart. Sem. Anisi Passul. min. Colaturæ addebatur Syrupus de Fumar. & Rosar. solut. Clysteres aliquoties injecti ex sequentibus parabantur: Rec. Spec. emoll. Unc. 2. Herb. Rorism. Salv. ana manip. 1. Flor. Serpill. Paralys. Hyper. ana pugill. 3. Chamom. manip. 1. fol. Senn. Nicot. ana drachm. 2. Sem. Caru. unc. dimid. Anis. drachm. 2. Colatur. Rec. libr. unam & dimid. add. Ol. Olivar. unc. 4. Elect. Cathol. unc. unam & dimid. Sal. commun. drachm. 2. vel 3. Vitell. ovor. num. 2. F. l. a. Clyster, duabus vicibus injiciendus. Rec. Ungt. nerv. drachm. 6. Pingued. Taxi draehm. 2. Ol. dest. Succin. Anis. Chamom. an Scrup. dimid. Origemi gutt. 5. M. eoque illinatur venter. Reliquis diebus sequentia ordinabam: Rec. Antimon. diaph. Scrup. 2. Lap. Cancr. drachm. 1. Nitr. antim. Scrup. 2. Cinnab. nat. drachm. dimid. Rec. Pœon. scrup. 2. Succin. præpar. scrup. 1. Spec. arom. caryoph. drachm. 1. Ol. Citri gutt. 4. M. F. Puluis, de quo vesperi sumatur, quantum duo cultri cuspides capiunt. Item: Rec. Ess. Cubebar. Rorismar. Succin. aromat. ana drachm. 1. Tinct. antim. tartaris. drachm. unam & dimid. Spir. Sal.

ammon. anif. drachm. dimid. Ol. deftill. Caryoph. gutt. 5. M. fumantur guttæ quadraginta matutinis horis. Tandem quoque ad inhibendam urinæ involuntariam excretionem fequens præfcripfi : Rec. Ungu. Comitiff. unc. dimid. Ol. Maftich. drachm. 2. Hyofc. expr. drachm. 1. & dimid. Ol. deftill. Rorifm. Caryoph. ana gutt. 5. Anif. Carv. ana fcrup. dimid. Petræ alb. drachm. dimid. M. eoque illinatur pectinis regio. Quid effecturum fit hocce unguentum tempus docebit.

(Goslaria Erfordiam miffa d. 28. Decembr. 1740.)

OBSERVATIO CXXVI.

Dn. D. JOAN. JACOBI FRIED.

Gravidarum urinæ fuppreffio, non remediis internis, fed catheteris adplicatione, unice curanda.

HIPPOCRATES judicium de cognofcendis curandisque morbis merito difficile pronunciavit : valet enim effatum ejus non tantum generaliter , quoad cujuscunque fexus, ætatis, conditionisque morbos , fed & in fpecie ad fymptomata gravidarum , parturientium atque puerperarum, præcipue vero ad theoriam praxinque artis obftetriciæ quam maxime quadrat : Nimirum, cum ex illo die, quo Senatus Athenienfis, legem antea fancitam : *Ne in pofterum fœminæ, fed foli viri, artem obftetriciam exerceant,* ob feditionem, a mulieribus Athenienfibus, in favorem Agnodiceæ, concitatam, rurfus abrogavit, jus, gravidis, parturientibus ac puerperis medicinam faciendi penes obftetrices, unice & continuo fteterit , facili negotio factum

eft,

eſt, ut, Agnodiceæ, in ſchola Herophili Medici optime edoctæ, diſcipulæ ac poſteræ obſtetrices, cum inſtructiones Medicorum neglexiſſent, artis ſuæ, alias principia vera, cum falſis ac præconceptis opinionibus, traditionibus errôneis, meris anicularum fabellis, immo & ſuperſtitionibus craſſis permutaverint, morborum, ægrotis ſuis accidentium, veras neque cauſas eruere, neque medicamenta congrua adhibere potuerint, nec adhucdum poſſint, ſed potius Medicis, in conſilium vocatis, ac in morbi circumſtantias rite inquirentibus, cum mutilis & inſufficientibus ſuis relationibus imponant, ac hinc judicium de morbi ſtatu formandum, ac indicationes inde formandas, illis quam maxime difficiles reddant. Augetur certe maximopere hæc ipſa judicii, de curandis mulierum, gravidarum, parturientium, atque puerperarum, morbis, difficultas, per intempeſtivam, mulieribus præcipue Germanis, præ aliis, propriam, verecundiam, qua de menſium ſolummodo negotio interrogatis, res multum laboris eſt reſponſio aperta, quibus etiam graviditas ipſa myſterii locum tenet, ac ſymptomatum, in illa occurrentium, expoſcere cauſas, præcipue vero partes circumcirca Uterum ſitas, ac ægrotantes, manu explorare velle, abominatio eſt. Quid mirum ergo? ſi Medicus talibus circumdatus difficultatibus, non ut DEUS, ſed homo, facultate intus latentia perluſtrandi deſtitutus, morbos, in ſimilibus mulieribus occurrentes, quidem agnoſcit, ſed cauſas eorum tectas ignorans, illos ipſos ſiniſtre tractat, immo curatu per ſe faciles in lethiferos, inſons licet, permutat, uti ſubſequens id Obſervatio comprobat.

Mulier quædam, triginta circiter annorum, optima fruens ſanitate, ſubitanea urinæ corripitur ſuppreſſione, eaque totali, Medicus vocatus, ac Calculum in veſica latitantem incuſans, præſcribit demulcentia, diuretica, ſemicu-

pia,

pia, clysteres, sed incassum, seligit hinc diuretica exquisita, fortiora, immo fortissima; sed nullo cum exoptato effectu, malum potius ingravescit: Tertio ab insultu morbi die ego accersitus offendo urinæ plenariam suppressionem, abdomen inde tympani instar elevatum, tensum, durum, ac perquam exquisite dolens, pulsumque celerem, frequentem, durum, nec non serratum. Interrogo ægrotantem, an menses rite fluant? respondet, per decem septimanas illos subsistere. Quæro, an gravidam sese esse credat? annuit: ulterius, an vim quandam externam forsitan perpessa sit, inquiro? Fatetur, sibi ante triduum, cum lectum sterneret, in loco lubrico stanti, pedem dextrum retrorsum flexum fuisse, cum insequente statim dorsi aliquali, sed leviori, dolore, majori vero urinam reddendi nisu, sed hactenus inani. Peto, ut uteri dispositionis explorationem, cum digito per vaginam ejus faciendam, mihi concederet; renuit verecundia intempestiva. Insisto ac ob morbi vim, mortem & certam & instantem illi minor, unde perterrita, explorationem permittit, sicque invenio uterum ipsum, cum suo orificio, ad medium usque vaginæ procidentem, ac collo Vesicæ exacte adlidentem. Bono eam hinc esse animo jubeo, promptam promitto medelam, catheterem accerso, vesicæ intrudo, urinæ rubræ, densæ ac graveolentis plus quam mensuras sex, dimidiæ horæ spatio, educo, uterumque prolapsum a collo vesicæ digitis removeo, in statum naturalem repono, ægrotæ decubitum per aliquot dies supinum, diætam tenuem atque alvum clysmatibus emollientibus apertam servandam commendo. Et hac ratione, DEO curam dirigente, gravidarum urinæ suppressio quælibet, a vi externa producta, per se levis, diuturnitate gravis, methodo perversa accelerans mortem, (quemadmodum hoc doctiss. Dn. KULMUS in Disputatione, de *Uteri delapsu, suppressionis urinæ & subsequutæ mortis causa,*

Geda-

Gedani anno MDCCXXXII. habita, exemplo testatur,) unice curanda venit.

(*Argentorato Noribergam missæ d. 23. Jan. 1741.*)

OBSERVATIO CXXVII.

Dn. D. DANIELIS HOFFMANNI,

Lumbrici totius corporis tumoris & Epilepsiæ causa.

Juvenis 20. annor. studiosus, habitus corporis gracilis, faciei pallidæ, cardialgiam ac pressionem circa præcordia sentit, intumescere incipiunt, paulo post passim corporis partes, præsertim manus & brachia, ipsaque non nihil tumet facies, accedit lassitudo, horroresque per intervalla & rigores vagi corpus invadunt, adpetitu hactenus non deficiente, urina paulo tinctiore, parca; lecto dehinc tertio ab origine tumoris primum percepti atque horroris, affigitur die, ac decumbens immanes patitur capitis dolores, cum siti tantum non clangosa; increscit sensim tumor, totumque jam occupat corpus, mollis, cum distensione insigni, accedunt tormina & stricturæ in abdomine acutæ, calore p. n. sensim urgente, donec septimo a decubitu die mane inopinato Epilepsia corriperetur, ita tamen, ut invadentem in manibus pedibusque stricturis ac oscillationibus quibusdam persentisceret paroxysmum matremque moneret, instare sibi nescio quid mali, duravitque ultra tres horæ quadrantes insultus epilepticus primus, eumque duo alii eodem die sequuti sunt, breviores tamen, & vix per horæ quadrantem durantes, quos omnes adpropinquantes matri non sine metu & tristitia prædixit. Territa tunc demum

mater Medicum adcedit, opemque ejus implorat, qui ampla mox jussit brachiis vesicatoria admovere, quæ & vesicas mox prætumidas prompte excitarunt, præscripsitque simul remedia antispasmodica, antepileptica. Quia vero ex discursu cum matre & examine ægroti de vermibus latentibus & tragœdiam hanc ludentibus suspicionem haurit non vanam, dictis remediis antispasmodicis anthelmintica interponit, eo quidem felici cum effectu, ut ingens lumbricorum cohors repetitis vicibus per alvum excerneretur, urinaque minus tincta largius proflueret, tumore interim quarumvis corporis partium sensim subsidente ac vires proin novas brevi sub remediorum sedula adplicatione acquirente ægro, nec superstite ullo spasmodici adfectus vel Epilepsiæ vitio.

OBSERVATIO CXXVIII.

D. D. DANIELIS HOFFMANNI.

Radicum Pastinacæ vis virulenta.

Comederant in prandio coctas cum butyro & jusculo carnis Pastinacæ radices majores, antiquiores consequenter, & post duos demum annos e terra effossas, vir quinquaginta annorum, ejusque uxor 36. annorum, cum duobus filiis; viro non longo a prandio intervallo cœpere nubibus obduci oculi, incrementa sensim capiente malo, visus enim reddebatur subinde obscurior, ut tandem plane videretur deficere, omnisque videndi vis eidem adimeretur, nihil vero præterea symptomatum eum occupavit, licet harum radicum plus comederit, quam reliqui omnes. Uxor vero tres menses gravida paulo graviora perpessa fuit: insignis enim debilitas omnia corripuerat membra, cœpit dehinc ridere mulier, tandemque per intervalla, post unam

alte-

alteramque horam a prandio, ſolvi in cachinnos, quos ſummæ excipiebant anxietates præcordiorum ac ſtricturæ paſſim ſpasmodicæ, novo mox cachinno interruptæ, pedes vero ſpasmodici occupaverant motus, ut involuntarie illi agitarentur motibus confuſis. Filii vero præter nauſeam ac vomituritionem frequentem capitisque obnubilationem, nihil perpeti videbantur. Vocatus inter triſtes mulieris geſticulationes Medicus, medicamentum exhibuit purgans, lene quidem, quod tamen ventriculum ſimul ad nauſeam vomitumque excitaret, nec defuit ſucceſſus, quem ſperaverat; rejectis enim per vomitum radicibus nondum plane digeſtis, tam viſus obſcuratio in viro, quam motus ſpasmodici in uxore ſenſim remittebant, paucisque præterlapſis horis plane ceſſabant.

(*Tubinga Erfordiam miſſa d. 4. Febr. 1741.*)

OBSERVATIO CXXIX.

D. D. JOAN. ADAMI RAYMANNI.

Fallacia Auri vuarum vegetabilis ulterius demonſtrata.

Magno in Hiſtoria naturali receptam adſenſu, per præjudicium partim auctoritatis, partim præcipitantiæ, de vera Auri vegetantis in uvis noſtratibus exiſtentia, opinionem, dum ante annos 20. & quod excurrit, tam in *Annal. med. phyſ. Wratislav. Tentam. VI. M. Octobr. Claſſ. IV. Artic. 3.* quam in *Ephem. Academ. noſtræ Cent. IX. Obſerv. XLV.* primus, quod præfiſcine dixerim, in dubium vocaſſem, adfixasque cortici exteriori uvarum miculas, nihil minus, quam aurum eſſe, evidentiſſime, (abſit invidia dicto!)

cto!) ex absentia characterum auri essentialium, gravitate scilicet & fixitate in igne maxima, promptaque cum Mercurio amalgamatione demonstrassem, fidem meam inter posui, quod revocatis porro ad examen miculis, seriaque in naturam & originem harum facta indagine, quid reapse sint, determinare & declarare velim; hanc cum liberare promissoque meo, prout decet ingenuos, satisfacere intendo, tacito quod hactenus coquebam pectore, palam jam profiteor, miculas scilicet has nihil aliud, quantum conjectura & ratione adsequor, quam ipsum uvarum esse perfectiorem succum, qui, dum per acinorum pelliculas, ob maturitatem teneriores redditas, jamque pulchre colore fulvo perlucentes (da die Beere Wachsgelbe werden) transudat, fervore solis in gummosam, prout in prunis & congeneribus fructibus aliis fieri adsolet, inspissatur & cogitur in substantiam.

Fato admodum propitio anno MDCCXXXVIII. suo adhuc turgentem succo, & pendentem pediculo, parique fucatam auro, obtinui uvam, quæ in oppidi *Mad* promontorio, *Becsek* nuncupato, frequenti lapide impeditum solum, adeoque generosiori gignendo vino peropportunam possidente, vinetoque Perillustris *Sigismundi Roth*, consobrini mei, casu, dum jam demessæ uvæ in labrum congererentur vinarium, inventa fuit. Hanc ubi, fervente vindemiali opera, tantisper seposuissem, eaque putredine flaccescere, & præter exspectationem nostram diffluere moliretur, minutiores spiculas, aurum colore mentientes, humore hoc solvi & liquescere, non sine tædio adverti. Ut ergo ulterius durare & perennare possit, suspensam in fornacis vicinia persiccavi, redux dein factus pristinum per ignem & mercurium cum binis residuis miculis prominentioribus resumere examen quidem volui, verum cum easdem nihil minus, quam metallicæ esse prosapiæ, novo hoc argumen-

to,

to, quod humore scilicet liquescerent, satis convincerer, insolitum hoc naturæ phænomenon frustra disperdere displicuit, præsertim, cum gummi instar eas quodammodo pellucidas esse, non solum ipse ego oculo armato conspexerim, sed alii etiam, quibus experimentum capere volupe fuit, observaverint. Quare, prout alias, ***quidquid in rebus dubiis maxima sententium defendit turba***, ut meum Illustr. b. m. STAHLII proverbium faciam, ***error utplurimum est***; ita publicum per scholarum ignaviam de auro hoc vegetabili irrepsisse errorem, nemo amplius, nisi cui forte pro cerebro cucurbita adfuerit, dubitare potest.

Sed quid de nucleis acinorum, (**von denen Körnern der Weintrauben**) quos vulgus eruditorum ***acinos*** perperam nuncupat, & in aurum obrizum magno naturæ prodigio interdum converti somniat, censeam, hæreo. Congessit equidem SACHSIUS in sua ***Ampelographia***, majori labore, quam judicio, prout olim MICHAELI ETTMULLERO visum est, conscripta, itemque PATERSONIUS HAIN, in nostris Ephemeridibus nonnullas hujus rei historiolas, ut per sarcasmum easdem in Lectione sua de ***quatuor diæteticis subjectis***, vocat NEUMANNUS, potiores tamen harum, non nucleos acinorum, sed corticem uvæ aureis conspersum exhibent miculis, adeoque nil ultra nostram docent experientiam. Hujus ni fallor, prout non fallor, census est, relatio HELDIANA SACHSIO quondam coram facta, adportatos scilicet fuisse Principi suo, cujus erat Archiater, in arce Patate prandium sumenti, botros, quorum acini compactis auri atomis, mire splenduerint, adeo, ut folliculi, seu membranæ auro quasi obductæ fuerint. Nec dispar est ***Franckensteiniana*** illa scripto data, possedisse scilicet se acinos, circa Tokainum inventos, aurique granis imprægnatos & circumvestitos, ipsiusque BECHERI, æquivoca licet sit, enunciatio, d. m. in quibusdam acinis auri obrizi grana se

invenisse in Metallurgia sua prætendit, salva vi vocum tamen commode de inhærentibus cortici exteriori miculis interpretari licet. Est enim acinus fructus in genere, sub tenui cuticula liquorem continens, constans folliculo suo, carne & granis, vel ut COLUMELLA vult, vinaceis: unde PLINIUS, non uvis saltem, sed & Sambuco Hederæque tribuit acinos, ut hinc in eam fere devenerim sententiam, subnatam esse ex mala vocis acini acceptione, de aureis acinorum nucleis fabulam. Obstat tamen, ne quid dissimulem, PATERSONII HAIN auctoritas, qui *Ephem. Dec. I. Ann. II. Obs. 113.* dono sibi, nisi miles barbarus præripuisset, destinatam fuisse uvam, refert, cujus acini omnes erant aurei, quive attrita per metallum cuticula, per parva foraminula erant conspicui: possedit idem extractum ex uva acinum, quem aurifaber in lapide Lydio 27. Caratorum fuisse deprehenderat: alium adhuc ex liberalitate Wayana obtinuit, quem manu sua donatarius exemisse prætenditur, quive auri optimi 40. grana pependisse dicitur; hic enim per acinos vinaceas, vel grana uvarum indicari disputare nec volo, nec possum. Non sum equidem adeo perfrictæ frontis, ut omnem Auctori derogem fidem, sed nec tam vecordis & abjecti, humilisque animi, ut absque judicio dictis adsentiar: dabo rationem, si juxta antiquam PLAUTI paræmiam, *oculis major habenda sit fides, quam auribus*, licebit mihi jure optimo, quæ ille de acinis peregrina celebrat testimonia, in quæstionem vocare, uvam quippe, prominentibus acinis conspicuam, ipse, cum militi in prædam cesserit, non vidit, incertumque est, annon fervore Solis, vel mora temporis, contracta in rugas uva, inhærentes ejusdem Cortici miculæ, prominentium acinorum non satis perito & cauto relatori mentitæ fuerint specimen. In facto altero, quid si PATERSONIO amphibologia imposuit, ipse enim acinum ex uva non extraxit, quali ipse olim, quod confiteri

teri non erubesco, deceptus fueram, dum aurifabrum talem decerpisse ex uva in *Ephem. loco citato* referrem, quem is præmisso per lapidem Lydium examine, adhibita per ignem docimasia in fumum abiisse expertus fuerat; non enim ex uva, uti quidem ego intellexeram, sed a cortice ejusdem avulsum fuisse, ex eodem artifice, seria ex post facta inquisitione, didici. Celeb. KOELESERIUS quondam, (nec enim post fata sua amplius est,) noster, dum in *Auraria Romano-Dacica*, uvas guttis aureis superbientes, (quas ex vaporibus auri, Sirio ardente in auram sublatis, ex præjudicata procul dubio opinione, & ex post nocturno frigore concentratis atque roris instar in uvas præcipitatis, aurum esse, ex præcipitantia judicii perperam statuebat,) apud Comitum *Georgium Banfii*, Transylvaniæ suo tempore Gubernatorem, se conspexisse, retulisset, subjungit, constare sibi ex relatione Familiæ Nalaczianæ, acinum aureum per carnem uvæ translucentem fuisse inventum: Sed nec hic ex rationibus dubitandi præmissis, tuta & certa est fides. Acinum denique 40. granorum metamorphosi Ovidianæ adscribere vellem, quoniam hujus ponderis granum in uvis subsistere posse, meam & forte aliorum etiam superat fidem.

Ego sane, sicut alios decipere, ita ab aliis decipi nolo & maxime caveo, dumque liberam cuivis hac de re opinandi relinquo facultatem, sancte testor, quidquid licet adhibuerim diligentiæ, (adhibui autem quam maximam,) in oculatum tamen inter cives testem, hactenus incidere me non potuisse: Non desunt equidem, qui fando se percepisse veritatem facti jactarent. sed non paucos horum, ut de vana credulitate & superstitione nil dicam, falsos fuisse dictionis amphibolia comperi, cum enim inaudivissent, aurum vegetans in uvis inventum fuisse, de acinorum nucleis id perperam pro suo præjudicio interpretantur, licet nil,

præ-

præter adfixas cortici miculas præsto fuisse, instituto paulo rigorosiori examine, cognoverim. Quidquid interim sit, nisi supra celebratos essentiales auri characteres nucleos hos acinorum possidere, sufficienti demonstretur experimento, verum eos aurum esse, ut credam, a me plane impetrare nequeo. Examen per lapidem Lydium fallit, nec sufficit, præsertim, cum multa intempestiva fingat credulitas, idque eo promptius, ubi raritas, quæ filia plerumque est ignorantiæ, pretium & admirationem rebus conciliaverit, tum enim, prout amor est facilis, quod quis cupit, illud se cernere, sibi & aliis persuadere summa ope nititur: valet autem & hic illud Poëtæ:

- - - - Nimium ne crede colori,

siquidem non omne id aurum est, quod auri colorem præ se fert, non tamen ideo, quod sensus fallant, oculi enim objecta recte secundum regulas opticas repræsentant, sed quod judicii nobis imponat præcipitatio.

Non sum equidem nescius illorum, quæ circa subtilisationem, volatilisationem & penetrabilitatem, auro conciliandam, præstare valeat sanior Chymia, nec me latet, qualia quantave argumenta, pro adserenda auri vegetabilis possibilitate nonnulli, ex principiis potissimum Becherianis, operose conquirant; ast nondum etiam mente excidit, quod olim in scholis didiceram, a posse nempe ad esse non valere consequentiam. Novi insuper etiam, quantum inter furni Chymici & naturæ ignem intercedat discriminis, adeo, ut dum hæc talem coloris gradum notumque igneum immediate adhibere, eundemque ad normam artis moderari nequeat, ne quidem eandem semper adsequi, vel imitari valeat, quod vel exemplo salis alcalici fixi & ammoniacalis, quorum scilicet neutrum naturam sponte generare, post solidas NEUMANNI ratiocinationes, nemo facile inficias ibit, sufficienter probari potest, ut spiritus inflammabiles, &

præ-

præcipue depurationes, ſeparationes, homogeneasque tam multorum mineralium, quam & metallorum collectiones taceam, in quibus naturam deficere, artique cedere, STAHLIUS inter alios luculenter demonſtravit. Utinam Chymici doctas naturæ ſtruendo inſidias maluiſſent obſervare, quid re ipſa eadem agat & faciat, quam ſpeculari, quid pro unius cujusque ingenii & judicii facilitate exequi poſſit, minus quidem opinionis, ſed plus certe ſcientiæ poſſideremus practicæ. Referamus ergo, donec meliora edocti fuerimus, inter credenda phyſico - chymica, quæ de aureis uvarum nucleis, aureis dentibus, auro in Trutarum capitibus invento, vel ex alis cantharidum, aut virgulis Tamariſci, confecto, nonnulli fabulantur, aut ſomniant: abſit enim, ut ab examine rerum recedentes, teſtimoniis horum, qui cæca credunt fide, & absque juſto opinantur examine acquieſcamus.

Neque tamen idcirco omnem, hoc ex capite auri vegetationem in dubium vocare, vel pernegare contendo, convolvuli quippe inſtar aurum tale arbores, vites, (cujus rei iconem & exemplar celeb. patriæ Hiſtoriographus & nobis amiciſſimus MATHIAS BELINS, in ſuo exhibuit Prodromo,) immo & ſegetes interdum amplecti, non credo, ſed certa teneo ſcientia portionemque fili vere aurei, intra metendum ſuperioribus annis in Szedzikir, Poſſeſſione urbi noſtræ vicina, dum falci meſſoriæ reſiſteret, deprehenſi, dein facta indagine ex terra protracti, 16. aureos pendentis, coloris, prout omne aurum vegetans eſſe adſolet, pallidioris, actu poſſideo & demonſtrare cuivis poſſum; quod pro fulcienda veritate Hiſtoriæ naturalis & facti ſimul in *Annal. phyſ. med. Wratislav. Tentam. V. Claſſ. IV. Art. 4.* relati, hac occaſione referre volui.

Ceterum, ſi vino vendibili haud opus eſt ſuſpenſa hedera, Hungaricum ſane facile carere poterit, commentitio,

consanguinitatis scilicet hactenus disputatæ cum auro, præconio, tuebiturque illud absque dubio tandem & gloriam vini Theologici, hoc est, optimi. Cum enim Theologi, Sorbonistæ Parisienses, Bononienses, Lovanienses, Colonienses, (itemque Clerus noster Hungaricus,) notante id eruditissimo ERASMO *Roterodamo*, talia deligere consueverint, ideo hoc ex principio Theologicum illud nuncupari, *Arnoldum Villanovanum* imitaturus, in suis Adagiis censuit. Solarium interim medicaminum, virtus in morbis quamquam per omnes superlativos, plus quam rhetorica extollatur declamatione, dubia tamen admodumque fallax est: neque enim morbi aliqua erga medicamenta pretiosa ducuntur reverentia. Vini e contrario præstantia, multis eadem superat parasangis, innumerisque, ipsius etiam vulgi, quotidie firmatur experimentis. Paraveram olim ex vino generosiori, quod superioribus annis ob copiam fere eviluit, cujus nunc vero, ob summam penuriam magno laboramus desiderio, per concentrationem dephlegmatoriam, vi frigoris intensioris, (nec enim facile alias in glaciem concrescit,) vinum essentificatum, aut PARACELSI termino, *Essentiam vini*, quæ, prout gratia, ita & prompta efficacique refocillandi virtute, multum se commendaverat, plusque eadem in omnibus morbis, ubi stimulo opus fuerat, vel oscillationes solidorum, pro imminente fluidorum tollenda stasi, viribusque reficiendis, intendere oportebat, profeci, quam quis conjectura adsequi, vel ab ulla Essentia dulci, vel solari expectare potuisset, præsertim, ubi eandem Aqua Naphæ, vel consimili, dilutam, pro cordiali mixtura exhibuissem.

(*Eperieso Erfordiam missa*
d. 24. Febr. 1741.)

OBSER-

OBSERVATIO CXXX.

Dn. D. JOAN. PHIL. BURGGRAFII.

Dimidii dextri hemiſphærii cerebri inflammatio & ſuppuratio, a cauſa externa excitata, vigeſimo primo demum die lethalis.

Adoleſcentulus XV. annorum, cum aliis ſociis in area horrei d. 7. Maji 1737. Rœdelhemii, quod uno lapide Francofurto diſtat, ludens, & vittam ſuam, quam alius ex loco nonnihil altiore in arenam projecerat, inclinato corpore confeſtim adrepturus, ab ipſo illo ſocio, obtuſo bidentis ſtercorarii altero dente in oculo dextro præter intentionem lædebatur, unde ſtatim reclinatus cecidit & ejulavit, mox ſurgens domum ſe contulit, & quoniam nulla manifeſta læſio, præter levem aliquam linearem cuticulæ palpebræ ſuperioris, cum mediocri intumeſcentia in loco dolente, obſervabatur, haud ſollicita ſatis plagæ habebatur cura. Poſtquam vero læſus quam maxime de dolore conquerebatur, poſt aliquot ab accepta plaga dies, cum patre ſuo huc Francofurtum ad Chirurgum quendam pedibus, ſed moleſte admodum, ibat, qui neſcio quæ adplicavit & porro adplicanda ſuaſit, ſed nullo fauſto ſucceſſu ſecuto. Decumbere hinc, ob gravem capitis dolorem, cogebatur. Decimo quinto vero vel 16. ab accepta plaga die, gravibus corripiebatur convulſionibus, propterea nuncius ad me mittebatur, qui prægreſſa enarrabat conſiliumque petebat. Indicabam huic, latere heic aliquid monſtri, cui parum opis ex pharmacopolio, præter febriculam temperantia præſcribendo, opponere valerem; opus ergo eſſe, ut ocyſſime Chirurgi opera id fiat; ſed malum invaluerat nimium, unde d. 27. dicti menſis, qui erat vigeſimus primus ab accepto ictu, æger placide

expiravit. Sequente die, jussu Illustrissimi Comitis de Solms in Rœdelheim, ad explorandum causas mortis, caput aperiebam. Sollicite igitur id contemplando, præter bulbum oculi dextri sub clausis palpebris manifesto tumentem, præternaturale nihil externe, ne quidem diductis palpebris, in ipso bulbo oculi animadvertebam. Ablato vero cranio

1.) dextrum cerebri hemisphærium dimidia & anteriore sua portione intra duram matrem, cum hac, bursam pure plenam referebat.
2.) Ossis ethmoidei pars plana dextra, orbitam simul formans in medio sui pertusa erat, oblongo quidem, sed irregularis figuræ foramine, quatuor circiter lineas longo, & duas lato, in cujus ora ne minimum cariei vestigium notari poterat.
3.) Ipsa orbita pure plena erat, ut si bulbus oculi externe digito nonnihil premeretur, pus per istud foramen ex orbita in cavum calvariæ quasi scaturiret.

Causam ergo proximam mortis satis manifesto patet fuisse dextri hemisphærii cerebri, ad dimidium suppuratione factam destructionem: causam proximam inflammationis & suppurationis hujus portionis cerebri, fuisse contusionem, a bidente stercorario factam, nemo non intelligit: num vero foramen istud in osse plano orbitæ ab ictu bidentis, an per erosionem pure factam, natum sit, dispiciendum, quamvis nullum in partibus mollibus, intra orbitam contentis, gravioris contusionis ab alterutro bidentis stercorarii dente excitatæ vestigium, præter levem linearem cuticulæ palpebræ superioris vulnerationem, occurrebat, adeoque facile concludi potuisset, neutiquam a memorata contusione foramen illud in processu plano ossis ethmoidei pertusum, quin potius ab acrimonia puris illud ipsum erosum fuisse: attamen cum

a) in

a.) in ipsa dicti foraminis ora omni, ne minimum cariei vestigium notari potuerit;

b.) nulla ratio adfuerit, cur pus toti isti processui plano incumbens, totam illam superficiem ejus non adrosisset;

c.) teneritudo hujus memorati processus plani tanta sit ut non adeo, ingens vis contundens, ad illud perforandum requiratur, inprimis in adolescentulo tenero, ubi simul attendendum, ossa recentia longe molliora esse, quam exsiccata, in sceleto observantur.

d.) Haud ita raro in praxi chirurgica observetur, os aliquod brachii, aut pedis, frangi, ut ut in partibus, os illud ambientibus, haud ingentem suggillationem a prægressa os frangente contusione animadvertere liceat;

Hinc quam maxime probabile mihi quidem videtur, ab obtuso bidentis stercorarii altero dente, ad os istud planum, tenue, tenerum, molle, impacto, hoc ipsum os pertusum fuisse, cum dens ille in palpebram superiorem impingens, hanc supra oculi bulbum, intra orbitæ cavum, ita protrudere potuit, ut processui illi plano ossis ethmoidei illiserit, atque istum pertuderit, retracto vero statim illo dente, & palpebra naturali musculorum suorum actione in suum locum redierit. Adfuisse externe in initio aliquam læsæ palpebræ intumescentiam vel sugillationem, ipsi parentes defuncti testabantur, quid vero intra orbitam actum fuerit, ignorabant.

Idem igitur ille ictus, dictum os planum perforans, & periostium, orbitam interne investiens, ac duram matrem, os planum intra calvariam succingentem, in loco adfecto contudit & suggillavit; hinc per rationes circulationis sanguinis non potuit non primo in loco plagæ, dein ulterius vicinas partes inficiens, inflammatio tandemque suppuratio succedere. Quid si mox ab accepto ictu venæsectio largiuscula instituta, eoque ipso

α.) impetus circulantis sanguinis a loco vulnerato revulsus, β.) extravasati vero in venas resorptio promota, γ.) utroque modo inflammatio præpedita fuisset, an putas tunc parvum foramen ossis tenuis & teneri, in homine cæterum sano, in optimo incrementi corporis vigore constituto, vi vitæ sponte sanari, adolescentulum servari potuisse? mihi sane in quacunque contusione, sive manifesto graviori, sive adparenter leviori, gravioribus vero symptomatibus stipata, præsens exemplum, summe urgentem phlebotomiæ necessitatem, evidentissime evincere videtur. Denique maxime notatu dignum puto, tam late pariter ac profunde serpentem inflammationem & suppurationem cerebri, in præsente casu a causa externa inductam, ad diem 21. protrahi potuisse; ac præter gravem capitis dolorem, de quo æger continuo questus fuit, primis 14. diebus nulla truculenta symptomata, ac non nisi die 15. vel 16. convulsiones, tandem lethales; cum inflammatio duræ matris & ipsius cerebri a causa interna nata, nec sanguinis missione sufficiente infracta, terrifica mox inducere soleat symptomata.

OBSERVATIO CXXXI.

Dn. D. JOANN. PHILIPPI BURGGRAFII.

Diuturna, magna & valde molesta pulsatio in Epigastrio.

Vir 66. annorum, justæ staturæ, robustæ compagis, sat pleni adhuc corporis habitus, sanguineo-cholericus, sartor, trigesimo secundo ætatis suæ anno, nuptias postquam celebrasset, mox magnam fortemque in epigastrio, ab umbilico ad scrobiculum usque sinistri orificii ventriculi pulsationem persentire cœpit, in hunc fere diem continuatam, & sæpe ita exacerbatam, ut ab adstantibus audiri potuerit, ac collare linteum, supra sternum dependens

dens, exinde ſubſultaverit, magnasque ipſi moleſtias excitaverit.

Statim opem exquiſivit & illo ab tempore invaſionis usque ad 66. ætatis ſuæ annum, adeoque per 34. continuos annos, multorum indigenorum & exterorum Medicorum præſcriptis ſollicite uſus eſt; ſed quod maxime doluit, incaſſum. Ceterum ſatis bene valuit, aliquot liberorum pater. Voluit tandem, neſcio cujus ſuaſu, & meas in medendo huic malo experiri facultates. Manu mea menſe Septembre MDCCXXXVIII. denudato ejus epigaſtrio admota, pulſationem hanc exploraturus, illam tam magnam, tamque validam, ſed profundam, & quaſi in epigaſtrii centro perſentiebam, ac ſi baculus ultra pollicem craſſus pulſaret. Conferebam hunc pulſum p. n. cum arteriarum in carpis pulſationibus, quæ naturales ſanæque erant, & his contemporaneum, ſed duriorem rigidioremque deprehendebam.

Adeoque pulſationem hanc p. n. eſſe arterioſam mihi innoteſcebat; ſed quænam arteria pulſaret dubius hærebam. Nullis enim præterea ſymptomatibus adfligebatur æger, quæ læſam alicujus partis functionem mihi ſignando, in cognitionem arteriæ p. n. pulſantis me adduxiſſent. Abdomen erat molle, æquale, nullibi p. n. prominulum, nec ex ejus attactu ullibi interius moleſtiam ſe percipere æger adfirmabat. Nullam in corpore arteriam, quæ ratione tam ſitus perpendicularis a ſiniſtri orificii ventriculi ſcrobiculo ad umbilicum, quam magnitudinis fortitudinisque pulſus; huic p. n. in epigaſtrio pulſui reſponderet, præter aortam, noveram. Hujus vero profundus juxta ſpinam ſitus, vetat ejus in epigaſtrio admota manu pulſum perſentire. Quando enim p. n. illa pulſaret, tunc in poſtica potius, quam antica corporis parte, obſervaretur. Nec arteria cœliaca fuit: mox enim ſub diaphragmate illa prodit,

non

non vero ad umbilicum protenditur. Forsan fuit ille arteriæ mesentericæ inferioris ramus insignis, qui cum alio mesentericæ superioris sæpe communicans, rursum ad ventriculum surgit? sed quid hunc arteriosum surculum ita p. n. vehementer pulsare fecit? subibat mentem cogitatio, an aneurisma alicubi in abdomine & in memorata modo arteria forsan hæreret? Hanc conjecturam pensitando mens probabat quidem, sed hæsitanter; quod aneurismatum temporis tractu pulsatio decrescat, tandemque ita deficat, ut amplius non sentiatur, quia arteria in loco dilatato, grumosa & polyposa materia ita intus incrustari soleat, ut pulsum ibidem suffocet. Conferatur LANCISIUS in eximio opere de *Corde & aneurismatibus Lib. II. cap. VII. propos. LVIII. p. 142.* Et quidni in nostro ægro per XXXIV. annorum tractum tale quid factum fuisset? sed sub hac mentis agitatione hanc natam dubitationem e vestigio aliqua responsio sequebatur: Nequaquam tumorem quendam latiusculum, sed integram, ast ampliatam arteriam pulsare. Adeoque non tam legitimum aneurisma, in quo villis membranæ, præcipue muscularis, continui solutionem passis, arteria ibidem impar sustinendo impetui sanguinis, e corde propulsi, reddita, se in peculiarem tumorem dilatari patitur, subesse; sed spurium aneurisma, quo arteria in omnibus illam contexentibus tunicis integra quidem, sed ab adaucta vi impetus vel recti, vel reflexi, sanguinem supra naturalem & ordinariam arteriæ resistentiam impellentis, ita violenter distracta fuit, ut ad naturalem virtutis suæ contractoriæ terminum perfecte redire nequiverit. Qualia aneurismata præter alias causas, validi corporis in bajulis & tubicinibus conatus, qui motum atque impetum sanguinis naturali constitutione longe voluntariis suis nisibus majorem reddunt, producere solent. Videatur LANCISIUS *l. c. L. I. prop. V. p. 94.* Non recordabatur æger, quod post talem

aut

aut similem corporis nisum, hæc pulsatio inceperit. An vita sedentaria, qua compresso anterius abdomine sartores sedere solent, in neogamo nostro, post pastum etiam, pleno contenta abdominis urgente ventriculo, in rebus opificii sui adsiduo, adauxit impetum vel rectum, vel reflexum sanguinis, per dictum communem arteriarum mesentericarum surculum propulsi, ut dictus hic surculus, ultra suam elasticitatem distractus fuerit, sicque integritatem virtutis suæ contractoriæ, utcunque perdiderit? Hæc causa ad producendum tale ac dictum aneurisma spurium in hoc ægro haud sufficere videtur. Interim idea talismodi spurii aneurismatis, ex phænominis in præsente ægro utcunque nata, tristem simul immedicabilis mali prognosin suggerebat. Qua enim arte arteriæ, quæ jam præternaturalem diutius, quam naturalem experta erat statum, utpote quæ per 34. annos perfectam suam vim constringendi perdiderat, & cui distractio hæc p. n. in habitum prorsus confirmatum degeneraverat, illa iterum integra reconciliari posset?

Quoniam vero lotium subflavum omni coctionis signo destitutum erat, crudosque sic satis succos arguebat, mihi haud visum fuit prudentiæ esse, ægro supra memoratam tristem prognosin omnem, ne nimium istum statim contristarem, plane & simpliciter exponere, sed de mali tantum difficultate, quod per 34. annos jam medelam nullam admisisset, admonere: addidi me prius tentaturum, an illam humorum cruditatem, multorum forsan insequendorum incommodorum feracem, subigere valeam, ac dein me indicaturum pollicitus sum, quid de abigenda ista in epigastrio pulsatione sperandum habeat. In hunc finem præscripsi Gumm. ammoniac. puriss. Extract. centaur. min. Saponis Veneti ana Misc. accuratissime. F. Pilulæ, quarum drachmam dimidiam mane itemque vesperi sumeret, & infusum quoddam

ex ſpeciebus aperientibus paratum ſuperbiberet, idque omne per aliquot ſeptimanas continuaret, Tam læto cum ſucceſſu id præſtitit,ut non ſolum pulſatio ita ſucceſſive imminueretur, ut admota epigaſtrio manu vix adhuc percipi potuerit, ſed & ipſi ægro non amplius impedimento in negotiis ſuis fuerit, tandemque omnis ceſſaverit. Minxit & dein lotium prorſus ſanum.

Quod uſu iſtorum remediorum pulſatio hæc ablata fuerit, ſatis docet, aneuriſma haud ſubfuiſſe, utpote talibus remediis neutiquam ſuperabile. Quæ igitur tam gravi tam pertinacis, tam diuturnæ in epigaſtrio pulſationis cauſa fuit? fateor nondum adſequor! ſit aliis me ſagacioribus & peritioribus, ſi lubet, problema.

OBSERVATIO CXXXII.

Dn. D. JOANN. PHILIPPI BURGGRAFII.

Largior poſt longam inediam paſtus, peripnevmoniæ pituitoſæ in vetula, cauſa.

Vetula 70. annorum, parvæ ſtaturæ, macilenti, laxi, rugoſi, frigidi habitus, a quatuor jam menſibus in dextro hypochondrio hypogaſtrium verſus, tumorem durum, pugni magnitudine, ſenſerat. Jejunium quadrageſimale anno MDCCXXXIX. ſecundum Eccleſiæ Romanæ ſtatuta ſevere obſervaverat. Die Jovis, diem Paraſceves proxime antecedente, qui fuit 26. Martii, cum pranſa eſſet, ab omni cibo usque ad prandium proximi diei Sabbathi, nempe 28. Martii, ſicque per 48. horas abſtinuit. Mox feſtis Paſchatos diebus, qui erant 29. 30. 31. Martii, carnium eſui paulo liberalius indulſit. Die 2. Aprilis ad ſenſum ſana cubitum ibat; ſed ſummo mane diei 3. Apr. oppreſſione pecto-

pectoris & anhelatione gravissime laborare cœpit. Proprio nec improbando consilio, e vena in cubito secta, uncias circiter quatuor sanguinis, rivo scilicet sponte subsistente, emisit. Hora 6. matutina ego vocatus inveniebam summe & anxie cum pectoris fervente strepitu anhelantem & frigidam, pulsu interim pleno, tenso, celeri. Cum causas morbum hunc pregressas & modo enarratas ab adstantibus percepissem, cognoscebam iners hoc ægræ corpus diuturniore inedia prius exhaustum, ex liberalius dein comestis, haud vero sufficienter a viribus viscerum chylopoieticorum subactis carnibus, crudo eoque justo copiosiore chylo obrutum fuisse, qui, cum vires hæmatopoieticas corporis cruditate & copia superaret, in lentam pituitam fatiscebat. Hæc vero partim successive in arteriis pulmonalibus adgesta, partim nunc tepore lecti agitata, subito dicta vasa infarciebat ita, ut summe periculosam peripnevmoniam spuriam, sive pituitosam, induceret. In ancipiti hoc casu, ubi effœta senectus gravissimo, & senibus utplurum lethali morbo premebatur, eoque jam adulto, exposita adstantibus valde dubia salutis spe, pulmones omni studio confestim levare adnitebar.

Propterea cum pulsus plenus, tensus, celer, febrem, infarctos pulmones mox destructuram, insurgere signaret, denuo in alterutro cubito venam secari & ad quinque vel sex uncias sanguinis emitti curavi. Ad liquandam vero pituitam crassam, vasa pulmonalia obstruentem, & ad hæc ab eadem expedienda, linctum sequentem præscripsi: Rec. *Oxymellis simpl. Syr, Scabios. ana unc. 2. Misce*, sumat de eodem singulis dimidii horis cochlear semiplenum, superbibendo aliquot uncias infusi saturati, ex sequentibus speciebus parati; Rec. *Rad. Fœnic. Glycyrrh. ana unc. dimid. fol. Scabios. Tussilag. ana manip. 1. & dimid. Flor. Scabios. unc. dimid. incis. misce.* Factum hoc fuit, sed versus vesperam nul-

ſum adhuc levamen percipiebat, quin cadaveroſum fere frigus & fervens pectoris ſtrepitus, jam attritos alias in hoc morbo pulmones pertendens, jam inexplicabili pectus comprimente anxietate, in ægra obſervabantur. Cum vero nil ulterius moliri morbus permitteret, iisdem medicamentis ſedulo per inſtantem noctem, ſed repetita triſti prognoſi, continuare juſſi. Bis ægræ inde ſoluta fuit alvus, & verſus auroram d. 4. Apr. meliuſcule habere cœpit: utcunque minus anhelabat, ſed paulum liberius reſpirabat, naturaliter iterum calebat, pulſu nunc molli & fere naturali, ſicque præter ſpem & opinionem pituitae infarcientis liquatio, & infarctorum vaſorum liberatio ſuccedebant. Die 5. Aprilis melius habere pergebat, ſed difficilem ſe jam ad uſus Oxymellis continuationem exhibebat; cum interim nonnihil adhuc anhelaret, ſequentem hinc præſcripſi pulverem: Rec. *Sperm. Ceti recentiſſ. Sacchar. Canar. ſubact. drachm. 2. Pulv. rad. Ari, Glycyrrh. ana drachm. 1.* Miſce accuratiſſime, ſumat ſingulis tri- vel quadrihoriis, quantum lata cultri cuſpis capere valet. Reconvaleſcentia jam non nihil tardius procedebat, cum per intervalla oppreſſiones pectoris ſtrepentes adhuc ſentiret, ex ſucceſſivo decubitu pituitæ adhuc tenacioris: propterea ad detergendum ſuaſi, frequenter utatur juſculis calidis, ex cereviſia cum melle, ſaccharo & vitello ovi paratis, tum d. 8. Apr. Pilulas ſequentes ordinavi: Rec. *Gummi ammoniaci puriſſ. drachm. 2. & dimid. Succ. Liquir. inſpiſſ. drachm. 1. & dimid. Therebinth. Venet. clariſſ. drachm. dimid.* Miſce accuratiſſime, F. Pilulæ pond. gr. III. conſp. pulv. Sem. Lycopod. ſumat X. tam mane quam veſperi: Inde ſucceſſive, raro, forſan mihi ſaltem exemplo, ita convaluit, ut d. 13. Aprilis Moguntiam, unde venerat, commode rediret.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXIII.

Dn. D. JOANN. PHILIPPI BURGGRAFII.

Sectio puelli singulari atrophia rhachitica defuncti.

Puellus ad nonum ætatis mensem pulcherrime valens, marcescere & penultima dorsi vertebra, extrorsum quasi luxata, paululum ipsi, absque ullo in ipso observabili incommodo, prominere tum incipiebat. Consultus, prævio sollicito rei examine, deprehendi, haud luxationem a violentia, vel injuria externa natam, sed spontaneam dictæ vertebræ protuberantiam subesse, atque Rhachitidem imminere. Suffulciebant hanc diagnosin & prognosin, quod duo uterini hunc puellum antecedentes, eodem morbo perierint. Mecum igitur studiose perpendens, Rachitidem pro causa proxima agnoscere, solidarum & fluidarum corporis partium ingentem inertiam, ubi illæ absumta decenter subigere & adsimilare nequeunt; hæ vero aliquamdiu crudæ permanentes, tandem corruptæ, omnia incommoda, sive ex crudis, sive ex corruptis succis, sive denique ex utrisque nascitura inducunt: sollicite ergo studui, utrumque vitium emendare, ejusque geminatos pravos effectus antevertere.

In hunc finem suasi parentibus, curarent thoracem parari, in regione protuberantis vertebræ lamina ferrea rigidum, ut puellus hoc thorare die nocteque indutus sit, & ulterior protuberantia arceatur. Præterea fricarent puello frequenter corpus pannis probe suffumigatis speciebus aromaticis, prunis inspersis: servarent corpus vestimentis siccissimis vestitum: victum minime pinguem, sed paululum calefacientem exhiberent: quo omni hoc adparatu

fibris, vasis & visceribus firmior elementorum illa componentium cohæsio concilietur. Et ut natas cruditates tam ex canali alimentario, quam & visceribus interdum excuterem, præscripsi aliquoties radicem Ipecacuanhæ, unde puellus vomuit. Quo tandem compagem vasculosam firmarem, usum martialium varia forma circumspecte interposui, sed omnia incassum. Puellus de die in diem extenuari, anhelare, utplurimum æstuare, aut febricitare cœpit & perrexit, ut cutis vix ossibus hæreret. Interea ille idem voracissimus & ad iram pronissimus factus, ita, ut nullo medio magis placari potuerit, quam cibo quocunque, rudiori etiam, tempore itidem quocunque oblato. Ossium artuum epiphyses, maxime prope carpos, protuberabant quidem p. n. sed paululum, nec tantum ut puellis admodum rhachiticis familiare esse solet. Caput justo paululum grandius erat; sed nec hoc tantum ut in aliis infantibus valde rhachiticis quotidie videre licet: tandem nec abdomen ita prominebat, ut in dictis infantibus observatur. Denique cum vigesimum secundum ætatis suæ mensem ageret, d. 22. Maji MDCCXXXIX. parentibus & omnibus domesticis id nondum opinantibus, summo mane intra quadrantem horæ, qua solum moribundus observabatur, animam efflavit.

Vesperi illum secui. Tota musculorum per universum corpus moles consumta & in membranas fere mutata cernebatur. Interanea fere omnia integra & salva exhibuit; nisi quod Hepar justo grandiusculum, cum vesicula fellea itidem majuscula, viridissima bile instructa, intestina adiacentia admodum tingente, invenirentur. Quamvis puellus voracissimus fuerit, & probe cœnatus quoque obdormiverit, ventriculus tamen corrugatus valdeque parvus erat. Intestina videbantur laxissima, & colon seorsim flatu distentum & teneritudine prorsus pellucidum. Glan-

dulæ

dulæ mesenterii tumefactæ: vasa ejusdem sanguifera turgida: vasa lactea denique pulcherrimo spectaculo, chylo plena admodum conspicua erant. Intestinum rectum a contentis flatibus in medio sui ampliatum conspiciebatur, magnitudine grandiusculæ nucis moschatæ, contrectatum vero sponte corrugabatur subsidebatque. Externe protuberans vertebra interne distinctissime exhibebat illam nequaquam luxatam fuisse, adeo accurate locum suum occupabat.

Tertius, ut dictum, hic est eorundem Parentum infans, eodem fere modo extinctus, & quartus adhuc superstes, quartum jam annum egressus, ad eadem mala inclinat, pallidi flavescentis luridique coloris, manibus semper calens. Quæ causa igitur tam funestæ disositionis? an lenis venerea labes subest cum pater Gonorrhœa virulenta in juventute quondam laborans, mere adstringentibus curatus fuerit, nunc, intra annum trigesimum adhuc constitutus, jam calvus & leni labe venerea humoribus immersa & tenaciter inhærente mulctatus.

OBSERVATIO CXXXIV.

Dn. D. JOANN. PHILIPP. BURGGRAFII. Intestinorum & Mesenterii coalitus præternaturalis.

Puellus quinque annorum, hucusque, ut videbatur, perfecte sanus & vegetus, nisi quod abdomen ejus nonnihil timidulum fuerit, quod tamen parentes plenitudini a cibis, ob voracitatem puelli, hactenus tribuerant. Cum vero aliquid herniæ intestinalis in dextro inguine adpareret, sed iterum dispareret, in sinistro vero latere mox prodiret, & dexter testiculus dein & abdomen intumescerent, artuum autem musculi extenuari inciperent, intelligebant parentes demum, hanc abdominis intumescentiam alii

cau-

causæ quam copiose quotidie devoratis cibis adscribendam esse. Opem igitur primum chirurgi, ad mala genitalium, mox & Clar. D. *von der LAHR* implorabant, qui exposita parentibus mali causa, ab infarctu glandularum meseraicarum præcipue derivanda, curationem perite auspicabatur. Sed pertinacia radicati mali, vim medicamentorum eludens, sollicitis parentibus persuadebat, ut priori alium adhuc Medicum adjungerent, quo deliberato consilio, diro huic morbo obviam eatur. Accersor hinc de 5. Junii MDCCXXXIX. invenio supine decumbentem puellum, abdomine prætumido, facie pallida & emaciata, pulsu justo nonnihil frequentiore. Dum igitur & morbi & actorum historia mihi enarratur, monstrantur etiam genitalia puelli: invenio in sinistri scroti bursa herniam intestinalem, aliquot pollicum magnitudine, in dextra vero testem ita tumidum, ut ovum columbinum fere superaret. Convenit igitur inter nos Medicos, α.) herniam intestinalem, ob abdominis intumescentiam, ubi omnia contenta extrorsum urgentur, commode reponi haud posse; β.) testiculo tumido discutientia, propter enterocelen, æque incommode adhiberi posse; γ.) utrumque tentandum tamen; δ.) medelam hinc abdominis intumescentiæ primario adhibendam esse, liquefaciendo inertem mucum & stringendo laxata torpidaque vasa. Propterea sequens Mixtura præscribebatur: Rec. Arcani tartari liquidi unc. dimid. Tincturæ Martis pomatæ drachm. 3. Misce, sumat guttas 30. ad 40. ex drachmis duabus vel tribus Syrupi Cichorii c. Rhab. bis vel ter de die. Abdomen probe fricetur sequ. Rec. Ungu. martiati, drachm. 3. Ol. Absynth. drachm. 2. Misce. Cum vero puellus in adsumendo pharmaco haud ita, ut decebat, morigerus esset, die 7. Junii præscripsimus Limat. martis finiss. non rubiginos. Tartari vitriolati, Elæosachari Cinnamomi ana gr. 5. Misce, terantur subtilissime, F. in sextuplo.

tulpo. Horum pulverum aut iſtius Elixirii, duas per diem doſes ægro exhibebant parentes, prout ille admitteret. Inde, ex uſu præcipue Elixirii, d. 8. & 9. Junii puello alvus nonnihil copioſe, cum multis ſimul flatibus exonerata fuit, unde abdomen & ſiniſter teſticulus nonnihil detumuere; continuavimus igitur juxta normam pridie datam. Cum itaque ex iſtorum medicamentorum uſu aliquoties per diem alvum deponere & limoſa quaſi excernere pergeret æger, abdomen quoque notabiliter detumeſceret, quamvis teſticulus iterum nonnihil intumuerit, in melius rem verſam iri, d. 11. Junii ſperabamus, & eorundem medicamentorum continuationi inhærebamus: teſticulo vero tumido Emplaſtrum de Galbano crocatum, imponere & interdiu ſacculis diſcutientibus a Chirurgo ſuppeditatis, fovere ſuadebamus, ſicque abdomen adhuc magis detumeſcere, molleſcere, & enterocele multum retrocedere pergebant, die vero 12. Junii teſticuli tumor incrementum aliquod capiebat. Non igitur erat, cur quidquam in medicamentis præſcriptis mutaremus, ſed iisdem pergendum eſſe ſtatuebamus, ſperantes eorundem effectus, ut hactenus videamus, progreſſuros, ſed fefellit nos ſpes. Siquidem d. 15. Junii abdomen tenſius, quam unquam antea, utut non tumidius erat: alvo excernebat adhuc limoſa, ſed quod minus fauſtum, ſpumeſcentia ac fere fermenteſcentia: teſticuli tumor inceſcere pergebat, ovum columbium in puero quinquenni ſuperans. Ad ſacculorum adplicationem moroſus erat. Solo igitur utebamur Emplaſtro: difficulter etiam medicamenta hactenus uſurpata porro admittebat. Aliud igitur æqui pollens & adſumtione commodius ſubſtituendum erat pharmacum. In hunc finem Tartarum ſolubilem eligebamus, ejusque drachmam unam bis de die, mane nempe & veſperi, ſingulis vicibus, aqua aut juſculo ſolutam, exhiberi curabamus. Admittebat

æger

æger hoc medicamentum ultra octiduum satis facile, sed absque notabili fructu : abdomen nunc nonnihil intumescebat, nunc iterum aliquantum detumescebat, nunc & ambo testiculi valde intumescebant, totus vero habitus corporis in dies magis consumebatur. Recusabat d. 30. Junii quidquam amplius adsumere, tandem Syrupum cum guttulis iterum desiderabat, unde sequentem Mixturam præscribebamus: Rec. Arcani tart. liquid. drachm. 6. Tincturæ martis pomatæ drachm. 3. sumat guttas 40. 50. quin ad 60. ex Syrupo Diasereos Andernaci : continuabatur quoque emplastro ad scrotum, & cum hæc medicamenta ægro placuerint, iisdem aliquamdiu insistebamus quidem, sed nullum solidum juvamen præstabant nisi quod puellus interdum aliquantisper incedere auderet : testiculi non semper æque tumidi, nunc ambo, nunc alteruter tumore insignis; sequens igitur fomentum commendabamus die 1. Julii : Rec. Farinæ fabarum unc. 2. fol. Absynth. Tanaceti ana manip. 1. & dimid. flor. Chamom. unc. dimid. incisa misce, eoque cum Aqu. simpl. & aceti vini ana libr. 1. vase clauso per ¼. horæ, ubi refrixerit, coletur cum expressione, colaturæ adde Salis communis drachm. 2. spiritus vini unc. 3. Misce, cujus partem calefaciant, linteis excipiant & testiculis adplicent. Internis vero medicamentis pergebatur. Cum vero omnibus hisce ausibus nil prorsus efficeremus, malum arte nostra insuperabile, ob indurationem forsan glandularum, pronunciavimus, sibique aliquamdiu relinquendum judicavimus, usque dum elucescat, an denuo adgredi illud liceat aut ægrum, quod sane timeremus, pessundaret, quod ultimum d. 4. Novembris mane accidit. Vesperi ergo cadaveris sectionem instituebamus.

Dissectis integumentis communibus abdominis, hisque reclinatis, ex musculis abdominis liquidum quoddam tenax, muci instar, exsudabat. Cum musculos abominales

les & peritonæum itidem diſſeçare ac reclinare adgrederemur, id nobis impoſſibile erat : firmiſſime enim illa undique, & undique contentis abdominis adcreta erant, ita ut absque utrorumque, continentium ſcilicet & contentarum partium omnimoda dilaceratione, ab invicem ſeparari nequibant. Peracta tamen hac, quam cautiſſime fieri poterat, ſeparatione, ne veſtigium quidem Omenti, niſi in dextro hypochondrio, aliquot pollicum longum & latum, inveniri poterat, & niſi ſciviſſemus nos cadaveris humani abdomen, a nobismet ipſis apertum, inſpicere, nemo noſtrum ex inſpectis partibus iſtud colligere potuiſſet : ſiquidem gyri inteſtinorum, præcipue tenuium, tam inter ſe, quam cum meſenterio ubique tam tenaciter concreti erant, ut cum manum ſub ventriculo ſubter menſenterium in cavum abdominis, prope lumborum vertebras, immitteremus, meſenterium cum concretis inteſtinis ceu unam maſſam, aut unum glomum elevare potuerimus, in quo glomo nil inteſtinorum & meſenterii, partim ob plenariam concretionem eorundem inter ſe, partim ob dilacerationem ſuperficiei inteſtinorum, quæ ſub diſſectione & ſeparatione abdominalium muſculorum & peritonæi, a ſubjectis partibus, ceu jam notatum, inſtitui debebat, perfecte dignoſci poterat. Hepar parte ſua gibba ita fornici diaphragmatis & hypochondrii dextri adcretum erat, ut haud ventriculum & inteſtina tangeret, ſed quaſi ſurſum revulſum & fornici diaphragmatis adplanatum eſſet. Ulterius in examine dolor parentis & conſanguineorum adſtantium progredi vetabat, repoſitionem & conſuitonem urgentium.

An forſan liquidum illud, quod viſcera & ſeorſim abdominalia, hominis vivi naturaliter in cavum abdominis continue exhalant, & venæ bibulæ iterum reſorbent, in puello hoc, ob ejus voracitatem & inde natam humorum cruditatem, ita lentum fuit, ut nec perfecte exhalare & viciſſim

resorberi potuerit, sed superficiebus viscerum se contingentium inhærens, calore corporis vivi inspissatum tenaciusque redditum, glutinis indolem obtinuit, & superficiem viscerum se contingentium conglutinavit, quam conglutinationem calor corporis nativus successive firmavit? sane tenax illud liquidum, quod ex musculis abdominalibus lente manasse supra retulimus, tale quid nobis persuadere videtur.

(*Francofurto ad Mœnum Erfordiam missa d. 12. Martii 1741.*)

OBSERVATIO CXXXV.

Dn. D. BENEDICTI GULLMANNI.

Inopinata & vix expectata restitutio juvenis phtisici in tertio stadio constituti.

Nobilis juvenis viginti annorum, temperamenti sanguineo-cholerico-melancholici, in Academia Argentoratensi studiis incumbens, genio vero suo plus minus indulgens, revertitur quidem sanus in patriam, diætæ vero regulas minus adhuc observans & largiori vini Burgundiaci potui nimium deditus, incidit in febrem biliosam. Medici vocati præscripserunt Mixturam diapnoicam, nox vero insequens erat valde inquieta, ob sitis vehementiam, virium prostrationem & præcordiorum anxietatem; mane Medici illum invisentes, urinam valde tinctam, pulsum æstuosum durumque deprehendunt, statim itaque venæsectionem revulsoriam in pede instituunt, & emulsionem ex Semin. Aquileg. Card. Mar. Melon. ana ℨj. cum Aqua Scorzoner. Fl. Til. Cerasor. nigr. ana ℥iss. cujus colaturæ Ocul. Cancr. ppt. Unicorn. fossil. Bezoard. mineral. ana ℈ss. Nitri

tri depur. ℈j. cum Sacch. perlat. addita erant præſcribunt. Sanguis extractus erat rutilans, compactus viſcidus, cuticula craſſa obductus, immo cacochymicus. Nullum levamen neque ex Venæſectione, neque emulſione, percepit æger, immo proſtratio virium & ſitis inexplebilis illum torquebant, ita, ut non levem ſuſpicionem malignitatis ſubeſſe Medici judicarent, quapropter alexipharmaca cum paucis granis Camphoræ Mixturæ antifebrili immiſcebant, pro potu vero, (quem ſecundum Dn. ægrotantis guſtum, illiusque idioſyncraſiam ſæpius immutare debuerunt,) acidulata ordinabantur. Febris nullum typum formabat, & quoniam æger conatum vomendi ſemper accuſabat, naturæ ductum ſequebantur Medici, ipſi præſcribentes lene vomitorium, quod tribus vicibus materiam bilioſam porraceam exturbavit, ſed absque relicto levamine; dolor enim cardialgicus, cum ſpasmis circa diaphragma continuabat, clyſter ex brodio carnis bubuli & oleo amygd. dulc. veſperi injectus, reddebatur absque effectu. Omnes hæ circumſtantiæ docebant, materiam febrilem adhuc ſtabulare in primis viis & circa inteſtinum duodenum, ideo lene laxans ex Manna, Rhabarb. & Cremore Tart. fuit præſcriptum, ex quo alvus ter reſpondebat cum notabili levamine & dejectione materiæ bilioſæ, febris inde videbatur aliquatenus mitigata, manebat vero erratica, licet quotidianæ continuæ faciem præ ſe ferret, itaque Medici cum Mixtura antifebrili diapnoica pergere ſuaſerunt. Cum autem poſt intervallum duorum dierum remiſſionem febris aliquam deprehenderent, ordinabant Electuarium antifebrile ex pulvere Cort. Peruv. Conf. Alkerm. & Syrupo Violarum, ſingulis bihoriis ſumendum, magnitudine nucis moſchatæ, id quod optimum effectum tam ratione febris, quam reliquorum ſymptomatum poſt ſe relinquebat. Interim, quoniam Dn. ægrotus valde moroſus, impatiens & inordinatus tam in

 eſcu-

esculentis, quam potulentis, contra serias adhortationes, non leves excessus committebat, res eo devenit, ut postmodum varia sontica mala exin fuerint exorta. Prolixum tædiosumque esset, omnium hic mentionem facere, sufficiet ostendere, translationem hujus materiæ febrilis fuisse factam ad pectus, & præcipue ad lobum dextrum pulmonum, tubercula in ipso formasse, & veram phthisin excitasse. Optima & adæquata remedia fuerunt præscripta, præprimis lac asininum, &c. nullo tamen modo impediri poterat, quin adfectus ad tertium gradum pervenisset. Febris enim hectica aderat cum tussi, quæ somnum plane intercepit, atque sputo copioso materiæ conglobatæ, striis sanguineis tinctæ, immo veri puris, nec non sudore colliquativo vires plane depascente: verbo, totus emaciatus, consumtus & sceleti instar erat, superveniebant interdum lipothymiæ, tempora concidebant, faciesque adparebat Hippocratica. Non aliam itaque, quam funestam prognosin dare poterant Medici; interim inculcabant Dno ægrotanti, ut curam lactis continuaret mane & vesperi in tanta quantitate, quam ventriculus perferre posset, ad libram semis usque & ultra, sepositis omnibus reliquis medicamentis, (emulsione duntaxat excepta temperante, cordiali & sedativa, ex qua semper summum levamen sentiebat,) nullum vinum ipsi concedebatur, & pro potu ordinario aquam fontanam, cum Conserva Rosarum præparatam ordinabant. Cum ergo Dn. ægrotans in hoc conclamato statu se videret, & sentiret, quam male sibi consuluerit per suam impatientiam, sæpiusque repetitum excessum in diæta, cautius nunc mercari voluit, & aures benigniores Medicis præbuit.

Factum inde est, ut præter ejus & omnium exspectationem, (intercurrentibus licet variis gravissimis hypochondriacis insultibus,) ex singulari gratia & benedictione

ne

ne Omnipotentis Archiatri, plenarie convalescere inceperit, ita ut non solum εὔχυμος & εὔσαρκος nunc valeat, verum etiam proximis diebus ad Academiam Fridericianam sit abiturus, studiaque sua ulterius prosequuturus.

OBSERVATIO CXXXVI.

Dn. D. BENEDICTI GULLMANNI.

Subitanea & funesta catastrophe somni naturalis in somnum mortalem.

Vir illustris, quinquaginta annorum, procerae staturae, temperamenti sanguineo-melancholici, animi compositi, summis ornatus & functis officiis publicis & privatis, post obitum charissimae suae conjugis in caelibatu vivens, hucusque bene valuit. Anno MDCCXXXVII. d. V. Octobr. incidit in febrem continuam, (cujus paroxysmi sat graves ac diuturni, cum sudoribus colliquativis stipati, gratiosum huncce Dominum valde debilitabant,) quae tamen decenti methodo intra spatium 6. hebdomadum feliciter fuit profligata, sanitasque integra, per DEI gratiam, restituta. Non opus erat, regulas diaeteticas ipsi praescribere, quoniam illarum exactissimus ipse erat observator, suaserunt tamen Medici, ut anno insequente Venaesectionem praeservatoriam, tam ratione plethorae, quam mali hypochondriaci, circa aequinoctium vernale susciperet, & postea acidulas Swalbacenses biberet; sed illustris Dominus consilium repudiavit, falso praeoccupatus praejudicio, sanguinem esse vitae balsamum, ideoque potius conservandum, promittens tamen, fontibus Swalbacensibus se proxima aestate usurum esse. Percepta hac responsione categorica, nihil amplius regerebant Medici, sed Domino gratioso valedixerunt, votum adnectentes de ulteriori continuatione sani-

ſanitatis inconcuſſæ. Anno ergo MDCCXXXVIII. cum tempus ordinarium, pro ejusmodi aquis mineralibus utendis adpropinquaret, illuſtris Dominus proprio marte, quoniam bene valebat, ad easdem ſe præparavit, laxans rhabarbarinum, pro purgandis primis viis, adſumſit, paucis abhinc diebus ad curam ipſam ſe adcinxit, in ſuavi conſortio, ſepoſitis gravioribus negotiis, commoratus ruri per quatuordecim dies eandem continuavit, & portionem lagenarum majorum, nunc plus, nunc minus, pro lubitu ſcilicet & adpetitu, adſumſit, nullum incommodum, bonum vero effectum exin perſentiſcit, tandemque omnibus abſolutis laxans ſubjunxit, & animo & corpore bene ſe habuit. An. MDCCXXXIX. d. IX. Febr. hora ſexta matutina gratioſus Dn. a ſomno excitabatur per inſultum ſpaſmodico - flatulentum, cum inſigni cardialgia, quæ ſpiritum ducere ipſi vix permittebat; Medici accerſiti, dum pulſum valde debilem deprehenderent, liquorem C. C. ſuccinat. cum infuſ. Herb. Thee adſumendum, & Mixturam antiſpaſmodico - analepticam præſcripſerunt; his parum efficientes, pediluvia inſtituerunt, & cum flatus ructusque per ſuperiora urgerent, clysma ex antiſpaſmodicis & emollientibus ſubjunxerunt, ex quo illuſtr. Dn. magnam ſordium flatuumque quantitatem & copiam excernebat, cum bono levamine; quoniam vero pulſum celeriorem circa veſperam deprehendebant, hinc Mixturam diapnoico - antiſpaſmodicam cum Nitro & Cinnab. ordinabant; nox vero erat valde inquieta, ob ſudores & ſitim, ad quam mitigandam vinum Granatorum, cum aqua fontana mixtum, fuit conceſſum, & propter pectoris aliqualem adhuc oppreſſionem, clyſter injiciebatur, ex oleo Amygd. dulc. cum brodio carnis bibulæ & ſale gemmæ, unde etiam laudabilis effectus, ratione ſpaſmodici adfectus, ſubſequebatur. Nihilo tamen minus videbatur latitare anguis ſub hac herba, febris ſcilicet bilioſa, qua illuſtr. Dominus

nus laboravit anno MDCCXXXVII. Urina enim adparebat valde tincta, & sudores continuabant cum magna virium prostratione: Necessitas itaque postulabat, ut antifebrilia, cum antispasmodicis & analepticis mixta, exhiberemus, & cum febris nullum typum adhuc formasset, opportuno tempore laxans rhabarbarinum subjungere, a quo etiam multum materiæ biliosæ acris deponebat illustr. Dominus. Huic methodo insistebant Medici per spatium 14. dierum, omnia etiam secundum votum cedebant. Spasmi & sudores remittebant, febris erat iterum coërcita, pulsusque æqualis, insuperque urina biliosa, quæ aliquatenus antea retenta fuerat, sumtis pulveribus salinis, libere iterum prodibat, ipse Dn. æger erat hilaris, erectus, & colloquiis delectabatur, quoniam spem restitutionis suæ augeri videbat. Medici itaque securissimum esse reputabant, si pro reliquiis sordium biliosarum eliminandis lene laxans crastino die adsumeretur. Sed en! tristissimam catastrophen. Illi, altero mane hora octava Dn. ægrotum invisuri, percipiunt a famulis & domesticis, illum adhuc dormire, & ad quæstionem, num illustr. Dn. placide dormiverit, referunt, nullam tranquilliorem noctem per totum morbi decursum eundem habuisse, ideoque laxans præscriptum nondum adsumsisse; post sextam enim matutinam evigilasse & interrogasse, quota nunc esset hora? acceptoque responso, quod sexta sit, dixisse, se paululum ad quietem iterum compositurum se esse, denuo itaque lateri dextro incubuisse, & caput manu suffulciendo, iterum obdormivisse. Medici illustri Domino somnum interrumpere nolentes, cunctabantur per aliquod tempus, cum vero plura negotia illos premerent, & hora medica pro adsumendo laxante instaret, ad lectum propius adcedunt, & sipariis paululum remotis, ipsum mortuum, immo jam frigefactum, magno cum stupore deprehendunt in eodem situ, quo obdormiverat. Fa-

cies erat pallida, nullum signum spumæ oris, neque cruoris narium in conspectum veniebat, sed potius suavitatem ordinariam faciei post mortem etiam retinuerat. Ad iteratam quæstionem rigorosam, quam Medici domesticis & famulis proposuerant: num plane nullam mutationem ratione respirationis, tussis, vel motus corporis animadvertissent, respondebant, ne minimam, sed semper illustrem Dn. placide respirasse, & tranquillum se gessisse.

Causa hujus subitaneæ mortis per cadaveris apertionem absque dubio manifestari facile potuisset, si familia Illustris eandem permisisset; hac vero denegata, arduum nunc est negotium, inprimis cum propter summam aversationem V.Snis Medicis nulla dabatur occasio, judicium ferendi de sanguinis conditione. Probabiliter vero translatio materiæ adhuc restitantis biliosæ ad caput fuit facta, & summus gradus Apoplexiæ, Lethargus scilicet, exin obortus. Num forsan etiam aliqua concretio polyposa in corde hatitaverit, viris sublimioris eruditionis dijudicandum relinquo.

OBSERVATIO CXXXVII.

Dn. D. CHRISTOPHORI JACOBI TREW,

Biga observationum, sistens Picæ muliebris in Antipathiam vim diversam, subjunctis aliquot rerum aliarum effectibus insolitis.

Quid pica mulierum, quid antipathia præstare valeant, experientia clarius, quam ratione, hucusque demonstratum esse mihi videtur. Neutri passioni, nec corporis nec animi vires resistere posse, exempla ubique ferme ob-

obvia comprobant ; neutram vero altera semper potentiorem dici mereri, sequentes ostendent observationes.

I. Femina quædam, temperamenti sanguinei, corporis & animi viribus integris gaudens, a teneris abhorrebat a caseo omnis generis adeo, ut ne quidem odorem ejus perferre valeret. Aversionem hanc a prava forsan imaginatione potius, quam a vera antipathia, dependere parentes suspicati tentarunt, quum tenera adhuc esset, parcam casei quantitatem jusculis commixtam ei hujus fraudis insciæ propinare ; sed jusculum id, quamvis citra aversionem, quemadmodum etiam citra animadversionem, assumtum brevi post lipothymias atque anxietates moribundorum excitabat, & quidem iteratis etiam vicibus eodem semper modo. Crescentibus annis par tentamen suscipere nemo quidem audebat ; nihilominus tamen aversio hæcce caseo vel tantum viso semper eadem permanens argumento est, ab eo comesto haud mitiores, quam antea, expectandos fuisse effectus. Femina huic tandem mulieri & gravidæ factæ aliquando caseus ex improviso offertur, quo viso aversionem illico excepit acris in eum appetitus & hinc ad satietatem usque ejus comestio. Nulla incommoda non solum excitabat hic caseus, quin potius ab eo tempore semper avide & absque omni noxa in usum vocabatur. Hoc quidem in casu pica feliciter superavit antipathiam, minus vero in sequenti.

II. Mulier, annum ætatis nunc agens quartum & trigesimum, a prima ætate vinum eo usque aversabatur, ut ne cibum, vel jusculum, cui vel tantillum vini commixtum erat, absque ægritudine illico subsequente assumere valeret. Adultior facta aliquoties tentavit ei assuescere ; sed omnes conatus excipiebat vomitus violentus, sive cum vino dulci, sive cum acidulo, sive cum generoso, sive cum ignobili, Germanico, Italico, Gallico aliove instituti fuerint.

 rint.

rint. Matrimonium iniens mariti in gratiam, qui vino nimium contra delectabatur, iterum annisa est naturæ aversionem vi superare. Hinc, quum antea, tentamine male cedente vel post unum caliculum epotum adversa virtute se exserente, inde perterrita diu a novo conatu abstineret, nunc serio cogitavit, quotidie iteratis experimentis tandem certior reddi, num felicem tentaminum aliquando successum sperare posset. Ut autem facilius res succederet, vinum elegit gustui omnium minime contrarium, scilicet Tyrolense rubrum*, quod vulgo *Vigerner* nominatur. Primo die quadrantis horæ intervallo post assumtum caliculum vitreum sequebatur vomitus, isque secundo & tertio die modo eodem; quarto die vomitus proritabatur non solum violentior, sed alvi dejectiones quoque accedebant vehementes; quinto die ex eadem vini quantitate effectus hi eo usque invaluerunt, ut neque languor neque aliæ circumstantiæ permitterent, sinistris hisce experimentis ulterius insistere. Recuperatis viribus toties, quoties cum alio vini genere experimentum instituebatur, similis producebatur effectus. Naturam itaque inter hujus feminæ & vinum intercessisse antipathiam insuperabilem, nemo, recensitis probe pensitatis, in dubium amplius vocabit, idque omnium minime, si intelligit, & picam frustra cum illa bellasse. Nam gravida (num secunda vel tertia vice, non amplius memini,) circa medium gestationis tempus mane expergefacta desiderium bibendi vinum animadvertebat; hinc lectum derelinquens ampullam vini, quæ jam ad manus erat, apprehendebat, sed sinistri successus memor facta vinum ne quidem gustabat. Circa meridiem in cella dolium vinarium præteriens vinum vehementer denuo appetebat, quapropter omni metu excusso caliculum vitreum eo, quod ex Wertheimensium selectu erat, replebat & citra omnem aversionem hauriebat alteriusque caliculi dimidium eodem

gu-

gustu superbibebat, tuncque se satiatam sentiebat. His bene peractis læta, agilis beneque valens culinam petebat cibisque parandis occupata erat, sed mox, nil mali timens, tantis anxietatibus corripiebatur, ut mortem instare putarent adstantes, quas brevi post solitus effectus, nimirum vomitus alvique purgatio excipiebant, simul vero ægritudinem solvebant. Hæc omnia impedimento nondum fuerunt, quo minus post octiduum, vini appetitu denuo excitata, iterum successus periculum illico faceret; sed hoc quoque tam male, quam antea semper, cedebat, ex quo tempore nunc ultra 10. annos ab omni vino abstinuit. Notandum adhuc est, hanc feminam antea semper commotam etiam fuisse, si vel visu tantum, & magis adhuc, si odoratu vinum percipiebat; postquam autem tot annorum decursu maritus quotidie & prandium & cœnam vino celebrasset, ex visu non amplius nunc afficitur, odoratum vero propiorem adhuc vel tabaco vel flore quodam fragrante corrigere cogitur, ceterum autem nec a male nec a bene olentibus aliis rebus ullo modo turbatur. Dum ad sacram cœnam accedit & ex calice benedicto bibit, aromate vel flore fragante non solum odorem, sed etiam, accepto sancto symbolo, masticatione cujusdam aromatis saporem obtundit hisque adminiculis per DEI gratiam ab omni sensu contrario se liberat. Præter hactenus recensita memoratu dignum quoque est, hanc feminam uvis recentibus atque siccatis, seu passulis majoribus & minoribus, itemque musto recens facto tanta quantitate, quanta lubet, uti posse absque ullo incommodo; quam primum autem mustum fermentationem subit, tam cito etiam molestias easdem, ac vinum ipsum, ipsi creat. Ex spiritu vini & aquis cum vino destillatis etiam non, nisi ut plethorica, afficitur. Acetum vini penitus jam defecatum optime etiam perferre potest, minus autem, si justam aciditatem nondum conse-

quutum eſt. Ex reliquis potulentis, æque ac cibis, nil averſatur, præter fraga, quæ, infans adhuc, ſemel tantum deguſtavit ſed vomitu & febri ſcarlatina mox correpta fuit. Una circumſtantia adhuc ſupereſt commemoranda, matrem nempe ejus pariter nec vinum nec fraga unquam ferre potuiſſe; hæc tamen viginti liberos enixa, nulli eorum hanc antipathiam communicavit, ſi excipias hanc filiam, quæ decima ſexta erat, & natu ſecundam, quæ tamen vinum nauſeat tantum, ceterum caſu ſic ferente citra noxam bibere poteſt. Neque illius, de qua hactenus ſermo fuit, filiæ quatuor, quæ ex ſeptem liberis adoleverunt, ulla hujus affectus particeps facta eſt.

III. Inſolitus hic omnino eſt vini effectus; non tamen nunquam auditus, ſed accuratius tantum exploratus: plures namque mihi noti ſunt viri & feminæ a vino abhorrentes, examen vero tale rigoroſum haud facile ſuſcipientes. Novi & alium, qui vini potum equidem non nauſeat, nec tamen a teneris illud appetit. Idem adoleſcens adhuc ſub primo ejus hauſtu ſemper notabilem horripilationem integrum dorſum, vel quaſi medullam ſpinalem, percurrentem ſenſit, a quo tamen, iter per regiones vini feraces faciens hincque ad illud bibendum quotidie coactus, liberabatur; nihilominus hodie adhuc illud quoad guſtum adiaphoris accenſet, quoad effectum vero, ex parciſſima quantitate, præcipue ventriculo a cibis vacuo aſſumta, altero, quin & nonnumquam tertio quartove die cephalalgia & vomitu acidiſſimo corripitur. His nonnullos aliarum rerum effectus inſolitos ſubnectere liceat. Novi virum robuſtiſſimæ corporis campagis, nec in cenſendis cibis potulentisve adeo ſcrupuloſum, a medicamentorum vero uſu plane abſtinentem. Hujus alvus ab ovi vitello, juſculo vel tam parce admixto, ut aſſumens plane non animadverteret, quaſi a validiſſimo purgante movetur, quod experimentum conjux

jux ejus studio sæpius instituit. Comitissam quandam teneram hystericis affectibus commotam moscho illas optime sedasse & ego ex propria observatione confirmare possum; dum contra plures in praxi mihi obvenerunt feminæ, in quibus pares affectiones a castoreo redduntur graviores. Similes observationes allegarem plures, nisi cuivis medico clinico tales occurrerent.

Scholion.

Res, quæ in sensus corporis nostri externos incurrunt, varios producere effectus, in vulgus notum est: nam quæ visum, auditum, odoratum, gustum tactumque unius grate afficiunt, eædem sensus eosdem alterius affligunt. Neque hic effectus diversus semper a sola dependet imaginatione depravata & corrigibili: siquidem idem in illis quoque observatur, qui & ratione & voluntate contrarium desiderant. Earum rerum, quæ intra corpus assumuntur, effectus diversus hanc thesin magis comprobat tunc, quando absque omni hæsitatione vel præjudicio, quid? quod absque assumti cognitione producitur. Discunt ergo ex his medici attenti, nec medicamenta omnia assumere posse omnes ægrotas, licet vel maxime vellent; nec eadem medicamenta iisdem morbis convenientia in omnibus eosdem producere effectus, adeoque, insolitis effectibus observatis, cujusvis ægroti idiosyncrasiam, ut ajunt, prudenti & circumspecta experientia explorandam atque ne quidem specificis ita dictis remediis, vel maxime decantatis, cæcam fidem habendam esse; vel potius inde patere, cur spes in ea firmissime collocata nonnunquam frustrari queat. Docet porro hic effectus diversus, illos medentium insoliti cujusdam effectus caussam veram facilius detegere posse, qui simplicia ita dicta remedia morbis opponere solent. Ergo, qui curam sanitatis & conservandæ & restauran-

randæ legitimo modo suscipit, omnino rationem experientia, atque vicissim experientiam ratione certam reddere studet, idque æque feliciter præstare poterit, sive animæ immateriali directorium horum effectuum tribuat, sive caussas eorum in corporis dispositione mechanica quærat.

OBSERVATIO CXXXVIII.

Dn. D. JOANN. CHRISTOPH. KÜHNST. Nitri acidum ex acido salis & phlogisto concretum.

Etsi acidum Nitri inter tria acida mineralia referatur interque ea locum suum obtineat, tam notum tamen est, quam quod notissimum, illud modo naturali nec per se, nec cum re alia conjunctum in terra offendi, sed sensim & sine sensu per vegetabilia putrescentia & animalia animaliumque excrementa primo loco in aëre oriri, Quomodo oriatur, quamplurimum scriptis, inprimis vero quam clarissime B. STAHLII *Opusculis chemico-physico-medicis p. 534. seqq.* satis superque fuit traditum; Mixtio vero hujus acidi essentialis litem quandam inter eruditos concitavit, siquidem alii adserunt, acido hunc inesse principium inflammabile, vel Phlogiston, quod etiam STAHLIUS laudato tractatu cumque eo adsecla ejus Dn. D. *Caspar NEUMANNUS*, Prof. Berol. Tract. de *Nitro pag. 64.* demonstrat; alii e contrario id negarunt, inter quos præcipue celeberrimus Chymicus Parisiensis Dn. *Lemery* in Schediasmate de Nitro, ad Academiam Regiam Scientiarum MDCCXVII. misso, eminuit, quem vero NEUMANNUS commemorato jam scripto refutavit.

Illi, qui Phlogiston hujus acidi defenderunt, sufficientes adferunt rationes, quas experientissimi Chymici & Physici non tantum adprobaverunt, sed quas etiam experientia ipsa non

sine

ſine fundamento eſſe docuit; Veritati quidem reſpondet, eas maximam partem fuiſſe petitas ex ortu, generatione & Syntheſi acidi hujus, itemque a quibusdam ſenſus externos occupantibus circumſtantiis, cæteris vero & per ejus analyſin minime adductas, ſicut & non memini, ullum unquam Phlogiſton in acido Nitri reperiundum & cum eo conjunctum acidum ſalis, mixtionem eſſentialem acidi perficiens, perſpicue demonſtraſſe. Cum e contrario per experimentum cum auro hoc loco adlegatum ſatis docetur, quomodo Phlogiſton ab acido Nitri ſe ſeparet, auro adhæreat, cumque eo ſe jungat, a Phlogiſto autem ſolutum acidum Nitri poſtea ſub ſpecie acidi ſalis communis adpareat. Hoc experimentum firmo & adcurato ſtat talo, illud etenim plus ſimplici vice inſtitui; ſi etiam puritatem occurrentium corporum mixtorum in ejusmodi laboribus chymicis curatius examino, producta ſemper in repetitis experimentis eadem eſſe oportet, quare etiam res ea pari rectitudine gaudet cum demonſtratione Problematis arithmetici.

Cum vero experimentum hoc eximium ſecundum omnes deſcribam circumſtantias, cuncta ſane & vel obſervata etiam in eodem phænomeno adnotato, inſimul mentionem faciens, tres inprimis operationes eſſe tenendas. Primo loco aurum ab omni metallo repurgatum in aqua regis reſolvi, quæ ex duabus partibus acidi nitri & una parte acidi ſalis compoſita fuit, ſolutionem retortæ vitreæ immiſi & igne leni aquoſitatem abſtraxi, reſiduo decuplam fere, quam prius factum fuit, adfudi ſpiritus Nitri quantitatem, aquoſitatem iterum usque ad ſiccitatem extraxi. In prima hac operatione obſervabam, acidum nitri concentratum aquoſitatem ſecum gerentem penitus amittere, inſimulque plurimum ſalis illud acidum cum transſpirante aquoſitate, extrudere, cæterum vero ſumme concentratum ad naturam auri adcedere.

Peracta hac prima operatione & collo retortæ ablato, residuumque ibi repertum cameræ subterraneæ fornicatæ, vel cellæ indidi, ut deliquesceret; deliquefactum odoris expers, sed saporem instar Vitrioli Martis gerens, digitosque & cutem tingens, filtravi retortæque iterum immisi, retorta autem arenæ calidæ imposita aquositatem receptam ad siccitatem usque transpirare coëgi, residuum siccum igni aperto imposui, ut in vitro, salis ad instar, flueret. In fluxu salis hujus aureo-metallici non prius minima rubra nitrosa exhalatio conscendit, quam ignis vehementissime vitrum penetraret & in minori exhalatione ejusmodi vaporis absque mora conspiciebatur auri aliquid in figura vegetationis metallicæ semet reducere. Metallicum vero sal auri in retorta non secus ac cera fluebat, & cum refrigesceret, speciem quoque ceræ flavæ referebat. His omnibus experiri coactus sum, acidum Nitri concentratum arctissime cum auro uniri. Postea aliquoties hoc cum acido Nitri concentrato unitum aurum in cella deliquescere curavi, receptamque aquositatem iterum extraxi, semperque in fluxu illud retinui, quod priori loco adfuit. Quid? quod vice diversa sal istud per duas, quatuor & sex horas in retorta liquere fuit coactum, nullaque ejus mutatio fuit observanda, quam ea, cujus jam feci mentionem, quod nempe igne nimio subjecto rubræ quædam exhalationes nitrosæ ortæ fuerint, & simul aliquid auri in figura vegetationis metallicæ se reduxerit.

Quoniam igitur de cunctis his phænomenis cogitabam, multum adhuc acidum salis per prius adfusam aquam regis adhibitum superesse, id ipsum secernere adnisus fui, quam ob rem tertiam suscepi operationem, istique sali aureo-metallico minerale metallicum (certis de causis hoc loco reticendum) adjeci lenique igni sublimatorio tradidi. Effecerat quoque hoc intermedium, ut acidum salis non modo,

modo, verum etiam omne tenus hoc in auro latens acidum nitri concentratum ſub forma acidi ſalis transferret & partem inflammabilem acidi Nitri in auro relinqueret. Tantum acidi ſalis recipiens ferme obſtupeſcebam; magis autem, cum aurum reſiduum in aqua pura limpida deſtillata, picis in modum ad imum relabi conſpicerem, aqua, ubi jacebat, neutiquam flava exiſtebat, omnis ſapor metallicus aufugerat, digiti, ad demonſtrationem nullum amplius ineſſe aurum, minime tingebantur, & ex his patebat, acidum nitri concentratum in principia ſua mixta, acidi ſalis videlicet & partis inflammabilis ſolutionem factam eſſe. Cum igitur acidum ſalis & phlogiſton principia ſint acidi Nitri, hinc certo modo, certa proportione certoque tempore eadem conjungi & laudatum acidum componere neceſſe eſt. Modus procul dubio haud aliter procedit, quam per putrefactionem, qua ſe invicem tangentia multo ſale communi permixta vegetabilia & animalium excrementa, in pinguioribus & limoſis terris ſenſim in corruptionem putredinoſam degenerant, qua ſimul ſal commune movetur, ejus mixtio diſſolvitur, pinguiores vegetabiles & animales particulæ cum ejus acido combinantur, & ſic ſal volatile urinoſum producitur, quod deinde per ſemper adlidentem aërem ita mutatur, ut ſuperfluum phlogiſton partim abigatur, partim vero ab acido aëreo abſorbeatur & ita in acidum Nitri permutetur. Porrigit itaque acidum ſalis fundamentum acido Nitri. Conjunctio acidi ſalis cum phlogiſto certa quoque proportione inſtitui debet, ſi demum genuinum acidum nitri inde oriundum deſideretur, nam experientia optima rerum magiſtra abunde docet, acidum nitri per additionem materiarum inflammabilium redire in ſal volatile urinoſum, per privationem vero, quocunque modo etiam fiat, in acidum nitri; ſique phlogiſton omne aufertur, in acidum ſalis, ſicut experimentum noſtrum in auro

sufficienter monstrat. Eximium vero temporis spatium ad combinationem hanc proportionem adcuratam tenentem, absumi, iis optime est perspectum, qui norunt, quam diu parietes nitrosi exponi debeant aëri, priusquam nitri quædam particulæ abradi queant.

Nihil magis etiam in generatione Nitri potest respici, quam sal commune, si perpenditur, illud maximam fere partem Geocosmi nostri constituere, nec non quomodo vegetabilibus cunctis essentiam suam simul insinuet, vid. Act. *A. N. C. Vol. V. Obs. CI.* quomodo hæc non secus, ac sal commune ipsum, magna copia, tum ab hominibus, tum brutis animalibus consumantur, quomodo inde non tantum sanguis omnesque humores corporum animalium largiter impleantur, sed etiam illud in solidissimis partibus eorundem, in ossibus videlicet, offendatur, juxta Act. *A. N. C. Vol. V. Obs. XCIX.* & quomodo omnia animalium excrementa mirum quantum eo sint permixta; quid? quod si hæc omnino ad lydium revocantur lapidem, perspectu est facile, sal commune durante corruptione putredinosa vegetabilium & animalium excrementorum haud intactum manere, commune etenim sal cum aquosis & oleosis eorum particulis tam arcte est conjunctum, ut in nulla earundem motus oriri queat, quo cæteræ non simul moveantur, ita ut motu oleosarum & inflammabilium particularum una salinæ moveantur & immutentur, ideoque in corpus aliud salinum degenerare cogantur. Cuncta hæc probe perspiciens, satis superque convincetur, sal commune fundamentum primum acido nitri suppeditare. Illis sententiam suam lubentissime relinquo, qui acidum vitriolicum ceu ventilatum suum acidum universale & primigenium pro fundamento acidi nitri venditant, indeque demonstrationes suas formant. Allegatum nostrum experimentum aliud quid monstrans, illud ex acido salis & phlogisto concretum probat.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXIX.
Dn. D. JOANN. CHRISTOPH. KÜHNST.
Sulphuri analogon.

Quod phlogiſton ex ſe ipſo & in pura ſua ſubſtantia ad condenſationem & congregationem nullatenus aptum ſit, ſed in mixtiones & ſocietatem cum aliis corporibus (vid. STAHLII *Exper. & Obſ. Chym. & phyſ. pag. 327.*) deducatur, atque a corpore in aliud arte & natura transferatur, Chemiæ peritis notiſſimum eſt, hujusque rei veritatem comprobat etiam noſtrum obſervatione præcedenti comemoratum experimentum per aurum & acidum nitri, ubi a poſteriori ſe ſeparans phlogiſton aurum prehendit eique ſe adjungit. Qui hoc loco bene attendit, ſine difficultate capit, poſſibile minus eſſe, ut phlogiſton ſubſtantiam ſuam puram in abundantia cum perfectiſſimo metallo unire poſſit, ſed quod aliquid adhuc eſſe debeat, quod ceu intermedium auro illud adnectat. Haud igitur mihi poſſum temperare, illud hoc loco in ſpecie adnotare.

Si itaque curate obſervamus, perceptu eſt facile, quod acidum nitri in mixtione ſua ſubſtantiali quaſi diſſolvatur, ejusque pars acida ſub forma acidi ſalis tranſeat, conjunctum cum eo phlogiſton, vel pars inflammabilis remaneat, cum acido concentratiſſimo ſe uniat, & ita analogon ſulphuri communi conſtituat, quod ſolutas auri partes recipit illasque eo diſponit, ut cum ſubſtantia hac ſulphurea reſinæ inſtar ab aqua ſeparari & ad imum relabi cogantur. Summatim, hac in operatione acidum nitri concentratur quaſi, pars etenim ea, quæ illud præ aliis acidis mineralibus denominat, pars nimirum inflammabilis, poſtremo loco in ſpecie ſicca cum acido concentrato combinatur, & e contrario plurima acido - ſalina & aquoſa pars

rejicitur. Etsi igitur hæc inde oriens species sulphurea haud in & de se, sed cum auro conjuncta monstretur, certo tamen est certius, & aliis institutis experimentis manifestum, revera hoc esse concretum sulphureum. Adnectam probationis loco experimentum ejusmodi, quo nemo non perspicere valet, id, cujus hic feci mentionem, veritati respondere. Solvatur cum præcipua cura Saturnus in aqua forti, ita nimirum, ne exhalationes rubicundæ, solutione durante, adscendant, sub iisque plurimum phlogiston Saturni cum parte acida aufugiat; immittatur hæc solutio Saturni retortæ vitreæ & observata proportione aliquid mercurii vivi addatur, tunc destilletur subtiliori ratione omnis humor usque ad siccitatem, subjiciatur demum ignis sublimatorius, hoc facto sublimatum rubicundum adscendet, speciem cinnabaris referens. Nunc quidem veritati consentaneum est, sublimatum hoc externo colore & figura haud ita esse comparatum, sicut cinnabaris cum sulphure communi præparata, non etenim illud inter sublimationem ita adhæret, ut radii a centro ad peripheriam linea recta penetrent, sed globulis subtilibus sibi invicem adhærentibus quasi se sublimat, coloremque nitidiorem præbet præ cinnabari communi; interea tamen per experimenta ulteriora firmum manet, illud ipsum genuinam esse cinnabaris speciem. In tota hac operatione multum phlogisti saturni acido nitri impertitur, cumque eo tam arcte connectitur, ut sulphuri analogon inde oriatur, quod deinde mercurium vivum prehendit, speciemque hanc cinnabaris sublimando exhibet. Et sicut in operatione hac species sulphurea producitur, ita quoque in supra adlegato nostro experimento per aurum fieri solet. Alchymiæ sine ratione solidaque cogitatione corporum mineralium studentes sententiam foverunt, quando sublimatum ejusmodi egregium rubicundum acceperunt, sibi jam Hermeticam assam columbam, Lapidem Philosophorum

phorum puta, in buccas venisse, cum tamen illud vix ad minimum particulare adhibere potuerit.

OBSERVATIO CXL.

Dn. D. JOAN. CHRISTOPH. KÜHNST.

Volatilisatio Argenti.

Quos Chemici innumeris fere abhinc annis in volatilisatione nobiliorum metallorum exhauserint labores, iis optime cognitum est, qui artis hujus hospites non manserunt. Aliqui eorum volatilisationem adjectis variis mineralibus, tum in forma sicca, tum in forma fluida, instituerunt. Ista se monstravit ceu sublimatum siccum, hæc vero ceu liquor, vel spiritus. Argentum diversimode tractare tentaverunt, ut cum eo, quod adjectum fuit, volatile redderetur, scopusque tandem vario modo obtentus fuit. Inter omnia regni mineralis subjecta acidum salis, genuinum ut fundamentum, si ratione diversa argento ingeneratur, volatilisationis ejusdem observarunt, sicuti manifestum est, quod sic dicta Luna cornua per se, accedente aëre, ex crucibulo igni aperto imposito penitus avolat, inclusa vero & retorta, adjectis sulphureis & arsenicalibus materiis, cinnabari nempe, arsenico, cobalto aliisque, mox tamquam sublimatum in altum, mox tamquam liquor in vas recipiens abit, ita quidem, ut fere omnes volatilisationes argenti ope admixti & adjuvantis acidi salis producantur. Alium modum volatilisationis argenti sine acido salis & ejus in forma fluida, ceu butyrum glaciale, ex retorta destillationis operatio quædam mihi ostendit, quæ alias ejusmodi experientiam neutiquam gignere solet. Nemo enim facile sibi persuadebit, argentum in spiritu nitri solutum genuinum & purum ex retorta, qua solutione hac aquositatem extrahere animus erat, instar butyri

metal-

metallici glacialis prorſus fore tranſiturum, nihilominus tamen eſt factum. Experimentum totum clariſſimis enarrabo verbis: Argenti puri & genuini quatuor uncias tribus in partibus aquæ fortis ſolvi, ſolutionem per chartam bibulam filtratam retortæ vitreæ immiſi, pro aquoſitate ad ſiccitatem uſque extrahenda. Judicans vero, aquoſitatem eſſe deſtillatam, experiri cogebar, reſiduum in retorta ſiccitatem haud amittere, & ſucceſſu temporis ſemper decreviſſe, donec poſtremo loco nihil plane in retorta reſtitit, & candidum pellucidum butyrum, ſpeciem butyri Antimonii referens, in retortæ collo comparuit, quod die ſequenti liquefactum penitus cumque tranſpirato phlegmate conjunctum erat. Totum hoc liquidum refudi iterum in retortam & viciſſim deſtillatione ſecunda fui expertus, argentum cum menſtruo ſuo tranſiiſſe.

Quæ cauſa hoc loco fuerit, argentum cum ſolvente ſuo in forma butyri volatile redditum & deſtillando retortæ collum fuiſſe ſupergreſſum, indaginis videbatur altioris, quandoquidem acidum ſalis, ſal commune & ſal ammoniacum argentum ex ſolutione hac veluti lunam cornuam præcipitabant, ex hoc patebat ſimul, ſolvens genuinam aquam fortem, vel ſpiritum nitri extitiſſe, hanc etiam ſolutionem ordinario modo fuiſſe tractatam. Quia vero minima quævis non curare ſolemus, ſic quoque hic eſt factum, ut ſolutioni huic ſubtile quid admixtum fuerit, tamquam cauſa volatiliſationis ejuſdem. Quocunque cogitationes ſe vertebant, nihil aliud tamen indagare valebam, quam quod vel materia carbonaria, quæ argento aderat, (erat etenim argentum exuſtum, quod ornatus veſtium, quem Germani feine Dreſſen adpellitant, ſuppeditaverat,) vel pulvis carbonum ex adlatis eo die carbonibus in Laboratorio diſperſus, laudatam conſtituat cauſam, & ecce! cogitata hæc veritate ſua gaudebant. Sine mora igitur drachmam unam argen-

argenti puri & genuini accipiebam, vitroque immiſſæ adfundebam drachmas tres aquæ fortis, & adjecto pauxillo pulveris carbonum, argentum in calida arenæ urna, vel capella, ſolvi curabam, ſolutionem percolans, poſt abſtractionem phlegmatis idem recipiebam, quod ex antea dicto argento adeptus fueram, butyrum videlicet, & ſic eadem ratione reddebatur volatile, quam illud experimenti noſtri. Inde colligere licet, phlogiſton pulveris carbonum, ſubtili modo admixtum, cauſam eſſe, cur argentum cum ſolvente ſuo adſcendat & volatile fiat.

(*Ronneburgo Erfordiam miſſæ d. 20. April. 1741.*)

OBSERVATIO CXLI.

Dn. D. JOAN. JACOBI KIRSTEN.

Delineatio Cerei cujusdam ſcandentis, haud ita pridem Altorfii in horto medico florentis.

Inter alias permultas, quibus hortus noſter medicus Altorfinus exornatus eſt, plantas exoticas, is varia quoque *Cereorum* genera adſervat; inter quos nuper demum *Cereus ſcandens, minor, polygonus, articulatus Hermanni*, elegantiſſimo *flore* ſuo multis ſpectatoribus admirationem excitavit. Dignum eum putavit, cujus adcuratiorem exponeret deſcriptionem, Belgarum paucos adhuc ante annos Aeſculapius, HERM. BOERHAAVIUS; utpote qui in Indice ſuo plantarum, qui anno 1710. Lugduni prodiit, non

nisi nomina plantarum recensuit, hujus vero solius floris brevem descriptionem operi suo inseruit, & statim ab initio ita scripsit: *Hæc planta, ad mirabili flore enato, suam notis commendavit formam anno 1709. d. 17. Augusti, quo facile se omnibus aliis antecellere plantis elegantissima floris fabrica certavit*, &c. Non igitur inutile, multo minus injucundum erit, inprimis Botanophilis, si paulo adcuratiorem nostri floris delineationem suppeditavero. Est autem hic *Cereus* planta herbacea, duarum & dimidiæ ulnarum, in varios gyros complicata, sexangularis, & paululum spinosa, vix digitum minorem crassa, ætatis quatuor annorum; e qua anno elapso d. 3. Septembr. e medio inter duas articulationes tuber villosum & capillatum, quod ex sphærica in Cylindricam, quamvis inæqualem excrevit formam (quam & supra laudatus BOERHAAVIUS se observasse refert,) progerminavit, ita quidem, ut capitulum hujus tuberis, spithamæ minoris longitudine, tenuiter adpareret acuminatum, & quasi caput galli gallinacei, seu Indici, cum rostro, referret; calyx viridis esset, perianthium vero ex fusco luteum, seu aurantium colorem exhiberet, & ex radiis fere innumerabilibus compactis, constaret. Die autem 5. Octob. nona hora tempore nocturno sensim expandere se incepit, usque fere ad horam duodecimam, ubi penitus explicata atque expansa prostabat, ita quidem, ut petala haud quaquam reclinarentur, nec nimis dispergerentur, sed os floris semper ventre paululum angustius conspiceretur. Peripheria autem expansionis, comparari potuit ratione magnitudinis cum orbe vitreo minore. In duplici serie circumcirca adpa-

adparebant petala triginta quatuor, eaque alba, immo fere argentea; interiora lata & tenuia, exteriora craſſiora & anguſtiora; quæ circumdabantur exterius a perianthii quaſi aurei coloris ſupra dictis radiis: E medio & fundo floris prominebat piſtillum tenue, idque album, & usque ad os floris progreſſum, in cacumine fimbriatum, forma coronæ, id quod cingebatur innumeris, ac quidem tenuibus & albis ſtaminibus, quibus luteæ inſidebant antheræ. Odor ſentiebatur plane ſingularis & quem vix cum alia planta comparaveris, ſuaviſſimus delicatiſſimusque, non quidem gravis, valde autem inſinuans, ita, ut nonnulli diu iterum jam a flore remoti contenderint, ſe adhuc ſentire ſpecificum hujus floris odorem. Non diu autem hic ſplendor hortum noſtrum ornabat, ſpectantiumque oblectabat oculos; ſed altera die, tempore matutino, poſt quartam horam, ſe complicare cœpit, ita certe, ut hora nona plane recluſa ſpectaretur.

(*Altorfio Erfordiam miſſa d. 12. Maji 1741.*)

OBSERVATIO CXLII.

Dn. D. JOAN. SEBAST. ALBRECHT.

Asthma gravissimum, cum tumore totius corporis cachectico oedematoso, subito ortum, brevique iterum debellatum.

Quantum detrimenti ceperint vegetabilia & animantium, hominum inprimis corpora ex tempestate infausta & horrida mensis Octobris & sequentium hibernorum anni præterlapsi MDCCXL. notissimum est, & multi secum adhuc, proh dolor! tristi recolunt memoria. Apud nos Coburgi, qui status fuerit, si quis noscere cupiat, legat de hac re relationem nostram in *Commerc. litter. Norico phys. techn. medico 1741. hebdom. XVII. p. 134.* Nunc libet recensere historiam morbi gravissimi inde orti, cujus tamen eventus ultra omnem prognosin & brevitate & salute exhilaravit animos & Medici & ægrotæ cum marito. Fœmina 37. annorum, tenuioris fortunæ, gracilioris corporis habitus, scorbutica, infantem octo mensium lactans, humido illo cœlo & austera tempestate iter facere commerciorum causa cogebatur pedibus. Vix duo milliaria absolverat, cum toto corpore intumescendi & cum difficultate spirandi faceret initium, ita, ut consilium mutare & ob impotentiam curru vehi & sic domum reverti necessitas postulaverit. Hoc facto in consilium vocatus inveni ægram toto corpore frigidam, & pedibus, cruribus, abdomine, artubus superioribus, ipso ne collo & capite quidem exceptis, tumore œdematoso, molli, prementi digito facile cedente & foveas admittente turgidum & tumidum, cum difficillima, etiam erecto situ, quam Orthopnœam vocant, respiratione, decubitus declinati plane impatiens, pulsu simul ad-

admodum debili. Miratus sum omnino tam subitam mutationem, sed causæ procatarcticæ memor, injuriæ aëris nempe toleratæ, ante omnia id curavi, ut calore refocillaretur corpus & sic humores in motum iterum reducerentur blande per externa & interna remedia. Illud per frictiones, & adpositos pedibus asserculos calidos effectui dedi, hoc vero per potum calidum, tenuem, ex lignis & radicibus attenuantibus atque incidentibus paratum, largiter hauriendum. Præparatis sic aliquo modo humoribus, altero die subjunxi Mixturam ex Tinct. Tart. & Spir. C. C. ana concinnatam, ter de die cum illo potu ad 35. gtt. adsumendam. Hinc urinæ excretio auctior facta est, & cutis spiraculis aliquo modo apertis, madere corpus cœpit in facie & pectore. Difficultate autem spirandi ulterius urgente aliud consilium quærendum esse putavi. In mentem venit toties laudatus pulveris squillitici effectus; altero itaque die sequentem in modum compositum ordinavi: Rec. Pulv. rad. Squill. crud. gr. 5. Vincetox. Pimpinell. alb. ana gr. 4. Nitri puriss. gr. 6. M. F. Pulv. pro una dosi, mane in brodio carnis macilento propinantus. Hoc facto paulo facilius spirabat ægra, sed cum sono & sibilo a materia crassa pulmonum vasculis aëreis inhærente; ut itaque materia hæc soluta mediante expectoratione, per proximam viam removeri possit, Mixturæ sequentis cochlear unum alterumve exhibendum curavi sæpius. Rec. Aqu. Marrub. alb. Fœnicul. Hyssop. ana ℥ij. Aqu. asthmat. R. ℥iss. Oxymell. squill. ʒiss. Syr. de Glycyrrh. ʒiij. M. D. ad Vitrum. Insuper etiam ad dyscrasiam humorum scorbuticam corrigendam & humores ulterius resolvendos addidi sequ. Rec. Elix. propr. antiscorb. ʒiij. Ess. Gumm. ammon. ʒj. M. mane & vesperi cum decocto calido, noctu autem cum cerevisia tenui, tepida, exhibendam. Sed cogitandum nunc etiam erat de minuendo tumore & liberando corpore a colluvie sero-

ſeroſa per catharctica medicamenta; die itaque quinto, viribus aliquo modo reſtitutis per calorem, & humoribus mobilioribus redditis, ſequens ordinavi Electuarium cum ſalute ægrotæ. Rec. Roob. Ebul. Juniper. ana ℥ j. Pulv. rad. Vincetox Ari, ana ʒ j. Jalapp. n. r. ʒ iſs. Bryon. Squill. ana ʒ ſs. Syr. de Spina cerv. q. ſ. M. F. Electuar. pro effectus & virium ratione ante meridiem & poſt eam etiam circa veſperam ad unam alteramve cultri majoris cuſpidem porrigendum cum largo potu calido. Hac medicamentorum & Electuarii inprimis continuatione factum eſt, ut ægra die 15. tam gravi & alias contumaci chronico morbo, adjuvante gratia divina debellato, tumore ſublato, reſtitutaque in integrum reſpiratione rebus iterum ſuis præeſſe inchoaverit & adhuc ſalva vivat, licet, quod ſæpius miror, inſequente menſe Decembri graviſſimas aëris injurias iterum ſuſtinere neceſſe habuerit, quod de viſcerum ſtatu illæſo præbet teſtimonium, omni exceptione majus.

OBSERVATIO CXLIII.

Dn. D. JOAN. SEBAST. ALBRECHT.

Aſthma cum palpitatione cordis in cachectico hydropico in pectore & pericardio cum Sectione ejusdem anatomica.

Alia plane, ac in præcedenti caſu, ratio & eventus fuit in viro 31. annorum, litterarum ſtudiis & ſic vitæ ſedentariæ nimium dedito, & ſolitudinis amanti, temperamenti ſanguineo-melancholici, ſtaturæ & habitus corporis mediocris, qui ab anno, & quod excurrit, variis tentabatur ſymptomatibus, laſſitudine totius corporis, & majori quidem, poſt (inquietum plerumque) ſomnum, qui reſi-

reficere vives debebat, adpetitu ciborum proſtrato, immo calidorum nauſea, his ſucceſſit aliquis circa taleolos œdematoſus tumor, qui ſucceſſive ſurſum ulterius progreſſus eſt. Comitabantur hæc mala difficilis ab auctiori paululum motu reſpiratio, pulſus frequens, inæqualis, dolor in dextro hypochondrio preſſorius, ita tamen, ut libera deambulandi adhuc potentia fuerit ægroto, etiam extra domum, donec d. 8. Aug. ann. præter. reſpirandi difficultas & cordis palpitatio adeo augerentur, ut viribus omnino fractis altero die placide exſpiraret.

Quæ medendi methodus in hoc adfectu adhibita fuerit equidem ignoro, illud tamen probe ſcio, Venæſectiones æquinoctiales non fuiſſe neglectas, ac inſimul ſtomachalibus plus, quam aperientibus, eſſe dimicatum. Uxor & conſanguinei de ſubitaneo hoc eventu contriſtati & de cauſa dubii, a me petierunt, ut corpus aperirem & eam patefacerem. Neque illa etiam deerat multiplex morbi atque repentinæ mortis; parum enim abfuit, quin in unico hoc ſubjecto omnes hydropis ſpecies præſentes fuerint, aliæ minus, aliæ altius progreſſæ, illa autem thoracis & pericardii imprimis mortem ſine dubio acceperavit, ut ex dicendis patebit. Omnes namque corporis inferiores partes ab infimis pedibus, nec ſcroto & mentula exceptis, tumore ſeroſo mediocriter tumeſcebant ad ſcrobiculum cordis usque, facies autem & artus ſuperiores macilenti magis, quam tumidi erant. Statim ac culter anatomicus cutem penetraverat, ſeroſa colluvies ex ſpongioſa adipe undique confluebat, & robuſto peritonæo aperto, aquarum copia etiam ex abdominis cavo profluebat. Ventriculus & inteſtina tam tenuia, quam craſſa, omni tono amiſſo flaccida, fluctuabant in illa colluvie, & circa inteſtini recti ſuperficiem externam plures ab extenſa illa membrana nati conſpiciebantur adipoſi appendices ex

baſi

basi tenuiori in figuram coni inversi aucti, quæ omnia omentum nihil præter naturam alens tegebat. Hepar e contrario omnino erat scirrhosum, coloris pallidi, qualis est in cocto hoc viscere, flavescentis, in ejus parte convexa hydatis unciæ dimidiæ, seu minoris nucis moschatæ magnitudine eminebat. In vesicula fellea, mediocris magnitudinis, bilis aquosa & iners reperiebatur. In vena portæ, sanguine spisso, nigro ab infarctu tumente, sub ingressu in substantiam hepatis polyposam quasi, vel spuriam concretionem inde natam conspicere licebat & extrahere, omnes vero & multiplices hujus vasis per viscera abdominis dispersæ ramificationes, inprimis in mesenterio, turgebant eodem nigro, spisso liquore, & lienem idem tumor occuperat, & nigro sanguine majorem, quam in statu naturali est, in molem auxerat. Nec renum quoque sinister ab omni labe liber erat, sed in inferiore ejus partem acula, a stagnante cruore nigricans adparebat, & licet nec in utriusque pelvi nec ureteribus quidquam peregrini inhæreret, omnes tamen hæ partes, una cum vesica, vacuæ & urina destitutæ reperiebantur. Progressu nunc ad pectus facto, sub elevatione sterni statim novus calamitatis fons, magna scilicet, seri flavescentis copia ex utriusque lateris cavo profluebat, & in ipso pericardio tumido circiter unciæ octo ejusdem colligi poterant. Cor magnitudine quidem excellebat, sed flaccidum & exsangue nihil polyposi, neque in ventriculis, neque in auriculis, neque in proximis vasis alebat. Pulmonum dexter lobus leviter cum pleura coaluerat, sinistro omnino libero, uterque vero a copioso in illorum substantia scirrhosa humore, gravis nigricans, & in externa superficie varicosus, adacto cultro, non sanguinem floridum, sed corruptum, serosum, lutulentum, flavescentem, spumosum, plorabat. Omnes autem membranosæ partes, uti in abdomine, sic etiam hic in thorace abmodum validæ & robustæ deprehende-

hendebantur. Ex quo viſcerum ſtatu corrupto & inde ortis plurium actionum læſionibus, in primis autem Hydrope pericardii & thoracis nata, patet mirandum non eſſe, quin etiam in juniore corpore graviſſima oborta ſymptomata, palpitationem cordis & aſthma, ipſi vitæ terminus ad finem fluxerit paſſibus celerrimis, nec curam admiſerint ullam, cum hæc tanta mala ſint, *quæ*, ut Clariſſimus olim Daniæ Medicus, *Olaus BORRICHIUS* de caſu noſtro fere analogo dicit (a) *ne vix ipſe curaſſet Æſculapius.* Illud vero magis mirari licet, quod quidam Hydropem Pericardii, rariſſimum adfectum, & in *artificum* magis *inventis*, quam *naturæ operibus* quærendum eſſe, pronunciaverint, (b) cum tamen exempla plura, tum paſſim alibi apud obſervationum Scriptores, (c) tum a *Theophilo BONETTO* (d) collecta reperiantur & ipſo ſenſu teſte confirmentur per experientiam quotidie,

(Coburgo Erfordiam miſſa
d. 20. Maji 1741.)

(a) *Thom.* BARTHOLINI Act. Hafniens. 1671 & 1672. Obſerv. LXXXIX. p. 175.

(b) Excell. *Jo.* JUNCKERUS in Conſp. Medic. theoret. pract. Tab. LXVI. p. m. 437.

(c) Eph. N. C. Dec. II. Ann. I. p. App. 98. Cent. III. & IV. Obſ. CXLI. p. 321. Vol. II. Obſ. VII. p. 17. *Carolus PISO* de morb. a. colluv. ſeroſa 3. C. II. p. 168. TULPIUS Obſ. med. Lib. IV. c. XX. HILDANUS Obſ. Cent. IV. Obſ. LI. confer. etiam Illuſtr. BERGERI Diſſ. de Palpilatione cordis §. VI. p. 13. & *Günth. Chr.* SCHELHAMMERI Diſſ. de Aqua pericardii Sect. V. §. 3. p. 42.

(d) In Sepulchreti Anatomiæ pract. Libr. II. Sect. I. Obſ. LX. LXXXVI. & Sect. VIII. Obſ. XXI.

OBSERVATIO CXLIV.
Dn. D. PAULI GERARDI HENR. MOEHRINGII.
Raia varia, dorſo medio glabro, unico aculeorum ordine in cauda. ARTED. Ichthyol. Gen. 37. ſyn. 102.

I. *Fœmina.*

a) *Dentes* in quibusdam obtuſi, in aliis individuis ſubtiliſſime acuminati.

b) *Dorſum* & *venter* glabra. Color ſimilis deſcripto ab ARTEDIO.

c) *Foramen* utrimque mox ſub oculis.

d) *Aculei* 2. ad angulos ſuperiores oculi utriusque; unicus ad angulum interiorem & inferiorem. Aculeorum ordo unicus, per medium caudæ decurrens.

e) *Pinna ani* unica utrimque, deorſum bifida: lacinia interiore latiore. *Pinnæ* 2. ad extremum caudæ, quas inter aculeus unus eſt; una caudæ pinna terminatrix tenuior.

II. *Mas*; ſiquidem ſecundum ARTEDI *l. c.* opinionem ad hanc fœminam pertinet.

a) *Dentes* granuloſi, obtuſi.

b) *Venter* glaber, ſed verſus roſtrum ſubtiliſſime aculeatus.

c) *Dorſi* medium glabrum; circa ſpinam vero, oculos, roſtrum, & pinnas laterales ſubtiliſſime aculeatum. *Aculeus* unicus, deorſum uncinatus, utrimque ad internum & ſuperiorem oculi angulum; unicus ad initium ſpinæ dorſi; 12. ad 20. ad utrumque marginem e regione oculorum, oblique deorſum uncinati

cinati, quorum interiores majores; circiter 18. longi, cuti adpressi, horizontales, dorsi spinam apice suo respicientes, in medio pinnarum lateralium: unicus aculeorum ordo in cauda, sed utrimque aculei 2. laterales e regione pinnæ infimæ ani: unicus tandem aculeus inter pinnas caudæ.

d) *Foramen* utrimque mox sub oculis.

e) *Pinna* 2. utrimque, altera sub alteram, ad anum.

f) *Appendix* una utrimque, *penis* nomine venientes.

h) *Pinnæ* 2. prope extremitatem caudæ, & una terminatrix.

Obs. 1. Sicut ad esum ex omnibus Raiarum speciebus fœminæ seorsim maribus anteponuntur, quippe suaviori carne, & subtilioribus fasciculis carnosis præditæ: sic hujus speciei fœminæ, piscatoribus *glatte Rochen* dictæ, præsertim minores, reliquas omnes superare creduntur. Atque hanc fœminam sine omni dubio intellexit SCHOENEVELD. *Ichthyol. 58.*, de Raja lævi loquens.

2. Differentias, ab optumo LINNÆO & b. ARTEDIO *in Ichthyol. l. c.* jam enarratas, silui, ne superflua egisse videar.

OBSERVATIO CXLV.

Dn. D. PAUL. GERARD. HENR. MOEHRINGII.

Rajæ clavatæ Auctorum adfinis.

a) *Dentes* granulati, obtusissimi; planos dixeris.

b) *Corpus* totum aculeis minimis in ventre & dorso scabrum.

c) *Foramen* unum sub oculo utroque.

d) In dorſo; aculeus unus in roſtro: in dextro oculo unus ad utrumque angulum internum ſuperiorem & inferiorem: in ſiniſtro oculo unus ad angulum internum ſuperiorem: (inferioris aculei heic defectus non tamen excludet ejus præſentiam in reliquis individuis,) unus aculeorum ordo laxus per totam ſpinam dorſi, ad extremum caudæ usque excurrens: *in cauda* aculei aliquot laterales, laxe poſiti: unus aculeus inter pinnas 2. caudæ.

e) In ventre aculei circiter 5., ad utrumque latus, a pectore ad abdomen usque, ſitu longitudinali.

f) Pinna ani nulla: pinnæ 2. prope extremum caudæ: pinna una, caudam terminans.

g) Cartilago transverſa, ſepti transverſi fulcrum, ad initium abdominis, utrimque deorſum in proceſſum latiuſculum ſtyloïdeum oblique decurrens.

Obſ. 1. Capitur in Oceano ſeptentrionali cum reliquis apud nos; piſcatoribus *rauche Roche* vocatur; lato nomine ab aſperitate cutis deſumto, ſicut illam, ſuperiori obſervatione deſcriptam fœminam a levitate inſigniunt.

2. Quodſi ergo cartilago transverſa eſſentiam ſpeciei hujus conſtituit, individuum noſtrum eſſet varietas RAJÆ *aculeata, dentibus tuberculoſis, cartilagine trnnsverſa in ventre. ARTEDI Ichthyol. gen. 72. ſynon. 99.* Sed quum plures ſpecies hoc diaphragmatis fulcro gaudeant, (quod *ſequens obſervatio* commonſtrabit,) quæritur, annon magni illi in ventre aculei, paucis hujus generis conceſſi, ſpeciem diverſam innuant? vix certe varietas denominari poterit donec certiora innoteſcant.

OBSER-

OBSERVATIO CXLVI.

Dn. D. PAULI GERARD. HENR. MOEHRINGII.

Raja varia, corpore medio glabro, cartilagine transversa in dorso & ventre, triplici aculeorum ordine in cauda.

Hæc nondum descripta videtur, neque ARTEDIUS ejus meminit. *Marem* nondum vidi.

Fœmina.

a) Tres circiter pedes *longa* quandoque evadit, qualem habui.

b) *Latitudo* maxuma in eodem specimine $1\frac{1}{2}$. pedes rhenan.

c) *Rostrum* satis longum, acutum.

d) *Os* extensum.

e) *Dentes* acuti.

f.) *Corpus* medium in dorso & ventre glabrum, in rostro autem, prope oculos, & ad latera superiora extensionis pinnæformis pectoralis, munitum subtilissimis aculeis, qui ad apicem rostri, & in margine oculorum tantillum conspicui magis adparent. Ceterum nullus aculeus major, vel aduncus in toto corpore.

g) *Cartilago* diaphragmatis transversa utrimque in dorso & ventre.

h) Triplex *aculeorum* magnorum ordo in *cauda*, quorum ordo medius laxior & magis aduncus.

i) *Pinnæ* duæ *ad anum* utrimque, lateraliter fere positæ, internis parum modo longioribus.

k) *Pinnæ* duæ prope extremitatem *caudæ*, quas inter aculeus. Caudæ extremum pinnæforme.

Obs. I. Haud ita copiosa hæc species apud nos in Oceano septemtrionali capitur, ac reliquæ. Piscatores eam *Flüte* nuncupant, vel *Vlüte*, cujus nominis significatio ignota.

2. Quam SCHOENEVELD. *Ichthyol. 58.* apud insulam, Hilligland, am *Fleten* (cui propinquum piscatorum nostrorum *Flüte* nomen) vocari dixit, ea pertinet ad *Rajam spec. 9 ARTEDI Ichth. gen. 73.* Forte tamen piscatorum vulgus, differentiarum verarum specificarum imperitum, omnes Rajas prægrandes sine ulteriori discrimine *Vlüten* vel *Fleten* adpellat.

(Jevera Frisonum Erfordiam missa d. 17. Jun. 1741.)

OBSERVATIO CXLVII.

Dn. D. GOTTLIEB. HENR. KANNEGIESSERI.

De

Frigoris ann. MDCCXL. effectu notanda quædam.

De brumæ elapsæ inclementia, frigoris gradu & effectu variis passim enodationibus jam extantibus multa qui dicere vellet, bis coctam modo adponeret crambem. Interea cum pro regionum differentia, frigorisque qualitate pariter discrepet effectus, quæ in hanc nostram ejus fuerit vis, breviter rursum describere operæ duxi pretium. Noctibus anni superioris MDCCXXXIX. lucem vincere vix incipientibus jam graviter irruerant minæ atque tunc temporis quilibet haud inepte de insequuturo metuebat hyperboreo. Die 12. Calend. Febr. anni MDCCXL. hic loci frigus summum attigerat fastigium, & Thermometra quædam, liquoribus intra sphæram sese occultantibus,

bus, ne gradus quidem indicare poterant. Quæ tunc fuerit frigoris asperitas, ex ipsa marium ventis agitatorum, congelatione facile colligitur. Ora portus Kilonensis securi trajicebant cum quatuor rotarum rhedis, ac mirandum sane, quod ruricolæ, horrendum maris abyssum non metuentes, a Dænisch - Neuhoff ad præfecturam Preetzenstein, quæ loca tribus distant milliaribus, multos lignorum orgyjas oceanum transportaverint Balthicum. Ex hoc frigoris vehementia non leve cepimus detrimentum. Puppes rostro undas scindere atque ita frumentariam neutiquam demere poterant curam. Fluviales præcipue pisces, atque omne natantium genus plenariam fere sustinuit stragem. Nec terrenis bestiis, sylvis fruticibusque pepercit frigoris inclementia, & quam hominum gens cædem perpessa sit, verbis exprimi vix potest. Phthisicis ac decrepitis frigus maxime fuit infensum. Per omne hibernum tempus plurimos admodum vehementes grassati sunt morbilli. Qui nonnunquam sanguinis evacuationes admiserunt artificiales, jam naturalibus, mulierculæ videlicet variis mensium ataxiis nimiisque uteri cruentationibus, mares vero gravibus narium hæmorrhagiis atque hæmoytysibus erant obnoxii. Ac praxi clinica mihi satis ampla existente, per lustrum tamen me vix ac ne vix tot hæmorrhagicorum, quot per mensem hiemis elapsi, reperiisse, facilis possum significare. Neque silentio prætereundum, quod morbillis decumbentibus superveniens narium hæmorrhagia nunquam fuerit noc v : longe tamen aliter in reliquis se habuit subjectis. Quibus enim sanguis supra mediocritatem abundans, vel natura, vel arte non fuit detractus, tabem vix evitare poterant funestam. Remittente demum frigoris atrocitate, simul ac morborum evanuerunt cohortes, & per reliquum hucusque tempus plurima gens de salute gloriari potuit non interrupta.

Maxi-

Maximam insuper frigus annonæ intulit caritatem. Etenim per hæc confinia nostra, arboribus, de cortice gemmas trudere vix incipientibus, scarabæorum multitudo saginam corripuit penitus, avidaque recondidit aluo. Pruinis nocturnis per æstivum quoque tempus non cessantibus, gramina paululum progerminata, armentorum gregi tenuem dummodo suggessere victum. Hordei ac tritici parum fuit demessum, siliginis tamen copia largiter resarsit penuriam. Inter aquatilia, cyprinis & scombris, illis propter lacuum planitiem, his propter urticarum marinarum defectum, stragem frigus haud dedit tenuem.

Urticæ Balthici maris, in primis littoribus familiarissimæ sunt: imitantur hæ mollium animalium in mari naturam, sentiunt enim manum admotam, & quæcunque nactæ sunt alimenta devorant; os in medio corpore habent, nullum autem in iis excrementum esse videtur. Tactæ urticæ uredinem movent, instar herbæ terrestris, quæ ab *urendo* nomen obtinuit. vid. *Stephani a SCHOENEVELD Ichthyologia pag. 77.* Scombri avide sectantur urticas marinas, ac istas præter vix alio gaudent pabulo. Urticis itaque intenso frigoris gradu catervatim interemtis, accidit ut pauciores scombri, hic loci in deliciis habiti, maris nostri attigerint ostia. Reliquos frigoris in hanc nostram regionem effectus fusius percurrisse vel huc traxisse denuo: ingratum foret atque tædiosum, brevitati ea propter insistere quam latius hic evagari, volo

(*Kilonio Holsatorum Erfordiam missa d. 28. Jul. 1741.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXLVIII.

Dn. D. JOAN. GODOFR. HAHN.

Præſens a Carolinis auxilium in pertinaci faciei ſpasmo, viſum deſtruente.

Incomparabilem Carolinarum in corrigendis nervorum vitiis virtutem publice hic collaudandam fas duxi, poſtquam filium meum a malo, inſuperabili viſo, illarum uſu modo liberatum cum exultatione vidi. Digna certe, quæ cum orbe medico paulo curatius communicetur & morbi & auxilii hiſtoria. Juvenis hic duo de viginti annos natus, robuſtus ſatis, denſa cute nec facile perſpirabili præditus, per quadriennium gravi, eoque plane ſingulari, convulſionum genere aliquoties vexatus decubuit. Infans quidem, nec cum dentiret, nec cum variolis, quæ ardentiſſimæ erant, laboraret, epilepticus extitit. Decimum quintum autem ætatis annum agenti die Maji ſecundo caput mane acerbius dolebat. Poſt meridiem convellebatur ſyncopticus. Ex ea die convulſivi motus bis quotidie repetebant, levi ſemper horroris ſenſu invitante angores, ſuſpiria, jectigationes, tendinum ſubſultus, involuntarios raptus, tetanum, opiſthotonon, anæſtheſiam, idque adeo adcurate ſervata temporis ratione, ut quovis mane ab hora nona ad undecimam, & poſt meridiem a quarta ad ſextam nervea hac febre detineretur æger. Jam quamquam morbi die quarto ſplendentes quædam albæ, eæque conſtantes maculæ, (petechias albas diceres, ſive nerveas,) per thoracem paſſim diffuſæ comparerent, ſudor etiam

quinto die manaret, & sputa viscida prodirent, invalescebat tamen de die in diem malum. Caput dolore adfectum pugno percutiebat convulsus; genas unguibus lacerabat, cervicem retro torquens, corpus & singula membra mire volutans. Excipiebant quemvis paroxysmum violentissimæ cordis palpitationes & deficiebant per horæ dimidium loquela & sensus. Tum demum ad se rediens morosus erat & truculentus æger, decimo quoque die tremens & singultuosus. Undecimo vomitus præcedebat spasmos & frigus febrile: Lingua intumescebat, atque in oculo sinistro phlyctæna efflorebat. Duodecimo cutis subarida & leviter rugosa cernebatur, perinde ac si deponendis exuviis adaptaretur. Decimo quinto tandem spasmi conquiescebant, urina, quæ ante instar aquæ fontanæ prodierat, in naturalem mutabatur colorem, pristinoque simul calore algida membra iterum refocillante. Circa vicesimum diem cuticula decedere cœpit per totum corpus, quod collectis sensim viribus, mole sua paucis abhinc mensibus insigniter auctum erat.

Trimestri exinde instituta venæsectione & frequenti equitationis exercitio, præpedire tamen non potuimus, quin Decembre illius anni secundum, & Septembre sequentis tertium in idem morbi genus fieret præceps. Latus quidem hac tertia vice dextrum præ sinistro rapiebatur. Atque uti olim flexores artuum, ita nunc extensores violentius agitabantur. Colli præcipue molesta tunc erat distorsio & pectoris natura paulo depressioris, animam diu præfocans oppressio. Igneus oculorum splendor, pallentibus, cum horroris crebra perceptione, extremis. Decimo quarto die favis & aphthis & fugitivis uredinibus efflorentibus, magnoque salsi muci saburra vomitu rejecta, so-

pitæ

pitæ convulsionum turbæ, ita tamen, ut diu tunc superstes permaneret lassitudinis morbosæ sensus, socia intolerabili cordis palpitatione. Hac inprimis quadragesimo secundo a morbi initio die sæviente, magnam subito cruoris copiam per asperam arteriam exturbabat orthostados, lurida facie miser, & glaciali frigore algens, mox tetano convulsus. Repetita illico venæsectione ultra annum siluit malum, duplici illa sanguinis effusione quasi justa crisi sedatum. Interim æque larga hæmoptysis sequenti anno MDCCXL. mense Octobri eosdem spasmos introducebat, per quatuordecim dies bis quotidie, more solito, statis horis redeuntes.

Tandem Martio hujus anni MDCCXLI. similis nervorum adfectus quartum redux rigidum maxillæ inferioris spasmum post se relinquebat. Hoc perdurante, die vicesimo tertio Martii subito vertiginosus concidebat noster per gradus præceps. Convellebantur eo ipso momento omnes faciei & colli musculi a latere sinistro, dextro quasi a paralysi immoto. Illi faciei spasmi plane a prioribus, qui periodici & universales fuerant, distincti, sine remissione vellicabant faciem, tandemque os ad oculum constringebant, loquelam intercipientes & visum. Elapsis octodecim diebus aperiebatur iterum oculos; sed non sine stupore deprehendebamus ἀμαυρούμενον ὄμμα, oculum sine externa labe conspicua a solius nervi optici obstructione excœcatum. Oris dein spasmo tantillum relaxato balbutiens manebat & hæsitans lingua. Ipse autem æger perennantibus faciei spasmis tractu temporis extenuabatur.

Calamitoso hoc rerum statu cum spes restitutionis domi vacillaret, tum aut nullibi, aut certe in Carolinis adju-

tum iri filium ſperabam. Licet enim bis hæmoptyſi laboraverat, tabis tamen pulmonalis ſuſpicio nulla contrarium ſuadebat. DEI ergo auſpiciis haurire Carolinas a die Junii decimo tertio cœpit, felici quidem adeo cum ſucceſſu, ut quarto curæ die miteſcerent faciei ſpasmi, ſeptimo loquela expeditior fieret, atque undecimo lucis aliqua perceptio obſervaretur. Decimo quarto die oculus æger etiam objecta cœpit & decimo ſexto acutiſſime iterum cernere. Scilicet illo die ſub finem ſecundæ curæ, quæ cum mitiore illo fonte, qui ad molendinum eſt, inſtituta fuerat, ex improviſo videbantur oculo obverſari deciduæ quædam ſquamæ. Mox advertebatur tremor oculi momentaneus & ſtatim aderat priſtina oculi acies, minutiſſimum etiam ſcripturæ genus commode diſcernens. Hæc tam ſubita & ſpem ſuperans in melius mutatio, tertia cura cum altero Carolinarum fonte, quem *furioſum* vocant, (der Sprudel) ſuſcepta, ita confirmabatur, ut integerrima ſanitate gaudens domum reverteretur noſter.

(*Wratislavia Erfordiam miſſa d. 26. Septembr. 1741.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXLIX.
Dn. D. JOH. GUILIELMI WIDMANNI
De
Atrophia incurabili ex, intercepto alimentorum in ventriculum ingressu.

Non sine acumine a quibusdam vita nostra, totius corporis & singularum ejus partium dispendium assiduum & successiva mors fuit proclamata, eo quod eadem sit causa, eademque vis & virtus, quæ corpus nostrum conservat ac ea, quæ singulis momentis idem atterit atque consumit, solidis namque ejusdem partibus per actionem, quam in fluidas perpetuo exercent, (qua tamen intercepta fluidæ mox vitium caperent) continuo aliquid decedit, fluidæ vero, quamvis ipsarum solidarum substantiam multa ex parte constituant, iisdemque vires & robur concilient, vi atque impulsu illarum expelluntur, ita quidem, ut perpetuo hoc circulo, cujus ope corporis humani functiones qua vitales, qua naturales rite succedunt, ejusdem quoque vires debilitentur, idque tandem ad incitas plane redigeretur, nisi nova accedente nutrimenti materia deperditi restauratio fieret atque universum corpus denuo reficeretur. Quod si itaque contingit, ut naturalis illa actio, quam nutritionis nomine Physiologi appellant, quacunque de causa depravetur, aut plane aboliatur, totius corporis atrophiam atque contabescentiam insequi, necesse est:

Sic morimur sensim & momento extinguimur uno,
Non secus, ac Lampas deficiente oleo.

Tanto magis exitiosum itaque humano corpori erit, si

quando in primæ ſtatim coctionis officina, ſive qui univerſi corporis promus condus eſſe debet, ventriculo vitium, omnem medelam reſpuens, atque cauſæ ſufflaminatæ plane nutritionis hæreant, quibus vel omnis alimentorum invectio intercipiatur, vel depravata aut abolita plane digeſtione chyli elaboratio præpediatur, aut elaboratus ex parte chylus ad ulteriorem perfectionem duci & ad partes nutriendas vehi nequeat, exemplo triplicis, quam hic ſiſto obſervationis de Atrophiis funeſtis & lethalibus, quarum prima ex denegato alimentorum in ventriculum ingreſſu, altera ex denegata ciborum in ventriculum quidem ingeſtorum digeſtione, tertia denique ex denegato alimentorum ventriculo ingeſtorum & ex parte etiam digeſtorum e ventriculo egreſſu ortum duxit, quas in diverſis ſubjectis diverſo tempore obſervare mihi licuit.

Primam obſervationem mihi ſuppeditavit vir quidam annos natus circiter 60. Hic ceterum bene valens, poſtquam ex litibus, quas coram variis judiciis ſequebatur, atque ex enatis inde curis, ærumnis atque ſollicitudinibus multa perpeſſus eſſet, tandem in deglutiendis aſſumtis cibis, circa cardiæ regionem remoram quandam animadvertit. Augmentum autem mox cepit hoc malum, & aſſumtorum in ventriculum ingreſſus in dies magis magisque reddebatur difficilior, adeo, ut poſt unum alterumve menſem cibos ſolidiores deglutitos quidem, non amplius in ventriculum propellere potuerit patiens: ſed illos circa cardiæ regionem, in qua obſtaculum perſentiſcit, collectos, repleto tandem œſophagi canali, per vomitus rurſus rejicecere coactus fuerit; Cœpit itaque alimentis tenuioribus & mollioribus uti, quæ, licet ſemper remoram aliquam ipſis poſitam eſſe, animadvertit patiens, ipſum tamen ventriculum intrarunt, cum autem & his tandem ad ſtomachum præcluderetur via, ſolis juſculis & potulentis pro

ſui

ſui conſervatione uti cogebatur, nec niſi tenuibus fluidis in ventriculum amplius aditus patebat.

Eo cum res devenit, emaciatus & viribus fere jam exhauſtus me accedit patiens, conſilium & auxilium medicum anxie efflagitans, quod ipſi lubens volensque impertitus fuiſſem, modo non allegatæ jam circumſtantiæ & phænomena de malo difficillime aut nunquam tollendo certiſſima præbuerint indicia.

Spaſmodicam orificii ſiniſtri ventriculi conſtrictionem, alimentorum in ventriculum ingreſſum hoc in ſubjecto non prohibere, ex eo judicavi, quod obſtructio illa œſophagi, quæ alimentis aditum præcludebat, pedetendim ac per gradus oborta & aucta fuerit, in ipſis organicis partibus vitium potius malæ conformationis ſubeſſe conjeci, nec ipſi hanc de ſuo morbo ſententiam meam celavi: Me ſcilicet eſſe penitus perſuaſum, quod ſtomachi principium, in cujus regione etiam de obtuſo doloris ſenſu oppreſſivo conquerebatur, vel excreſcentia quædam aut tumor præternaturalis obſideat, alimentis ſolidioribus viam præcludens, quam nec Chironia manus tollere amplius poterit.

Quod ſi ex generoſo remedio quodam auxilium ſperandum fuiſſet, in vomitorio illud quæſiviſſem, an ex commotione ſub ejus operatione facta, vel ruptio, ſi forſan tumor in abſceſſum abiiſſet, aut translocatio corporis obſtruentis obtineri poſſet; ſed & hujus ancipitis remedii eo facilius ſuperſedere potui, quo validiora vomitoria ipſi ab aliis fruſtra jam jam exhibita fuerint.

Aliam medicinam ipſi, utpote deſperato incaſſum adhibere, non tantum Hippocrates, ſed & miſera ipſius conditio & res anguſtæ, cum jam omnes ſuas facultates in eos, qui rem ejus gerebant, impenderit, vetabat. Ne tamem illum absque omni conſilio a me dimitterem, pro reſolvendo, quoad ejus fieri poſſet, quem prope ventriculum

lum hærere credebam, tumore, tincturam antimonii tartarisatam ipsi præscripsi, atque ut esculentorum & potulentorum loco, lac vaccinum tepidum larga quantitate hauriat, suasi, an præter facultatem nutriendi, emolliente etiam sua virtute, affectam partem alluendo, aliquem usum forte præstare posset: quibus a me discessit. Ego vero, ne occasio in hujus affectus causam proximam accuratius inquirendi, mihi deficeret, amico cuidam rem commendavi, qui, si aliquando diem suum obiret patiens, sine mora me, ea de re certiorem redderet; Per plures autem menses ex usu lactis adhuc vitam protraxit, donec tandem plane exaruerit & tabe consumtus, illam cum morte commutaverit.

Quo comperto sine mora ad dissectionem cadaveris me accinxi, & aperta abdominis cavitate, ventriculum ejusque orificium sinistrum sub examen anatomicum revocavi, & ecce, quem suspicabar tumorem, stomachum obsidentem reipsa deprehendi. In Oesophagi namque extremitate inferiore, quæ cum ipsius ventriculi corpore continua est, & orificium sinistrum, quod proprie stomachum appellant, format, tumorem offendi steotomatoso-schirrosum, cujus exterior pars dura admodum & schirrosa erat, interius sebacam materiam continens, videbatur autem, hunc tumorem primam suam originem inter ipsas tunicas œsophagi earumque glandulas obtinuisse, quippe qui non tantum in externa œsophagi superficie protuberabat, ita ut ab initio crediderim, illum œsophagum saltem compressione angustiorem reddidisse, hocque pacto alimentorum transitum intercepisse, sed & tactus & postea facta ipsius ventriculi & œsophagi dissectio adhuc evidentius me edocuit, hunc tumorem in interna etiam œsophagi superficie multum prominentem, ventriculi orificium sinistrum omni ex parte fere obstruxisse, adeoque solidioribus omnibus assumtis ingressum denegasse.

Silentio præterire nequeo, quod in hoc subjecto, cum,

cum, omni consumta pinguendine, arteria magna & vena cava supra spinam dorsi excurrentes, plane denudatæ fuissent, ipsis adjacens ductus thoracius, nil nisi tenuem lympham licet continens, in conspectum non modo venerit, sed & facillimo negotio ad insertionem suam usque ipsum prosequi poterim.

OBSERVATIO CL.

Dn. D. JOH. GUILIELMI WIDMANNI

De

Atrophia funesta, ex depravata alimentorum assumtorum digestione.

Hanc atrophiæ ex depravata alimentorum in ventriculum ingestorum digestione obortam speciem observavi in viro quodam annum agente 46. qui quondam Zytopæi servus mercenarius ingentem & vix credibilem panis copiam quotidie devoravit, & haud minorem cerevisiæ quantitatem ingurgitavit, aliis vero alimentis præ parsimonia vix aut raro usus fuit; Hic quamdiu duros suos labores strenue peregisset non male inde habuit, postquam vero aliam & quidem admodum quietæ vitæ rationem iniisset; mox cœpit languere & sensim exarescere, appetitus prosternebatur, & si quæ assumerentur difficulter non modo digerebantur, sed & eo tandem res devenit, ut, quæ ingerebat, prægresso ventriculi ardore revomeret rursus patiens, atque simul his pituitæ viscosæ tenacissimæ & acidum spirantis largam quantitatem rejiceret, & cum vomitus isti per octiduum continuassent, fractis jam viribus lecto affigere-

tur patiens, vocatus ego, ipsum debilem & tabe fere consumtum offendi. Quae sub crebrioribus vomitibus excernebantur, manifestum praebebant indicium, saburram acido-pituitosam ventriculum gravantem omnem mali caussam esse, quae digestionem plane inverterit, & laudabilis succi nutritii proventum hactenus impediverit, atque simul, si recuperandae sanitatis spes superesset, primariam in curando morbo indicationem suppeditabat, vomitus nimirum illos nec sisti nec patienti levamen afferri posse, nisi generoso remedio evacuante ventriculus a suburra ista pituitosa, a longo tempore jam collecta quam primum liberetur; Obstabant autem non modo virium defectus, sed & digestivorum medicamentorum usum ejusmodi remedio praemittere, maxime necessarium duxi, pulveres itaque ex absorbentibus, aromaticis & salinis antacidis concinnatis, ut & Essentiam ex amaricantibus & aromatic. incidentibus per unum alterumve diem ex congruo vehiculo ipsi propinavi, quorum frequens usus tantum effecit, ut acido fermentifico aliquantum infracto vomitus cessarent, & quae patiens hauriebat, juscula retinerentur atque ex eorum frequenti usu nonnihil reficeretur. Sed recruduerunt mox vomitus, emeticum igitur remedium in tempore adhuc adhibere non amplius haesitavi, & tartarum emeticum cum sale digestivo remixtum ipsi propinavi, quod pharmacum exoptatum edidit effectum, & sub quatuor vomitibus ingentem materiae bilioso-pituitosae tenacissimae quantitatem evacuavit, egregio cum levamine, Ventriculi tonum itaque jam restituere, atque digestionem juvare operam dedi, & praeter essentiam stomachic. ex amaricantibus & aromaticis compositam, Trageam quoque ex pulvere cachectico Quercet. stomachic. Birck. Spec. aromat. Imperat. Cortic. Winter. & eleosach. aromat; ut & Balsamosach. Peruvian. constantem commendavi, eorumque usu obtinui, ut juscula nutrien-

trientia meliori cum appetitu assumeret patiens; Verum enim vero vix biduum effluxit, quod de molestissimo illo ardore & gravativo ventriculi dolore anxie rursus conquereretur, & gravissimis etiam Lipothymiis sæpius tentatus fuisset; Ardori huic ventriculi ab acido & viscido in eo hærente, potentissimo producto pulveres acidum invertentes & viscidum incidentes ulterius opponere, vires vero fractas Mixtura cardiaca refocillare congruum atque necessarium duxi.

Nihilo tamen minus ardorem illum, & gravativum dolorem vomitus denuo insequebantur, sub quibus non minor pituitæ tenacis quantitas, ac ante vomitorii usum rursus rejiciebatur, cum virium jactura, & subsequente demum calore hectico; Cum ergo crebriores vomitus pituitosi, ventriculum a corrupta ista saburra nondum satis repurgatum esse, clare edocuerint; quatuor a primo assumto vomitorio elapsis diebus ejusdem usum repetere nullus dubitavi, & tartari emetic. gr. ij. cum salibus digestivis mediis remixta, præmissis pulveribus salinis & aromaticis incidentibus, denuo exhibui, quibus, aliquot vomitibus excitatis, glutinosæ materiæ instar visci tenacissimæ ingens quantitas rejecta rursus fuit; Sed nec ardor ventriculi exinde mitigabatur, nec vomitus cessabant, quin potius altero die supervenientes denuo vomitus spontanei tantam istius glutinosæ pituitæ acidæ projecerint copiam, ac si nullum unquam evacuans medicamentum ægro exhibitum fuisset, manifesto indicio, saburram istam humorum vitiosorum nondum esse extirpatam, nec extirpari amplius posse, cum, ne illum, quem servare voluerim, occidisse videar, ab ejusmodi pharmacorum ulteriore usu, viribus in dies magis descrescentibus, desistendum fuerit, præcipue cum spontaneos vomitus gravia jam deliquia comitabantur. Inter

ter ſacrum itaque & ſaxum nunc verſabatur æger: Vomitus ſiſtere nec congruum nec poſſibile fuit, nec ſtomachica medicamenta, utpote ex quorum uſu ardor ventriculi magis exacerbatus fuit, ferre amplius potuit patiens, continuato itaque ſaltem Elixir. proprietatis dulcis cum ſpiritu ſalis ammoniaci aniſat: nonnihil acuati, & pulverum, acidum præcipitantium uſu, malum ſopire allaboravi, ſed fruſtra, recruduerant enim in dies ventriculi ardor & vomitus pituitoſi, donec tandem omnibus viribus exhauſtus atque tabe conſumtus poſt aliquot dies morbo ſuccubuerit patiens. Tanto autem majori flagravi deſiderio defuncti cadaver incidendi, quanto difficilius concipi potuit tantus materiæ peccantis proventus.

Poſtquam autem abdominis integumenta communia & propria diſſecueram, ventriculus præter naturalem magnitudinem & ſitum obtinens atque inflatus, cum impetu prorupit, tanta enim erat ejus moles & magnitudo, ut extrema ejus pars, cum inteſtino duodeno continua ad pelvis usque cavitatem extenſa eſſet, ſuperior vero ejus pars, diaphragma ſuperiora verſus præter naturam reprimeret. Ipſe vero ventriculus adeo erat expanſus, ut 8. circiter aquæ cantharos capere potuiſſet ejusdem cavitas. Aperto tandem ventriculo magnam glutinoſæ iſtiusmodi tenaciſſimæ pituitæ, qualis ſub ſpontaneis & per pharmaca excitatis vomitibus rejecta fuit, reſiduam quantitatem in eo reperi, 3. fere libras civilis ponderis adæquantem.

Ex quibus facile patere arbitror, atrophiæ hujus funeſtæ cauſam eam exſtitiſſe, quod ventriculus tum propter nimiam expanſionem, atque exinde amiſſum tonum, tum propter exſuperantem in eo contentam materiæ corruptæ copiam, jam a longo tempore officio ſuo, ingeſta alimenta digerendi & coquendi non amplius rite functus fuerit,

rit, quin potius cibi in ventriculum ingesti, a saburra illa acido pituitosa mox corrupti fuerint, atque in viscosum illaudabile magma abierint, benignus vero ille succus, qui ex alimentis sub digestione elici atque postea pro nutriendo corpore, sanguineæ massæ denuo affundi debuisset, tandem defecerit.

Quod si tamen in tempore & cum vires adhuc essent integræ, auxilium medicum implorasset patiens, per reiterata & validiora vomitoria & digestionem juvantia medicamenta sanitati omni sine dubio restitui potuisset.

OBSERVATIO CLI.

Dn. D. JOAN. GUILIELM. WIDMANNI.

De

Atrophia lethali ex denegato alimentorum, ex parte digestorum, e ventriculo egressu.

Tertiam atrophiæ, quæ ex denegato ciborum in ventriculum ingestorum, atque ex parte digestorum egressu ortum duxit, speciem annotavi in femina quadam, annos nata 45. nuper demum viro nupta, quæ mox post initum matrimonium in gravissimos dolores abdominis, qui pro colicis haberi potuerant, & quibus abtehac jam sæpius tentata fuit, incidit, per frequentiores & graviores paroxysmos redeuntes, cum vomitibus biliosis fere continuis, adeo quidem ut & esculenta & potulenta nec minus omnia, quæ pro debellando malo ipsi propinerentur, medicamenta revomeret; accedebat nonnunquam

calor febrilis cum subsecuturæ inflammationis internæ metu, qui tamen cessantibus ad tempus hisce symtomatibus adeo urgentibus rursus evanuit, & ægra, magnam licet ex morbo & alimentorum defectu virium jacturam passa, multumque emaciata melius habere cæpit.

Verum enim vero haud diu hæ durarunt induciæ, quin potius elapso saltem unius alteriusve septimanæ intervallo vomitus recrudescerent, cum inflatione ventriculi, & crebrioribus eructationibus, materia, quæ sub vomitibus excernebatur, biliosa erat, coloris ex atro virentis tantaque acrimonia alcalcina infecta, ut vasa cuprea mox eredoret, ejusque color in cœruleum, qualis vitrioli veneris esse solet, mox immutaretur. Superveniebat ardor ventriculi acutissimus, ab omnibus etiam simplicissimis, ipsaque limpidissima aqua, ingestis exacerbatus, nec prius mitigatus, quam rejectis, quæ assumta fuerant cunctis. De erosione itaque ipsius ventriculi substantiæ, ex acrimonia illa humorum vitiosorum ibidem collectorum producta, illiusque inflammatione novus obortus est metus, tantoque major, cum febris accederet lenta quidem, cum deliriis tamen juncta. Frustra adhibitis omnibus, quæ locum habere poterant, medicamentis tam internis quam externis, atque vomitibus continuo urgentibus, postquam per tres fere menses miserrimam vitam degerit patiens, tandem exhausta viribus e vita decessit.

Absconditam & peculiarem quandam pertinacissimi hujus mali causam, sectionem yerelaturam esse, penitus fui persuasus, qua instituta ventriculum præ omnibus rimari sollicitus eram: Visui autem mox & tactui sese offerebat tumor quidam scirrhosus pylorum ventriculi occupans: Priusquam autem probe examinari potuerit hæc affecta ventriculi regio, ventriculus & hepar inter se etiam ibidem

præ-

præter naturam connexa ab incumbente diaphragmate & peritonæo ſeparanda erant, cum quibus partibus arctiſſime cohærebant hæc viſcera. Omentum, ubi pyloro adhæret, ſcirrhoſum quoque & inflammatione, imo gangræna corruptum, ipſiusque ventriculi vaſa & quidem minima præcipue ea, quæ circa dextrum orificium excurrunt, ex inflammatione turgeſcebant, adeoque conſpicua magis reddita erant. Extracto ventriculo aëre inflato & nonnihil materiæ liquidæ continente tentavi, an his ventriculi contentis liber per pylorum ad inteſtinum duodenum pateret tranſitus; verum nonniſi magna adhibita preſſione obtineri ille poterat, & tenui ſaltem rivo contenta liquida profluebant.

Aperto ventriculo tunica ejus interna rugoſa dicta adeo expanſa & explanata erat, ut ne quidem hoc nomen illi amplius conveniret; relictis ſaltem nonnullis levioribus rugarum veſtigiis circa pylorum, ubi locorum etiam inflammatio quædam notanda erat, ab acrimonia humorum corruptorum producta. Orificium autem ipſum ventriculi dextrum, totumque pylori antrum, in ſtatu ſecundum naturam ſatis patens, tumore ſchirroſo parietum membranacearum antri & ipſius etiam valvulæ, adeo conſtrictum & coanguſtatum erat, ut tenuem tubulum anatomicum vix admitteret. Conſtipatio itaque hujus orificii alimentis aſſumtis & in ventriculo ex parte quidam jam digeſtis egreſſum denegavit, atque in inteſtinorum canali ulterius perficiendam chylificationem ſufflaminavit, omnemque ſucci nutritii, pro conſervando corpore tam neceſſariam elaborationem atque proventum intercepit, ſicque tabem induxit. Contenta autem ventriculi diutius juſto retenta præternaturali fermentatione corrupta, & acria reddita, perpetuo ſtimulo ſpaſmos dolorificos continuosque vomi-

vomitus excitarunt, quos etiam motus periſtalticus fibrarum ventriculi per tumorem ſcirrhoſum jam interceptus & repreſſus atque inverſus pertinaciores & vehementiores reddidit. Cauſæ inſtar procatarcticæ hujus mali allegari poſſet, continua inſtrumenti cujusdam ſub textura tæniolarum ex ſerico confectarum, qua olim victum quærebat patiens, contra ventriculi regionem facta alliſio & perpetua corporis inclinatio, quæ etiam notatæ diaphragmatis & peritonæi, ex crebriori attritu productæ accretioni anſam præbuerunt.

Ceterum modo recenſiti tres caſus ſingulares, cum ex iis evidentiſſime eluceſcat, quam variæ & quidem invincibiles poſſint eſſe, in uno ſaltem viſcere hærentes, cauſæ unius ejusdemque morboſi ac plane incurabilis effectus, iniquos in Medicos cenſores ſatis ſuperque convincunt.

Non eſſe in Medico ſemper, relevetur ut æger.
Sæpius & docta plus valet arte malum.



APPEN-

APPENDIX
AD
VOLUMEN SEXTUM
ACTORUM
PHYSICO MEDICORUM
ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM IN GERMANIA.

CONTENTA APPENDICIS.

VIII. Dn.



JO. HARTM. DEGNERI

CIVITAT. NEOMAG. ARCHIATRI ET ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. COLLEGÆ

RELATIO HISTORICA

DE


CASV SINGVLARI

QUO

PER MERCVRIVM SUBLIMATVM IN EMPLASTRO ADPLICATVM

MORS

INDUCTA FUIT.



LECTORI SALUTEM.

Nescio quo fato accidat, *Amice Lector*, ut novum de *venenis* sermonem Tecum instituere cogar.

Cum enim vix a meditatione, Volum. V. Actorum horum inserta, de *veneno dysenterico-bilioso* recessissem, historiamque *morbi* illius *Epidemici* absolvissem, ecce, iterum abripior in aliud *venenum* & *malum Epidemicum*, quod pari pernicie, si non majore, in vitas hominum grassatur, ac modo dicta lues: nimirum *in Circulatorum grassantium veneficos & temerarios ausus*.

Ausus sane humano generi eo perniciosiores atque magis lethiferi, quod non tam a morbo, aut morte naturali, cui omnes mortales obnoxii fiunt, sed a peste longe atrociore, quam omnes homines summopere horrent, nempe a manibus truculentissimis male feriatorum hominum proveniant. His enim si ubique licenter & impune grassari permitteretur, brevi tempore tot incolas e societate humana tollere possent, quot *morbus Epidemicus* vix interficeret, immo *perpetua Reipublicæ pestis* existerent.

Crudele enim hoc genus hominum nemini parcit, nec adultis, nec parvulis, nec ditioribus, nec egentioribus, sed sine discrimine iis omnibus adhibet *violentissima & maxime venenata medicamina*, quæcunque audacia impudens ei suppeditat; adfectosque, qui in ejus manus incidunt, in tam ancipitia

mala præcipitat, ut eadem nec naturæ vires, nec artis auxilium ſuperare valeant; adeo vt ii, quos ipſa mors in morbis naturalibus non ſuperaret, mortifera iſtius manu auferantur.

Vagantur quippe iſti errones per orbem, nullo charactere, niſi ſolo impudentiæ & audaciæ dono ditati. Intrant in urbes, inhiant crumenæ, inſidiantur ſanitati, impugnant vitas famamque civium, necantque immiſericorditer; deinde abeunt, corraſa maleque parta ſecum portantes, nihilque civibus relinquentes, niſi notas male peractæ artis, aut non raro tragœdiarum reliquias.

Verum enim vero hujus furfuris ardeliones non ſolum ſolida artis Medicæ cognitio deficit, ſtudiique phyſici ignariſſimi ſunt, ſed etiam eadem illa inſcitia in illud ipſum malum præcipites feruntur, ut arrogantia turgentes, tamquam ſtrenui artifices, nil niſi medicamenta heroica & potentiora deament, & quidem talia, quæ vehementiſſimis venenis etiamnum accenſentur, qualia ſunt ex. gr. ex *arſenico*, *mercurio ſublimato*, &c. parata.

Hæc tamquam arcana & panaceas ſecum circumferunt, audaci impetu indiſcriminatim iisdem utentes, merasque curas heroicas animo cogitantes, quales nullus Medicorum præſtare poſſit; in quo poſtremo quidem adeo falſi non ſunt, cum horum nemo tam interneciva remedia in uſum adſciſcere debeat.

Cum autem, uti jam diximus, magna illorum hominum ars audacia conſtet, ita nullum non negotium, quodcunque ipſis offertur, in ſe tractandum ſuſcipiunt, etiamſi in illo nullam peritiam nacti ſint; fere ubique aut cum periculo aliorum diſcere, aut periculum facere haud verentur, nihil penſi habentes, ſi conamina ſua infelicem exitum nanciſcantur, nulla conſcientia tacti, etiamſi re peſſime confecta, æger ſub eorum manibus intereat.

Ta-

Tales medici graſſatores, publica animadverſione omnino digni, innoxium proximum ſplendido adparatu interficiunt. Et tamen magna audacia & thraſonica ambitione undique conquirunt ægros, in ignorantiæ victimas ceſſuros, nec eos alieni ſanguinis ſatietas unquam capit. In tecta irreptant, & ſesquipedalibus ac phaleratis verbis & jactantia, ipſis propria ac conſueta, aures hominum implent, ac doloſa fraudulentia ipſis perſuadent, ut ſua ipſis capita credant, quibus nemo prudens ſecandos ungues commiſerit.

Ne tamen craſſa illorum crimina atque delicta publico ſemper lateant, exemplum improbitatis, e variis urbibus, ob artem ſuam internecivam ejecti homuncionis, ut jam omnibus patefaciam atque oſtendam, ad id, caſus infra memorandus me permovit, ſimulque ut omnes Medicos quam maxime adhorter, ut quilibet non tantum ſuo loco curatius attendat ad hoc latrunculorum genus, ſed etiam operam det, quo Magiſtratus curent, ne quid vita civium per tales Circulatores detrimenti patiatur, nimis facile iisdem indulgendo, ne eosdem lethiferos effectus experiantur, quales apud nos cum interitu Nobiliſſimæ Matronæ & ſummo noſtro cum dolore producti fuere.

Prout enim in quavis bene conſtituta civitate nulli chirurgorum licet, ne ullam quidem graviorem operationem chirurgicam ſolus & ſine inſpectione conſtitutorum Medicorum ac Chirurgorum adgredi, ita hoc minus circulatoribus permitti debet, cum triſtes eventus jam ſatis docuerint, a talibus lanionibus homines pecudum inſtar mactari, ſi modo nummos corradere queant.

Fugiendi potius, & in Republica bene conſtituta nullo modo tolerandi ſunt ejusmodi interfectores Medicaſtri & rei Medicæ imperiti; nam ſunt aptiſſima inſtrumenta ad committenda certiſſima homicidia Medica & Chirurgica. Satius

esset naturaliter mori, quam ab ejusmodi tenebrionibus interfici.

Tristissimum violentæ talis mortis exemplum & experimentum, nostris oculis vidimus, & quidem hoc notabilius, quia accidit in Matrona, quæ superioris anni autumno cum dysenteria graviter conflictata, sed feliciter restituta fuerat. Hæc Matrona sinistro quodam fato in venenatas pessimi bipedum manus incidit, quæ eidem loco salutis ipsam mortem intulere.

Facinus autem hoc perpetravit nasutulus iste Empiricus & thraso carnifeca per venenum, quod ipsi familiarissimum fuit, nempe per *Mercurium sublimatum album corrosivum*, quem sub specioso *arcani caustici* titulo, tecte & artificiose sub forma *Emplastri* in variis affectibus adhibere, ægrosque & sanitate & vita privare solitus erat.

At quid non audet truculentissimum hoc hominum genus, quod Circumforaneorum & Agyrtarum nomine venit?

Eo minus vero illud reticendum erat, quod hic temerarius ardelio putabat, se invenisse novam viam, homines clandestino modo & sub titulo artis, e medio tollendi. Hinc speciatim ægerrime tulit, doluitque, lethiferum hoc arcanum, quod sibi soli servaturum putabat, hac occasione patefactum, ipsum vero de vetito suo exercitio & possessione deturbatum esse.

Spero autem, me generi humano officium haud contemnendum præstiturum fore, si tale arcanum venenatarum artium detexero & publicum admonuero, ne plures id cum vitæ sanitatisque jactura, experiantur. Proverbio dicitur: *alieno periculo cautius mercari discimus.*

Et quamquam hæc methodus, *Mercurium sublimatum in forma Emplastri* adplicandi, non nova, sed etiam pridem a chirurgis castrensibus usurpata fuit, tamen vix quisquam crede-

crederet, eo temeritatis hos homines processuros, ut nulla habita ratione, in omnibus fere adfectibus oblatis, vehementissimum hoc venenum adplicent, *neque de modo applicandi neque de dosi satis solliciti*; prout hic circulator egit; specimenque summæ petulantiæ & inscitiæ, quod non nisi triste & exitiosum esse poterat, edidit.

In promptu quidem habent commune refugium atque asylum istiusmodi Medicastri; nam ubi in usum vocarunt aliquod remedium, quod lethalis effectus insecutus est, statim suum, facinus excusare, & ignorantiam suam velare satagunt, perhibentes, *hunc vel illum Medicum medicamen illud laudavisse, aut ipsummet* eodem cum successu *usum esse.*

At insulsi isti homines virtutes & effectus physicos hujusmodi medicaminum, non solummodo ignorant, vel saltem non satis perspectos habent, qua nimirum occasione, in quo adfectu, qua quantitate, quibusve cautelis illa adhiberi, aut quando rejici debeant; Verum etiam illos effectus physicos, remediis proprios, contra apertam veritatem & constantem experientiam negare audent.

Jactant modo & crepant mera miracula, quæ per sua venena edidissent, admodum callide celantes, quanum noxæ per eadem aliis intulerint. Si vero de malis effectibus pariter gloriari ipsis congruum foret, enectorum majorem sane catalogum recensere possent.

Vanissima hinc & ineptissima hæc sunt istorum blateronum effugia, quibus suam ignorantiam & commenta infucare tentant.

Duo cum faciunt idem, non esse idem, ex vulgari proverbio constat. Multum differt peritus & prudens Medicus ab ignaro circulatore, cum scientia, tum doctrina.

Inde enim non sequitur, quod, dum unus aut alter Medicorum ex. gr. *Mercurium sublim* adhibuit, nec tamen is,

cui

cui adhibitus eſt, interiit, ergo quivis ineptus eum adhibere, nec per illum damnum inferre poſſit.

Omnia in genere medicamenta ſunt inſtrumenta, quæ prudentem & cautam periti Medici manum expoſcunt, quo bonum, qui inde expectatur, effectum ſortiantur. Si vero incautus Medicaſter idem medicamentum in auxilium adhibet, idque perverſo tempore & ordine, aut nimia quantitate &c. tunc non tantum omnes Medici, ſed & quilibet, ſenſu communi præditus dicet, etiam *ſimpliciſſimum pharmacum* perverſum & noxium effectum edere debere.

Quid vero de *remediis minus tutis*, minusque probatis, immo de *venenis* expectandum erit, quando ab ignorante Medicaſtro adplicantur, qui ex inopia ſolidioris artis, fallacibus ſolummodo ſuis experimentis nititur, ſicque absque ulla methodo obſervata & ullo judicio crude & craſſe in ſanitatem & vitam humanam graſſatur?

Ut nunc non dicam ex. gr. de *opii* quantitate, quanta differentia deprehendatur, qualisque effectus ſperandus ſit, ſi cui, loco *trium* aut *quatuor granorum*, *triginta, quadraginta* aut plura propinentur.

Sed adhuc aliud remedium lethiferum in medium producam, quod talibus erronibus & Chirurgis caſtrenſibus familiare quoque eſt, nempe *Arſenicum*, quod ſub varia forma, modo pulveris, modo Tincturæ, modo pilularum &c. ægris adverſus febres intermittentes aliaque mala propinare ſatagunt. At ſi ex magno numero laborantium, unus vel alter, naturæ robore iſtud venenum ſuperat, aut, ut iſti dicunt, ſanatur, quod non contra eo intereunt?

De *Arſenico, externe* tantummodo *adplicato*, ante aliquot annos mirum vidi effectum; namque ruſtici quidam præparant ex Arſenico *decoctum*, eoque corpus lavant; mirifice illud contra *ſcabiem* facere, prædicantes. Tale decoctum duo milites a quadam anicula accipiebant, eoque ſcabiem ablue-

abluebant; ſcabies quidem hac ablutione evanuit, ſed utriusque genitalia tanta inflammatio atque intumeſcentia invaſit, ut adſpectu horrendum eſſet, quibus conjuncti erant intolerabiles dolores, vehemens febris, vigiliæ, ſitis &c. totusque locus adfectus brevi tempore tantam contrahebat nigredinem gangrænoſam, ut de perfecto ſphacelo jam ſollicitus eſſem. Tandem vero multa adhibita cura ſeparatio ſphacelatarum partium ſuccedebat, & laborantes paulatim reſtituebantur.

Specificus autem hic editus in iſtis partibus effectus Arſenici, externe adplicati, vel ideo magis notatu dignus exiſtit, quod nemo ad hoc venenum respexerit, cum iſtæ partes hoc decocto ablutæ non fuerint, nec dubium eſt, quin hi milites *cauſa* quadam *occulta*, ut quidam Medici, læſionum & mortis rationes ignorantes, loqui amant, interituri fuiſſent; ſi idem decoctum liberaliore quantitate adhibuiſſent.

Vices vero eorum dolendæ ſunt, quibus accidit, ut in tam immites carnifices incidant; Nam etiamſi vitæ periculum effugiunt, tamen ſanitatem admodum labefactata m referunt, neſcientes ſæpius, unde hoc incommodum illis natum ſit.

Et ſi caſus, de quo hic agimus, eveniſſet apud inopes, aut obſcuro loco natos, ad quos Medicus vocatus non eſſet, adhuc tenebris obtectus lateret, atque ignoraretur; quæ fuit opinio & expectatio ipſius circumforanei, quod ex ipſius adhibito interdicto, *de non arceſſendo Medico*, ſatis ſuperque patet; at, quia ſtupidus hic Matronam tractabat, quæ ejus arti non amplius fidebat, fieri nequibat, quin horibile ejus arcanum divulgaretur.

Jam quidem in ipſam ægram aliquis culpam conjicere poſſet, dicens: Hæc Matrona admodum imprudenter egit, dum inconſulto Medico & clam & incertæ fidei homini ſalutem credebat, inprimis cum illa per complures annos meo

consilio usa, & in supra dictæ dysenteriæ cura adhibita diligentia mea ipsi adhuc novissime probata fuisset; Verum enim vero non tantum pudor sexui seqviori propius in causa fvit, cur locum adfectum a viro noluerit inspici, & initio ne quidem ab isto circulatore, sed etiam res fere inaudita extitit, quempiam per emplastrum fuisse extinctum; itaque hæc Matrona de adplicando emplastro nihil mali suspicari potuit, sed opinione vulgari inducta, id quod externe adhibetur, interne noxam adferre non posse, credidit. Et hinc etiam adeo obstupuit, cum ego ad eam vocatus, statim, antequam mihi emplastri adplicatio indicata fuisset, pronunciarem, ipsi venenum datum esse.

Erronea vulgo opinio apud rei ignaros obtinet, id quod externe per emplastrum adhibetur, in corpus non penetrare, nec in eodem male operari posse. At si paulo curatius animum attendamus ad hanc positionem, inde sequeretur, bonum quoque emplastrum nihil utile præstare posse, & consequenter omnia emplastra esse inefficacia & supervacanea.

Cum vero quotidiano usu constet, emplastrorum ingredientia se per poros cutis in corpus insinuare, necessario bonum aut malum præstant effectum, pro salutari aut noxia ingredientium facultate; testante hoc solo *emplastro vesicatorio*, quod, si nimia quantitate, aut nimis sæpe adplicatum fuit, mictum cruentum insecutum fuisse, observationes docent.

Remedia itaque quædam externe adplicata eundem sæpius edunt effectum, quem interne adhibita; hac sola intercedente differentia, quod ea, quæ intro adsumuntur, minori dosi, & quæ externe in usum vocantur, majori quantitate sumi debeant, ut aut bonum aut malum effectum sistant; Nec quisquam sanæ mentis inficias ibit, quin etiam exter-

externe tantum veneni in aliquo adplicari possit, quantum ad eum enecandum sufficiat.

In specie vero de *omni mercurio*: sive vulgaris, currens, sive quocunque modo præparatus sit, experientia jam dudum notum est Medicis, ipsum, cuicunque corporis parti *externe* adhibeatur, admodum celeriter per poros se corpori insinuare, inque eo efficacem se sistere. Adplicantur ex. gr. alicui modo externe *tria* vel *quatuor grana Mercurii sublimati* simul & una vice, quacunque corporis parte quis velit, certe, eum non sine mago incommodo feret, quamvis eo non statim morietur; Adplicantur autem alicui etiam externe & quocunque loco placuerit, una, vel duabus, vel tribus vicibus, se invicem subsequentibus, ut noster circulator fecit, *triginta*, *quadraginta* aut *plura* ejusdem *Mercurii sublimati grana tunc patebit*, *an non certe tantum adplicari queat*, *ut inevitabilis inde mors secutura sit?*

Cautissime itaque in exhibenda & augenda dosi *Mercurii sublimati* procedendum esse, omnes consentiunt Medici. Experientia enim abunde constat, quanta damna minus providæ externæ adplicationes *mercurialium remediorum suspectorum* concitaverint. Et extant observationes, ubi perpauca & *vix quinque* vel *sex grana Mercurii subl.* externe tantum adplicata, faucium & gingivarum insignem tumorem, & *largam salivationem* excitarunt. vid. *Commerc. litt. Ann. 1732. pag. 246.*

Rei etiam cardo quam maxime in *nostro casu* vertitur in *quantitate Mercurii sublimati*, quam circulator adhibuit; Ipse circulator hoc animadvertens in Apologia sua ad Ampliss. Magistratus *pondus Mercurii sublimati* in Emplastris adhibiti *definire aut confiteri nunquam ausus* est; contra, quovis modo, & quantum potuit, illud obscurare & diminuere, eoque, si fieri posset, malum suum factum obtegere, conatus est; semper enim de *duobus tantum Emplastris* corrosivis men-

tionem fecit, & *tertium* malitiose celavit; Ac præterea contra veritatem prætendit, *primum Emplastrum causticum* nullum effectum edidisse; cum tamen *tria* ejusmodi *emplastra* successive adhibuerit, quorum quidem *primum* non in adfecto loco, at infra eundem profundam corrosionem induxit, & sic certe vires suas in corpore ægræ etiam exseruit.

Variatio vero & inconstantia sermonis circulatorem suspectum reddidit, ob mendacium autem præsumitur dolus apertus, præsertim si commodum inde captare putet mendax.

Si circulator bona fide egisset, & si aquam sibi hærere non sensisset, certe non tergiversatus esset, veram & præcisam Mercurii sublimati Matronæ adhibiti quantitatem profiteri.

Si divinando rem adsequi licet, circulator *primum Emplastrum corrosivum* famulæ tradens tanta Mercurii sublimati quantitate conspersisse videtur, quanta ab ipso ad absoluendam curam sufficere putabatur, quia credebat, illud extra urbem Ottmarsiam missum iri. Cum vero illud effectum quidem, sed non in justo loco ediderit, ipseque insuper *adhuc duo* caustica adplicuerit; ex eo utique statuendum videtur, eum *triplo majorem* dosin, quam alias solitus erat, huic Matronæ adhibuisse.

Immo ex historia morbi, ubi de Emplastris, eorum magnitudine, & modo inspergendi Mercurium subl. ut & de latitudine loci adfecti agitur, concludere licet, *ultra dimidium scrupulum Mercurii sublimati* unicuique emplastro additum fuisse. Dum enim Circulator Mercurium sublimatum non *ad pondus, sed præterpropter*, adstante famula, emplastro adspersit, impossibile videtur, pondus illud accurate definire. Nam ita procedendo tam *integrum*, quam *dimidium scrupulum* emplastro inspergere potuit, siquidem oculus, in dijudican-

dicanda re tam ponderosa, facile fallere potest, & sic errore ponderis casus insigniter mutatur.

Immo ex supra dictis colligendum videtur, ipsum circulatorum veram & præcisam quantitatem Mercurii subl. qu m Matronæ nostræ adplicaverat, nec scire, nec scire posse, immo forsan ad hanc rem ne quidem attendisse cum enim accusatus, ad se purgandum attulerit, se nullibi legisse, tale causticum ejusmodi effectus salivationis funestos edere posse. Et præterea non erubuit, in supplice quodam libello publice coram Amplissimo Magistratu declarare, ***Mercurium sublimatum sine metu & periculo externe posse adhiberi, nec, ut bonus sequatur effectus, quantitatem justam determinandam, sed eam artifici relinquendam*** esse, ut ipsi liceat adhibere, quantum libeat;

Ex eo sane, luce meridiana clarius patet, istum in nostro casu ***Mercurium sublimatum in indeterminata quantitate & nulla ponderis habita ratione*** adhibuisse.

Homini vero talia agenti vel profitenti nec sinciput nec occiput sanum esse videtur. Hoc ipso enim non solum indeterminatæ quantitatis adplicationem Mercurii subl. sed etiam illatæ mortis se ipsum convictum esse, tacite profitetur, cum Mercurium subl. nostræ Matronæ in tanta copia adhibere non veritus fuerit, ut exinde producta mala nec natura nec arte amplius superari potuerint.

Jam vero felices illi dicendi sunt, qui licet ipsis mortiferum hoc virus adhibuit, truculento ejus ausu extincti non fuere. Fati enim beneficio, non Empirici cura illos evasisse constat.

Namque dum coecus & audax hic Empiricus omnino physicum & specificum effectum sui veneni ignoravit, & doseos convenientis inscius, tantam ejus copiam adhibuit, quantam cœcus impetus ei suggerebat, non potuit non fieri,

quin omnes adfectos ægrosque, apud quos illud in usum vocavit, in summum vitæ discrimen adduceret.

Est vero *Mercurius sublimatus* productum chemicum acidissimum, quod omnibus Medicis notum est; Compositum est ex *mercurio vivo* & *sale communi*; utrumque, nempe Mercurius vivus & sal commune per se & separatim nullam corrosionem excitant, & notabili quantitate intra corpus humanum adsumi possunt; sed si certa quantitate una mixta, & violentia ignis conjuncta atque sublimata fuerint, ex iis terribile fit *venenum*, quod omnium rerum venenatarum potentissimum, penetrantissimum, perniciosissimum, & funestissimum habetur, arsenico par, vel ut nonnulli credunt, violentius; Estque tam vehemens *corrosivum* & *causticum*, ut in regno animali, suo contactu, sive foris adplicetur, sive intra corpus sumatur, omnia corrodat, destruat, enecet, corrumpat, putrefaciat, ac instar *ignis urentis* ad ossa usque adurat, eique inhibendo nihil fere satis efficax sit.

Sunt quidem, qui arbitrantur, *Mercurium sublimatum* corpori humano externe adhibitum, ubi in aliquo loco Escharam fecerit, in *corpore reviviscere*, ita, ut erodentem suam acrimoniam amittat, ipse vero denuo in Mercurium vivum ab eat; ac proinde existimant, eum tunc facta eschara, & deposita in ea acrimonia, corpori non amplius, aut saltem non multum nocere posse.

At hæc ratiocinia sunt eorum, qui artis chemicæ expertes, processus chemicos ignorant; quos si nossent, vidissentque, quanta vi ignis opus sit, ut spiritus salis & Mercurius intime uniantur, atque hac ratione Mercurius sublimatus præparetur, certe etiam facile intelligerent, tam facili modo, & tam leni calore, qualis in corpore humano obtinet, hoc compositum non dissolvi, nec in priores formas redigi posse.

Hoc

Hoc ſi extra corpus humanum facere cui adlibuerit, illi non tantum additamentis opus erit, quæ in corpore noſtro ſemper & tuto adhiberi nequeunt, verum etiam tanta vehementia ignis requiritur, quæ citius hominem exuſtura, quam Mercurium ſublimatum ſuis ſalibus corroſivis liberatura, & in formam currentem redactura foret. Ita ut *Mercurius ſublimatus*, ubicunque etiam corpori noſtro adplicatus vel adſumtus ſit, nunquam ſe a ſuis particulis cauſticis liberari ſinat, ſed *maneat Mercurius ſublimatus*, & quamdiu in corpore noſtro eſt, uti talis operetur.

Eius vero *qualitates & effectus* phyſici ut & *pathemata* eum ſequentia, quando incaute & imperite, aut in notabili quadam quantitate, licet ſolum externe, exhibetur, experientia teſte hæc ſunt: Ut cryſtalli ſeu ſpicula ejus cauſtica, ſalina, tamquam totidem *cultelli*. effectu phyſico omnes corporis partes ſolidas earumque texturam & membranas, contactu ſuo non ſolum *vulnerent*, *diſcindant*, *corrodant*, & in *Eſcharam* redigant, ut gangræneſcant, ſed etiam non diu in eadem parte hæreant, verum ſemet ſtatim in *poros corporis* & *vaſorum ſanguiferorum extremitates* inſinuent, & foris introrſum penetrent, ſicque per *univerſam ſanguinis & humorum maſſam* tranſeant, *eos fundant*, *colliquent* ac *deſtruant*; donec tandem in *partibus & tunicis glanduloſo-nervoſis* & ſpeciatim in *faucibus & ore* hærentia, itidem excitata *ſalivatione*, exitum quærant atque inveniant.

Hoc enim omnis *Mercurius* & conſequenter etiam Mercurius ſublim. peculiare immo proprium & ſpecificum habet, ut præcipue *fauces* cum *larynge*, *linguam*, *palatum & gingivas* petat & adficiat, & in hic *evacuationem ſalivatoriam* excitet.

In omnibus vero corporis partibus, quaſcunque Mercurius ſublimatus tranſit, *cauſtici effectus* & *ſequelas* relinquit.

Mox

Mox enim hinc inde *vasis capillaribus* tenaciter adhæ- rescit, sicque *sanguinis* in suis vasis *stagnationes*, *coagulationes*, *corruptiones & putrefactiones* inducit. Inprimis autem in trajectu suo *partes nervosas* vehementer adgreditur, ut e corrosione illius non solum *intolerabiles dolores* excitentur, verum etiam *spasmi* intensi & *convulsiones* perfectæ insequantur. Hic comites adsunt *intestinorum* ac *viscerum erosiones*, *inflammationes*, *interni angores*, *ardores graves*, *cardialgiæ*, *nauseæ*, *vomitus*, *suffocativæ faucium & colli inflationes & inflammationes*, *ulcera oris & laryngum profunda*, *dentium vacillatio*, &c. &c.

Tandem hoc virus usque ad *membranas cerebri & ossium* penetrat, atque etiam ibidem ingentes cruciatus, *vigilias* continuas, *mentis aberrationes*, *motuum defectus*, *virium prostrationem*, aliaque mala concitat; cujusmodi symptomata, cum maxime periculosa & ominosa existunt, tum etiam re ipsa in partibus læsis, erosis, inflammatis & a Mercurio sublimato obsessis, actuales oriuntur *gangrenæ* & *sphacelationes*; quibus tandem æger succumbit, & moritur.

Omnia vero *hæc phænomena* ita *in nostra Matrona*, quæ ante *Mercurii sublim.* adplicationem optime valebat, *effectu* & *necessitate physica evenisse*, ipsa morbi historia clare ostendit.

Mercurius enim *sublimatus* in hac Matrona a circumforaneo valde *enormi* & *indefinita quantitate* externe in femore adplicatus fuit: Hoc facto statim corpori adhæsit, & in duobus diversis locis *partes corrosit*, *erosit* ac *magnum vulnus*, & supra hoc *escharam* cum *tumore* & *inflammatione* adeo ingenti excitavit, ut etiam tumor cum eschara post ipsum ægræ decessum, atque adeo post intervallum tot dierum, referente chirurgo, duorum pugnorum magnitudinem adhuc æquaverit: Atque ita non tantum *intolerabiles cruciatus* concitavit, sed etiam ulterius *in corpus* & *sanguinis massam* pene-

penetravit, ac *genus nervosum* adflixit, quo ingentes *spasmi & convulsiones* universales oborti sunt.

Sic progrediens in interiora, inprimis *in stomachum & fauces* se insinuavit, ibique tot turbarum origo extitit, nempe *cardialgiæ, nauseæ, vomitus, angustiarum & ardoris summi, tumoris, & inflammationis in ore & faucibus, inflationis in capite & collo, difficultatis loquendi, & deglutiendi, vacillationis dentium, salivationis immodicæ, salivæ primo limpidæ, deinceps cruentæ, hæmorrhagiæ faucium & oris notabilis, exulcerationis & separationis in partibus solidis, denudationis in ossibus & maxillis, lapsus dentium spontanei, oris & fecum alvinarum fœtoris summi* &c.

Tandem Mercurius sublimatus in ipsas *membranas cerebri* penetravit, ibique vim suam exseruit, atque insignes *capitis circa tempora dolores, vigilias continuas, abalienationes mentis & deliria* leviora intulit. Hæc secuta est *summa virium & pulsus imminutio & cessatio, angores animi, sudor frigidus*, utpote indicium gangrænæ & *sphaceli* in partibus internis, quæ omnia postremo *mors* excepit.

Immo ipsum hoc venenum, postquam *ægram vita* jam *privaverat,* nondum grassari cessabat, verum ulterius intus operari pergebat, quod *post* Matronæ *obitum* vel inde liquebat, dum *labia oris nigra, palpebræ rubræ & protuberantes* seu *inflammatæ* evadebant, & deinde subsidebant; denique etiam *nasus* in extremitatibus suis post aliquot dies adhuc rubebat, tanquam ex inflammatione.

In his vero omnibus *Mercurii sublimati* vestigia quasi de die in diem & quoties ab initio adplicationis usque ad finem tragœdiæ scenam mutaverit, adeo clare atque distincte ex ipso effectu physico legere possumus, ut non putem, quempiam rei peritum de veritate facti dubitaturum,

vixque credo, notabilius certiusve hujus rei exemplum extare posse.

Inde etiam conjicere licet, quam misere ***corpus interne maceratum & exesum*** fuerit; Nam quemadmodum e phænomenis conspeximus, corpus externe quam miserrime habitum fuisse, ita etiam, prout ex perpessis doloribus colligere licet dubio procul interne longe miserius constitutum fuit; id quod clarius deprehendi potuisset, si ejusdem sectio concessa fuisset.

Cum jam luce meridiana clarius adpareat, quod adplicationem ***Mercurii sublimati*** omnia illa symptomata presso pede insecuta sint, ex eo etiam jam a posteriori decernere possumus, Mercurium tanta quantitate adplicatum & ab exterioribus partibus ad interiora, & forte in ipsum usque cerebrum adactum esse, ut humanæ artis non fuerit, ullo remedio aut ope ægram levare, aut e mortis periculo servare; Non enim est in potestate ullius Medici ***mercurium sublimatum***, semel intra corpus ingressum, & partibus solidis infixum, quocunque remedio, arti cognito, sive purgans illud sit, sive decoctum, sive quidquam aliud, satis corrigere & obtundere, & salivationem ab illo excitatam pro lubitu moderari ac mitigare, hocque modo Mercurium adeo commodo & facili modo e corpore expellere, ne ægri periculum mortis incurrant. Hoc arti non datur, ejusque rationes ex supra dictis abunde patent.

Unicum auxilium, unde aliqua spes secundum principia physico-chemica adparere videretur, forte petendum esset a remediis ***alcalinis***, utpote quæ acido corrosivo directe opposita sunt; si nimirum ***Mercurius sublimat.*** iisdem alcalinis immediate contingi, atque ea simul ita sufficienter adplicari possent, ut ope illorum alcalinorum ***Mercurii sublimati*** vis acida & corrosiva obtunderetur, enervaretur,

tur, ſaturaretur, & quaſi mortificaretur, ut hoc verbo utar.

Verum talia remedia nullo pacto cum ſucceſſu adhiberi poſſunt, niſi ſtatim primis horis poſt adſumtum aut adplicatum in corpore *Mercurium ſublimat.* illi opponantur, antequam in partes ſolidas & maſſam ſanguinis tranſeat, ibique ſedem figat. Si vero id non a primis horis poſt adplicatum *Mercurium ſublimat.* fiat, ſed tunc demum cum jam firmiter tenaciterque in corpore hæret, fieri nequit, ut ad coërcendum *Mercurium ſublimat.* tantum ex alcalinis remediis per circulum ſanguinis & humorum ad locum adfectum devehatur, quantum neceſſe eſt ad tollendam infringendamque ejus vim corroſivam, aut ad reddendum eundem innoxium.

Ita etiam in noſtro caſu ego eo demum tempore arceſſitus fui, quo *Mercurius ſublim.* ſe per totum corpus diffuderat, & jam partibus ſolidis infixus adhæſerat, in quibus non alium niſi lente progredientem, magis magisque tamen invaleſcentem effectum, tandemque lethalem exſerere poterat.

Et licet jam aliquot dies citius, cum nimirum Mercurius ſublim. in corpore efficaciam ſuam exſerere jam inciperet, vocatus fuiſſem, tamen non opinor, in artis poteſtate fuiſſe, *mercurium* e partibus corporis ſolidis & latifundio humorum eliminare, poſtquam ſeſe penitius in interiora corporis & maſſam ſanguinis jamjam inſinuaverat.

Hoc ſtatim, ægra explorata, quibusvis declaravi, qui e prognoſtico meo ſcire cupiebant, quem exitum res eſſet habitura? Nempe ipſam in magno verſari periculo, inprimis cum neſcirem, qua proprie quantitate *mercurius ſublim.* adhibitus ſit, nam quantitati hujus mercurii *eventum & ef-*

fectus morbi reſponſuros : Niſi enim nimia quantitate adplicatus fuerit ita, ut natura adhuc auxilii capax, eum e corpore expellere, atque illatas læſiones recuperare valeat, ſpem aliquam reſtitutionis ſupereſſe ; At ſi in quantitate modus ſervatus non ſit, eum non amplius e corpore expelli poſſe, quin potius nimis profunde in viſcera, & partes ſolidas deſcendere eaque deſtruere debeat ; Ideoque Naturam tot damna illata reparare non poſſe, & conſequenter nimiam veneni hujus quantitatem exitium neceſſario inferre.

Extant etiam hujus rei hinc inde apud ſcriptores multæ obſervationes, quæ non ſolum virulentiam & efficaciam *mercurii ſublim.* lethalem abunde teſtantur ; ſed & ubi a mercurio, quocunque fere modo præparato, aut etiam quacunque ſub methodo, incongrue & copioſe nimis adplicato, ſalivatio lethalis inſecuta fuerit ; Eaque ſingula multis conſentientibus ſcriptoribus & exemplis firmari & adſtrui poſſent, ſi neceſſitas exigeret.

Iis autem ad nimiam prolixitatem evitandam ſuperſedens, caſum noſtrum prudentibus & integritatis atque doctrinæ fama claris Viris & integro Collegio Medico examinandum & dijudicandum propoſui ; Non quidem eam ob cauſam, ac ſi Ampliſſ. Magiſtratus ac Proceres noſtri de homicidio ab circulatore admiſſo, dubitaverint, atque controverſia nata fuiſſet, quæ Reſponſo & Judicio Facultatis alicujus Medicæ decidenda fuiſſet ! Minime gentium ; totum factum vix dubitationi obnoxium erat ; verum eum in finem doctiſſimorum Virorum ingenii lanci caſum hunc adpenſum volui, ut illi, quos rei ordo latet, & hinc de uno vel altero, quod ab aliis fando acceperunt, judicium ferre nequeunt, videant, quid ſentire debeant.

Dan-

Dantur enim non raro invidi & malevoli, qui plus adfectibus, quam veritate, ducibus utuntur, quique, cui invident, ei etiam male cupiunt; Talium immodestiæ repagulum objiciendum, ostendendumque est, fas verumque nunquam lucem subterfugere.

Impulit me & alia ratio: palam est Chirurgos, licet vires medicamentorum parum aut non calleant, tamen maxime pronos esse in tam suspecta & vehementia remedia. Ut ergo & his, & quibusvis aliis ex hoc tristi eventu periculosus illorum medicaminum usus innotescat, de eorum effectu luctuosum hoc specimen producendum esse duxi, quo discant, tutius esse ut tam *periculosa remedia*, ob noxas & pericula prope continuo inde timenda *e foro medico & chirurgico prorsus proscribantur,* quam ægri in tanta discrimina præcipites fiant. Haud unquam enim bono animo in ejus usu esse possumus, & ingenue fateor, me in tota mea praxi, licet satis ampla, ne unico quidem ejus grano, sive externe, sive interne, unquam usum fuisse.

Gravissimum & capitale periculum est; luditur de corio humano, occiditur homo, non moritur. Vulgo enim *occidisse dicitur, qui mortis præbuit causam:* Et *homicidii crimen est, hominis peccare salute.*

En vero *morbi historiam*, seu ipsum *factum medicastri*, in actu illicito deprehensi, quo *Auctor mortis*, huic Matronæ illatæ, coarguitur; & *suffragante Illustri Facultate medica Halensi* convincitur.

HISTORIA MORBI.

Matrona Nobilis AGNITA ELISABETA DE BALVEREN, ex Nobili Familia DE HEVCKELOM, circiter XLVII. annos nata, optima utens valetudine, querebatur, ante X. circiter annos, januæ carpenti humerum ſuum & femur dextrum alliſiſſe, & ex eo tempore dolorem aliquem in regione muſculorum, femur moventium, ſenſiſſe, quo impediretur, ne in idem latus cubare poſſet, ſeque ſucceſſu temporis duritiem ibi percepiſſe, quæ vix duos digitos latitudine, unum longitudine ſuperavit, in inferiore parte aliquantum acuminata, non admodum dura; at extrinſecus nihil adparebat, tantummodo dolebat pars affecta, ſi eidem incumbebat. Diverſos Medicos conſuluerat, multaque medicamenta adhibuerat, ſed fruſtra. Tandem adfectum hunc circumforaneo chirurgo, nomine J. H. FRANCKEN, qui huc venerat, per famulam propoſuit, ac ſi illo adfectu ipſius famulæ matertera laboraret, quæ *Ottmarſiæ* habitaret; famula interrogabat, num huic adfectui mederi poſſet? id quod artifex ſtatim adfirmabat, ſe pollere; hinc famula porro ab eo petebat, ut ipſi remedia dare vellet, materteræ ſuæ transmittenda. Quo facto ei exhibebat *Emplaſtrum cauſticum*, chartæ involutum, magdaleonem emplaſtri digeſtivi, capſulam aliquot pilulis inſtructam, lagenulam, ita dicto cardiaco repletam, & inſuper alias quatuor lagenulas, addito præcepto; ut *emplaſtrum cauſticum* loco dolenti adplicaret; Et ſi hoc effectum ſuum edidiſſet, tunc illud removeret, & de magdaleone emplaſtri digeſtivi alia emplaſtra faceret, hæcque adfecto loco quotidie imponeret, pollicitus, eo temporis ſpatio, quo emplaſtrum hoc digeſtivum conſumeret, ipſam plane ſanatum iri. Et

ideo

ideo tantum emplaſtri digeſtivi ſuppeditabat, quo, dum ægra extra Neomagum habitaret, ipſi ſufficeret ad plenam perſanationem, intra ſeptem hebdomadas abſolvendam: de pilulis quotidie tres deglutiret veſperi, de cardiaco omni mane dimidium digitalis in potu Coffée ſumeret, & id, quod ſingula quatuor reliquarum lagenularum continebat, miſceret cum quatuor cochlearibus vini aduſti, atque hac mixtura calefacta ſingulis diebus veſpere lumbos & coxas liniret, ſed ne locum adfectum tangeret.

Emplaſtrum ergo *cauſticum* die Saturni, qui erat *IV. Maji 1737.* veſperi hora decima adplicabatur, ſed emplaſtrum, quod noctu receſſerat, rodendo magnum vulnus infra locum adfectum faciebat.

Aegra de hoc eventu ſollicita, famula die ſolis *V. Maji* ſub veſperam circumforaneum adiit, dicens, materteram ſuam in loco eſſe, & ſe ipſi heſterno veſpere emplaſtrum impoſuiſſe, ſed id a loco receſſiſſe, interrogans num hoc noxam adferre poſſet? Circulator negabat, e contra dicens, bonum eſſe. Atque illi tradebat *alterum Emplaſtrum cauſticum*, apertum palmæ ipſius impoſitum, præcipiens, ut illud circumſpecte ferret, & loco adfecto accurate adplicaret.

Hoc *alterum Emplaſtrum cauſticum* famula, ne noctu denuo a loco recederet, die Lunæ *VI. Maji* matutino tempore adplicavit, eoque veſperi remoto, emplaſtrum de magdaleone adhibuit.

Quo facto, ægra die Martis, *VII. Maji*, in femore tantum dolorem ſenſit, ut juberet famulam redire ad circulatorem, eique hoc indicare; Iſte ſuſpicans, ægram in urbe habitare, petebat, ut ſibi liceret, ipſam inviſere, quia in obſcuro non poſſet rem tractare.

Poſtquam famula redux hoc Dominæ retulerat, ea circulatori ipſam conveniendi veniam dabat, qui eadem veſpera hora decima adveniens, inſpecto loco adfecto, menſæ imponebat emplaſtrum, huicque *pulverem album*, e lagenula quadam vitrea deſumtum, adſpergebat, & ſic ipſe *tertium Emplaſtrum cauſticum* femori adplicabat, injungens, ut hoc non ante horam quartam matutinam diei Mercurii *VIII. Maji*, removerent, commendans, ut

ut largam potus Coffe quantitatem ægra biberet, nec in lectum ſe componeret, ſubridens addebat, ipſam a ſomno non oppreſſum iri. Abiens famulæ repræſentabat, Dominam quingentis florenis non redimere poſſe utilitatem inde orituram, quod ipſe inſpexerit malum, adeſſe *cancrum*; Matrona hoc deinde audiens circulatori dicebat, cancrum adeſſe non poſſe, nec Medicos pro cancro affectum ſuum unquam habuiſſe: ad hæc circulator regerebat; Medicos rem non noſſe nec intelligere, ſeſe ipſam ſanaturum. Modo eſchara ſeparata fuerit, Dominam poſſe curru vehi, inviſentes excipere, omniaque agere, adfectum nulla in re impedimento futurum, eamque illo magdaleone emplaſtri vulnus claudere poſſe.

Interea *adhibito* ultimo ſeu *tertio Emplaſtro cauſtico*, Matrona non tantum adeo intolerabili dolore excruciabatur, ut tamquam alienata mente per conclave diſcurreret, & alta voce clamaret, ſed etiam per totum diem Mercurii, *VIII. Maji* usque ad veſperam *ſpaſmis & convulſionibus univerſalibus* ad ipſas pedum & manuum extremitates usque, viſu horrendis, invaderetur.

Die Jovis *IX. Maji* conatus vomendi ſuperveniebant, immo *actuales vomitus* ſequebantur.

Die Veneris & Saturni, *X. & XI. Maji fauces valde intumebant.*

Hæc omnia Matrona circulatori, illam inviſenti, exponebat, & ipſe rem ita ſe habere videbat, ſed regerebat Dominæ, nihil mali hæc portendere, tantummodo vehementer illi commendabat, ne omnino admitteret Medicum, & diſcedens famulæ injungebat, ut ipſum moneret, ſi dentes inciperent vacillare; Interea fauces adeo intumeſcebant, ut noctu inter XI. & XII. *Maji* ægra crederet, ſe ſuffocatum iri.

Die Solis XII. *Maji* ego ante meridiem advocor, omnium, quæ a circulatore acta eſſent, & ſupra relata ſunt, in eum diem ignarus. Vidi externe *caput* & *collum* valde *tumens*, *linguam rigentem, & tumeſcentem*, *faucesque* ſic *inflammatas*, ut ægra ſumma *cum difficultate loqueretur*, vel *deglutiret*: *dentes vacillabant*, & *oris fœtor* idem erat, qui ſolet eſſe in iis, qui Mercurialibus uſi ſunt. Rem miratus interrogabam Matronam, an ali-

quo

quo Medicamento uſa eſſet? Ad quæ poſt multas ambages, & poſtquam ipſi rotunde declaraveram, ipſi venenum datum eſſe, tandem fatebatur, ſe ſex pilulas, ſingulo veſpere tres, a circulatore traditas ſumſiſſe, ſed ſimul artificem excuſans, hæc phænomena inde oriri non poſſe, quia famula vna vice novem de iſtis pilulis ſine ullo damno deglutiviſſet. Cum ulterius inſtarem, Matrona tandem adplicationem *Emplaſtri cauſtici* confitebatur. Inſpecto loco adfecto inveniebam in muſculo femoris moventium primo, *Eſcharam* integra manu latam, & ad contactum duorum pugnorum craſſitiem æquantem, & infra eſcharam aliud *vulnus* apertum eadem latitudine, & circa locum adfectum *ingentem* cum *intumeſcentia inflammationem.*

Cum jam neſcirem, quo cauſtico illa eſchara inducta fuerit, & mihi hac vice tantum pauca quædam, ſed non tota ſcena relata eſſet, ſuſpicabar, illa ſalivationis ſymptomata eſſe ab illis Pilulis, quas putabam Mercuriales fuiſſe. Hinc ipſi præſcripſi *purgans* ex *reſinæ jalapæ* granis XII. in Spiritus vini drachmis duabus cum ſemiſſe ſolutæ, quod etiam V. vel VI. ſedes procurabat, ſine ullo levamine. Et quia Matrona difficillime deglutiebat, porro interne nihil aliud propinare poteram, quam *Eſſentiæ pimpinellæ albæ* unicam unciam cum dimidia, cujus ſingulis trihoriis XL. vel L. guttas, cum *Syrupo violarum* mixtas, guttatim hauriret; inſuper injungebam, ut os & fauces aſſidue gargarizaret *lacte dulci* tepefacto ſolo, vel cum *ficubus* cocto, conjuncto regimine leni diaphoretico; ſalivam quantum poſſet projiceret; quoad diætam *juſcula carnium gelatinoſa, pinguia, gelatinam cornu cervi, lacticinia, hordeum tenuiter coctum &c.*

Interea circulator hoc meridie me adiit, ad conſtituendum diem pro operatione herniæ, qua occaſione iſtum interrogabam, quid in Matrona adhibuiſſet? adfirmabat in pilulis ſuis nullum fuiſſe Mercurium; ſed *Emplaſtrum* Matronæ adplicatum factum eſſe ex *Mercurio ſublimato corroſivo*, adfectumque Matronæ, pro ſua ſententia, eſſe *Cancrum*, qui *hoc cauſtico*, tanquam ſupremo remedio, eſſet curandus, addens, fieri non poſſe, ut ſymptomata, quæ ipſi commemorabam, in Matrona adeſſe, a *cauſtico hoc ſuo* excitentur, cum idem ſæpius & in aliis adplicuiſſet, nec unquam tale quid inde expertus eſſet, cum cauſticum hoc NB. *circiter dimidio ſcru-*

pulo Mercurii sublimati constet. Sed ego ipsi non solum possibilitatem rei exemplis, ex aliis scriptoribus petitis, sed & symtomata Emplastri sui applicationem insecuta rem confirmare, ostendebam. Ad quæ nihil reponere habebat, quam quod diceret: *ipsa me decepit & ego ipsam decepi*, atque adeo *alter alterum decepit.*

Interea die Lunæ; XIIItio *Maii* intumescentia faucium, omniaque supra dicta symptomata continuabant, ut propemodum nihil liquidi ægra absorbere valeret; adhæc conquerebatur, se tantum *ardorem in ore & faucibus* sentire, ac si *candentes prunæ* illis inessent; in usu medicamentorum uti priore die pergebatur.

Die Martis, qui erat XIVtus *Maii* miserrime laborabat, integra *frusta cruoris* ejiciebat, *membranas palati digitis* extrahens, & multum *sanguinis liquidi* rejiciens, ut vererer, ne hemorrhagia eo ipso die interiret. Tunc præscribebam *gargarisma* ex *rad. alth.* unica una, *herb. malu. beton. hyssop.* ana manipulo uno *flor. rosar. rubr. manipulo semis*, *sem. fœn græc.* drachmis duabus, cum aqua coquendum & *melle* edulcorandum, ut hoc *lacti dulci* interponeretur, eoque os elueretur.

Eadem die etiam ad Matronam hanc pharmacopola Dom. *van Sichem*, me inscio, arcessitus rogabatur, ut fauces inspiceret. Hic *palatum, fauces* ac *linguam* adeo *tumescentes & inflammatas* deprehendit, ut ægra ægre loqui posset; in ipsis *faucibus* detegebat *ulcus apertum* magnitudine pisi majoris, & ad latus sinistrum *palati actualem partium solidarum separationem*, *dentes vacillantes & largam salivationem.*

Die Mercurii XVto Maji omnia in tristi hoc statu manebant, salivatio semper procedebat, *alvo sæpius deposita. Excrementa* eundem fœtorem exhalabant ac fauces: quam ob causam præscribebam *Tincturæ rhei* cum aqua cichorei & sale Tartari præparatæ uncias duas cum dimidia, pro dosi cochleare dimidium semel vel bis de die; reiterato usu *Essentiæ pimp. albæ*, quæ non nisi cum *Syrupo violarum mixta* adhiberi poterat.

Die Jovis, XVIto Maji *collum* exterius non adeo tumidum videbatur, at *facies* & *genæ* eundem tumorem & duritiem retinebant. Iterabatur *gargarisma.*

Die Veneris XVII. Maji & die Saturni XVIIIvo Maji eædem

dem erant miseriæ. Per omne hoc tempus de *cardialgia* & *conatibus vomendi* querebatur, iisdemque *faucium doloribus* ac *vigiliis continuis*, *salivam sanguinolentam* projiciebat semper. His jam accedebant *magni dolores capitis*, inprimis *circa tempora;* iterabantur *Ess. pimp. alb. Tinct. rhei* & *gargarisma.*

Die Solis XIXno Maji superveniebat *delirium leve*, & ægra de eo valde conquerebatur, dicens, *se insanire, & nescire quid ageret.* *Essentia pimp. alb. & gargarisma* continuabantur.

Die Lunæ XXmo Maji eadem continuabant, insuper majore delirio vexata vix amplius regi aut moveri poterat, omnem fere medicinam & victum respuens, dicensque se *nimiis doloribus* excruciari, nec quidquam adsumere posse. Hoc die præter *Essent. pimp. alb.* etiam in usum vocavi *Elect. diascord.* scrupulum unum, vesperi sumendum.

Die Martis XXImo Maji omnia in deterius abibant; adhuc quotidie multa *frusta cruoris* & *membranæ* ex ore rejiciebantur & sensim sensimque ægra ita *debilitabatur*, ut jam non amplius e lecto surgere posset, salivatio adhuc continua. Præscripsi *Tincturæ myrrhæ* unciam unam *gargarismati* addendam.

Die Mercurii XXIIdo Maji malo aucto *Essentiæ pimpinellæ albæ* unciæ uni & dimidiæ addidi *Tincturæ antimonii alcal.* drachmas tres, sed ægra vix quidquam amplius adsumere poterat; gargarismati denuo unciam unam *Tincturæ myrrhæ* admiscui.

Die Jovis XXIIItio Maji nulla in melius mutatio. Per chirurgum præter gargarisma, cum Tinctura myrrhæ mixtum, adhiberi curavi *mellis rosarum* uncias duas cum *Tinctura myrrhæ* uncia semis, pro elutione oris; nam ipsa id facere dehinc non poterat. Præscripsi quoque *Tincturæ antimonii* drachmas sex, 30. guttas pro dosi, ut cum Syrupo violarum propinentur.

Die Veneris XXIVto Maji *tumor in gena* dextra aliquanto minor erat, in sinistra nihil subsederat, remanente eadem duritie. Nocte inter XXIVtum & XXVtum Maji sponte *dens* excidebat.

Eodem XXVto Maji *salivatio* quidem adhuc procedebat, sed sensim minuebatur, & ægra debilior facta magis *delirabat.* Eadem *Tinctura antimonii* cum *Syr. violar.* iterabatur.

Die Solis XXVIto Maji mane *pulsus deficiebat*, *imminuta salivatione*, *dormitare* nonnihil videbatur, cum antea per totum

tempus omnis somnus abfuisset, sed & *subito pavore* excitabatur non amplius *de doloribus* conquerens. Ex quibus omnibus colligebam, mortem instare. Eodem tempore ab aliis alia proponebantur, sed uti ægra per totum statum medicamenta tantum *guttatim & cum difficultate* sumere potis erat, sic jam ne guttam quidem amplius adsumere poterat. Et hæc erat hujus diei conditio.

Die Lunæ XXVIImo Maji *pulsu plane cessante de summis anxietatibus* jam cum morte colluctans, querebatur. Noctu ejulatus & *clamores* ægræ totam domum personabant.

Die Martis XXVIIIvo Maji hora quinta matutina jam mente alienata *membra maxime torquens & agnonizans*, hora septima expiravit.

Per totum morbi decursum nulla aderat *febris*; *urina* naturali similis, album depenebat sedimentum. Præterea conclave *fœtore* vix ferendo infectum erat, & *miseriæ*, quas ægra perpessa est, neque animo concipi, neque verbis describi possunt. Porro notandum est, ægram ab initio, quo ad eam vocatus eram, usque ad finem, non tantum *liquidi nutrientis*, vel *medicamentorum* una vice capere potuisse, quantum parva scutella porcellana continet, querentem, se præ faucium dolore, ardore & tumore haurire nihil posse. Sed quia semper nauseabunda & ad animi deliquia prona erat, roganti permittebam interdum cochleare unum vel alterum *vini gallici* vel *rhenani*, quo solo aliquantum recreabatur.

Chirurgus nomine J. Z. *Vos*, cujus opera die XIXno Maji uti incepimus, loco Circulatoris, quem ægra videre non amplius volebat, ut vulnus in femore ungento & emplastro digestivo tractaret & postea os faucesque repurgaret, declarabat, non solum *genas, gingivas, palatum, fauces &c. exulceratas*, sed etiam *ossa*, inprimis *maxillarum infecta & denudata* fuisse.

Separatio eschara in femore, decrescente inflammatione paulatim succedebat, sed die mortis adhuc multum restabat.

Vir honestissimus *van Selem*, qui consolandi ægros munere fungitur, adfirmabat, ægram die Martis XXVIIIvo Maji, hora matutina secunda manus tam vehementer torsisse, ut putaret, eam digitos fracturam: tunc manus ægre tangens easdem sudore frigido

frigido madentes deprehendit, ac manum ſuam per contactum fœtore, quem ægrotans exhalabat, imbutam eſſe : ſed adhuc dubitans removebat manum, paulo autem poſt eam naſo iterum admovens hocque vel ſexies repetens, ſemper eundem odorem perſenſit ; quem cum abſtergere non poſſet, cogebatur manum aqua abluere ; inſuper referebat, noctem illam ægræ & ſibi adeo luctuoſam fuiſſe, ut verbis exprimere non poſſet :

Poſt obitum, die Mercurii XXIXno Maji totum caſum Ampliſſimis Magiſtratibus, ratione officii, expoſui. Sectionem quidem & inſpectionem cadaveris judicialem optaſſem, ſed cum Nobiliſſ. agnati ab ea abhorrerent, inſtituta non eſt ; nec ad rem abſolute neceſſaria erat, cum ipſa res per ſe ſatis pateret.

Matronæ famula declarabat, cadaver ſtatim initio totum album evaſiſſe, ſed paulatim in plumbeum colorem mutatum eſſe.

Cum ego illud die Saturni, qui erat *primus Junii* viderem, inveniebam labia oris atra, & palpebras rubras ac protuberantes, ceu inflammatas.

Die Martis IVto Junii nigredo labiorum paulo minor erat, ad rubedinem vergens, ſed palpebræ ita ſubſederant, ut pollex in cavitatem immitti poſſet. Naſus etiam in extremitatibus rubebat, ut inflammatus.

Tria illa *Emplaſtra cauſtica*, quæ mihi famula tradidit, in diametro quatuor circiter pollices lata ſunt, nimirum quodlibet eorum & ut adhuc videre eſt, illa undique *Mercurio ſublimato* conſperſa fuiſſe, nam etiamnum ab omni parte albent a reſiduo *Mercurii*, etiam vulnus & eſchara fœmoris eadem, immo majori erant magnitudine, quam emplaſtra.

Cum jam Circulator ille ob malum eventum ſui auſus publicam cenſuram incurreret, qua, prout ipſe ait, tanquam maleficus non ſine ignominia urbe noſtra pulſus eſt, factum ſuum jam excuſare, & cauſam ac ſequelas mali ſucceſſus in me transferre conatur, ac ſi ille ipſiſſimus auctor violentæ hujus mortis non fuiſſet, ſed potius ego!

In Apologia autem ſua ad Ampliſſimos Magiſtratus innocentiam ſuam tueri vult argumentis ſequentibus, in ordinem diſpoſitis ;

I.) Mercurium ſublimatum corroſivum non cuilibet notum,

sed adhuc pro singulari arcano adversus tumores scirrhosos aliaque mala habendum esse

II.) Illum sine metu & periculo externe posse adhiberi, nec quantitatem illius determinandam, sed artifici relinquendum esse, quantum, pro re nata, necessum ducat.

III.) Emplastrum suum semper adpellat *causticum*, constans e Mercurio sublimato, nunquam indicat, quo pondere eum adhibuerit.

IV.) Mercurium sublimatum per sua Emplastra adhibitum salivationem excitare non posse.

V.) Ad excitandam salivationem vel decuplo plus Mercurii sublimati opus esse, quam ipse in Matrona adhibuisset, nec salivationem posse induci semel aut bis adplicato tali emplastro aut parti uni corporis illito, sed omnes artus per omnes articulos aliquot diebus cortinuis illinendos, & hoc pacto salivationem procurandam esse.

VI.) Licet Mercurius sublimatus salivationem casu fortuito excitet, eam tamen minime lethalem, sed nota & facili methodo sanabilem esse.

VII. Aegræ nostræ præscribendum fuisse purgans & decoctum conveniens, ad promovendam salivationem, tunc ea salivatione, per *suum causticum* excitata, Matronam eo saniorem potuisse evadere.

VIII.) Hinc licet forte salivatio in Matrona insecuta sit, emplastra sua seu caustica e Mercurio sublimato nec extitisse, nec existere posse causam mortis Dnæ. de *Balveren*, nec se auctorem interitus ejus dici posse, sed potius me, utpote Dnæ Medicum, quod aut methodum medendi ignoraverim, aut Matronam hanc malo animo sciens volensque neglexerim, ut ipse urbe ejiceretur.

IX.) se, si ullus in urbe Medicus adfirmare posset, quod talis salivatio a Mercurio sublimato excitata, dirigente perito Medico, periculosa vel lethifera sit, meritam pœnam subire paratum esse.

Ne referam plura per nasutulum hunc circulatorum admissa pertinacis inscitiæ sphalmata, quæ recensuisse idem esset ac refutasse.

Vt tamen veritas rei, laudatorum virorum sententia roborata,

tata, hoc clarius & evidentius constet, sequentes quæstiones ex arte & peritia decidendæ, Illustri Ordini Medico Halensi proposita sunt, cujus Responsum reliquæ paginæ dabunt.

Qu. I. *Num Mercurius sublimatus corrosivus pro singulari remedio & arcano habendus sit, quod adversus varios tumores scirrhosos, cancrum, aliaque mala tuto & secure adhiberi possit?*

Qu. II. *An circulator adplicando hoc Emplastrum corrosivum, recte egerit, & annon potius tristium illorum symptomatum & mortis auctor fuerit in Matrona, quæ ante illius adplicationem optime valebat?*

Qu. III. *An Medicus eo demum tempore in auxilium vocatus, quo calamitosa symptomata medicamentorum deglutitionem fere omnem excludebant, lethalem eventum prohibere potuerit, præcipue si, suadente Empirico, salivationem adhuc magis promovisset?*

RESPONSUM FACULTATIS MEDICÆ HALENSIS.

IN causa & statu controversiæ periti cujusdam, docti & legitime promoti ac probati Medici Practici, contra indoctum ac audacem quempiam operatorem atque Empiricum, certa quædam relatio casus alicujus, fatali decursu terminati, Facultati nostræ ad cognitionem, indagationem & dijudicationem oblata fuit, cui petito ut fiat satis, ab ordine nostro deliberatio de eo instituta cognitam reddidit Nobilem quandam Matronam, optime valentem, quadraginta septem annorum, quæ ante decennium aliqualem contusionem dextri humeri æque ac femoris perpessa & temporis successu duritiem absconditam in eodem femore, tactui solum obviam, erat experta, quæ vix duos digitos latitudine unumque longitudine, quadantenus acuminatam, superavit, interea autem molestis doloribus perennem præbuit causam. Posteaquem hæc adflictio ad prædictum circumforaneum *Franckium* delata fuit, hic promptam promisit medelam, eaque propter confestim causticum quoddam emplastrum tradidit, additis digestivi emplastri magdaleone, nonnullis pilulis, variisque lagenulis incogniti medicaminis, adnexa informatione,

tione, ut cauſticum emplaſtrum dolenti imponeretur loco, cui, ſi effectum ediderit ſuum, ſubſtituendum eſſe indicavit, digeſtivum, & ita etiam reliquorum otdinatorum uſum diſpoſuit. Adplicato itaque cauſtico emplaſtro, contigit, ut eodem loco quem attigit, magnum excitaverit vulnus, id quod IVto a. c. Maji accidit. aſt quoniam eadem nocte emplaſtrum a loco receſſit, exquiſito novo conſilio, idem Empiricus alterum cauſticum emplaſtrum provida manu geſtandum, eidem loco iterato imponendum præcepit, quod ſexto Maji mane adplicatum, veſperi autem remotum, ſubinde vero digeſtivum appoſitum fuerat: inde autem evenit, ut VIImo Maji in femore magnus obortus fuerit dolor, cui mitigando accerſitus Empiricus hora veſpertina emplaſtrum cum pulvere albo ê vitrea lagenula adſperſo adpoſuit, quod itaque intra triduum, a nocturna decima 4ti Maji hora, ad decimam 7mi ejusd. horam, tertia vice adplicatum fuit, abhinc audax & imperitus hic circulator cancri præſentiam in ægra indicabat, inſuper autem pro more hujus furfuris hominum omnia fauſta promittebat, liberumque vivendi genus permittebat: interea autem dolor adeo increbuit ac adcrevit in adfecto loco, ut ægra quaſi mente capta adparuerit, ſubinde is autem in manuum pedumque extremitatibus ſpaſmorum & convulſionum comitatu, exaccrbatus fuit; Supervenerant vomitus fauciumque tumor, id quod circumforaneus haud metuit, modo aliorum Medicorum convocationem & conſilia prohibuit: ſubinde fauces ad ſtrangulationis metum intumuere: XIImo Maji accerſitus prior peritus Doctor. anteactorum plane ignarus, obſervavit caput & collum tumidum, linguam denſam turgidamque, fauces inflammatas cum loquelæ & deglutitionis difficultate: acceſſit dentium vacillatio orisque fœtor; ægra inſuper confitebatur, ſe hactenus quolibet veſpertino tempore ſex pilulas adſumſiſſe: in femore adparuit eſchara ad manus latitudinem & duorum pugnorum craſſitiem accedens, infra ſe vulnus detinens, in ambitu autem ingentem tumorem inflammatorium comprehendens. Data occaſione teſtabatur Operator pilulis nihilum de mercurio, ſublim. aſt emplaſtrum ſublimatum illum ingreſſum fuiſſe, quocum, tamquam ſupremo, uti opinabatur, remedio, cancrum femoralem, quem ſuſpicabatur, extinguere arbitratus fuit: male autem inter alia, dum pernicioſi ejus-

ejusdem effectus adnotati erant, pro excuſatione edixit, ipſa me decepit, & ego ipſam decepi, atque adeo alter alterum decepit. Ab hoc tempore fruſtra ordinatis minusque ſalutari effectu adhibitis auxiliis, ita atrox redditus fuit idem adfectus, ut præter refractariam ſalivationem, horrenda faucium ſymptomata, inflammatoria, ulceroſa, aliaque ſupervenerint, usque demum 28. Maji ægra hæc miſeranda expiraverit morte. Hic tragicus caſus cauſam ſubminiſtravit ſequentibus, ad rationis & artis fundamentum decidendis quæſtionibus.

I. *Num Mercurius ſublimatus corroſivus pro ſingulari remedio & arcano habendus ſit, quod adverſus tumores ſcirrhoſos, cancrum & alia mala ſecure adhiberi poſſit?*

Hanc quæſtionem quoad ſingula ſua membra negativa decidimus ſententia. Etenim hoc ſubjectum chymicum non niſi ſcientia, experientia & conſcientia privatis temerariis medicaſtris hodierni ævi arcanum audit remedium, dum multis caſibus confirmari poteſt, quanta damna topicus etiam uſus illius ſæpius intulerit, & quam frivolo auſu in levibus & arduis caſibus eo confugiant audaces Fmpirici; Quemadmodum famoſæ aquæ phagædenicæ nondum hucusque peritis ac circumſpectis Medicis ſeſe probarunt; & ita etiam vix ullus imperitorum ac ſcatophagorum unguentariorum invenietur, cui non hoc medium cognitum fuerit, ideo fraudulentam omnino olet jactantiam, id pro arcano quodam declamare velle, licet illud ſingulare exitioſum exiſtat; qua de cauſa crumenimulgi non niſi ad deſperatos adfectus ſcabioſos, ulceroſos, gangrænam &c. illud ordinare non verentur: Præterea autem id ipſum in ſcirrhis, cancro aliisque malis infeliciſſimum & ſtygiale, minime omnium vero ſecurum eſt remedium, ita ut omnium rariſſime unquam fidam, regularem & ſalutarem obtulerit opem. Conſtant hujus judicii multa teſtimonia, ſcriptis ac ore relata, fide digna, & vix ullus adſiduorum, judicioſorum & attentorum Medicorum erit, cui non tragici effectus ſublimati hujus, extrinſecus licet uſurpati, conſtent. Wolfii Obſ. Chirurg. Lib. 2. Obſerv. 1. p. 179. ſq. Act. N. C. Dec. 3. ann. 5. obſ. 204. Bonetus Polyalth. lib. V. c. 35. p. 561. Commerc. litterar. Ann. 1732. hebd. 31. p. 245. ſq.

II. *An Circulator adplicando Emplastrum hoc corrosivum recte egerit, aut annon potius tristium illorum symptomatum & mortis auctor fuerit in Matrona, quæ ante illius adplicationem optime valebat?*

Ad hanc interrogationem reponimus decisionem adfirmativam, quod videlicet imperita, audax & terna vice continuata Mercurii sublimati adplicatio in hac, antea sana Matrona, periculosa præcipue pathemata in femore, dein etiam subitaneam ac impetuosam congestionem inflammatoriam cum consequente turbulenta salivatione concitaverit: Haud quidem in relatione historica, tragici hujus casus, aliæ, scitu dignæ, ejusdem generosæ mulieris qualitates commemoratæ sunt, qua videlicet corporis constitutione ipsa prædita, an plethorica, temperatis aut intemperatis humoribus instructa, cui diætæ, vitæ generi, quibus moribus animique adfectibus dedita fuerit, quo ordine quotidianæ & reliquæ evacuationes in eadem processerint (a) &c. Nihilo tamen secius series atque nexus dirorum multorum & periculosorum symptomatum caustico illi Emplastro suam debent originem; nec deficiunt testimonia, quibus vehemens, repentina & turbulenta salivatio, per sublimatum hunc mercurium, infelici plane successu concitata probatur: Quamvis etiam paucis ab obitu diebus salivatio remiserit, cum jam ob perditissimum morbi statum vires extreme defecerint, sat strenue tamen illa præce-

(a) Cum hic non fuerit casus morbi & mortis naturalis, sed violenti & artificialis, omisi circumstantias scitu necessarias, quæ in vulgaribus morborum historiis alias recensere moris est, maxime ideo, quia nihil in iisdem occurrebat, quod extraordinarium extiterit, aut casum ipsum mutare possit. Ipsa autem Matrona erat temperamenti cholerico-sanguinei; habitu corporis firmo, repleto, plethorico; temperatis humoribus prædita; animo facile quidem adficiebatur, at & satis moderate; lautæ & sedentariæ potius quam agili vitæ generi dedita; semper optime menstruata; ante duos & dimidium annum matrimonio juncta, nullos suscepit liberos; evacuationes omnes per totum morbi decursum satis regulariter procedebant; nec ipsa per complures annos ullum notabilem morbum passa est, præter dysenteriam superioris anni, a qua tamen adeo bene convaluit, ut omnes sanitatem ejus firmam mirarentur.

præcedentibus ſucceſſit diebus, ut nullo monitore, nedum impulſore opus habuerit, ni oleum igni infundere ac præſentia terribilia omnique commiſeratione digna morboſa pathemata acerbiora reddere, crudele dictitaverit conſilium. Quod porro infelix hoc medicamen, uſu topico adhibitum, ſalivationem impetuoſam provocet, doctos atque peritos Medicos vix latet; nec ullus horum vadem ſe promittere poterit, fore ut talis ſalivatio unquam modica & innoxia extiterit. Quoniam etiam in arte ſua peritus Medicus adhibitus in eodem miſerabili caſu purgans ſat validum, diaphoretica, balſamica, mundificantia, putredini reſiſtentia, lenientia, diſcutientia, ſedantia ſelecta & probata auxilia ordinavit, haud tamen ſingula hæc virus illud mercuriale ſufficienter ſubjugare potuerunt: & licet eſſentiæ pimpin. alb. uſus in paulo minorem quantitatem (b) redigi & temperari debuerit, minus tamen eadem tantum obeſſe potuit, quin innumeris caſibus ſalivationi promovendæ, faucibus purificandis & ſtagnationibus diſcutiendis, quippe eximie fructuoſam illa ſe exhibuerit, ideoque ſingulari ordinatione maſticatoriis & apophlegmatizantibus ſelectis remediis adnumeretur.

Tandem quæritur:

III. *An Medicus, eo demum tempore in auxilium vocatus, quo calamitoſa ſymptomata medicamentorum deglutitionem fere omnem excludebant, lethalem eventum prohibere potuerit, præcipue, ſi ſuadente Empirico ſalivationem adhuc magis promoviſſet?*

Quam ultimam quæſtionem haud alia, quam negativa reſolvere poſſumus reſponſione: Non raro enim vix decem periti Medici id in meliorem ſtatum convertere minus valent, quod unus audax, impudens & imperitus Medicaſter perdidit atque corrupit, ideo prudentis Medici officium eſt, ut quantum Religio Chriſtiana & Medica concedit, tumultuariis circulatorum auſibus ipſe

(b) Sed vide rationem in *Hiſtor. med. de Dyſenteria bilioſo - contagioſa*, Cap. III. §. *XXXVI. XXXVII. LXXXVI.* Cap. IV. §. *XXVII*, *pag. 73. 99, & 122. Append. Volum. V. Actor. Nat. Cur.*

ſuas nequaquam immiſceat manus, rectiusve τὸ ἀπέχειν exerceat, quoniam utplurimum nihil ad ſalutem ægrorum perficitur. Subinde autem certo certius evenit, ut impoſtor fatales temeritatis ſuæ eventus, impudica fronte in peritum devolvat Medicum.

In præſenti caſu octavus adfulſerat dies, quo demum, forte ægræ in peſſimum ſtatum conjecta, Medicus peritus vocatus fuit, ut damno, a medicaſtro illato, ſalutare ferret conſilium: aſt cum humores & motus in miſera ægra ſummopere ferverent, & in femore æque ac capite partes valde irritatæ eſſent, ſane, non fuit in Medico tantisque reſiſtere telis, atque tumultibus: in eo enim contigit, quod Plato edixit, facilius eſſe movere quietum, quam tranquillare motum: hoc autem adſertum erat Empirico ignotum. Vehementia, atrocitas, multitudo & contumacia ſymptomatum prohibuerunt, quo minus Medici docti ſolertia, ſollicitudo ac providentia ſalubres adſecuta fuerit ſucceſſus & eventus, qui propterea omni caret culpa, dum hæc contra in Empiricum merito derivanda eſt, quem illatæ noxæ eximere juxta ſcientiæ & experientiæ fundamenta nulli poſſumus. Idquod judicium ſuffragante ordinis noſtri conſenſu ac auctoritate, ſub ſigilli noſtri confirmatione, ad petitum exhibemus. Dab Halæ Magd. d. 28. Sept. Ann. 1737.

(L. S.)

Decanus, Senior und ſämtliche Profeſſores der Mediciniſchen Facultæt allhier.

Nova

NOVA
FEBRIS MILIARIS

SVB EXITVM ANNI 1733. ET INITIVM ANNI 1734. IN CELSISSIMO ALPIVM PENNINARVM BAVARIÆ JVGO EPIDEMICE GRASSANTIS

HISTORIA,

CVI SVBIVNCTA INSVPER EST SVCCINCTA MORBI ISTIVS ÆTIOLOGIA, ITEMQVE RATIONALIS SVB EIVS CVRATIONE OBSERVATA MEDENDI METHODVS;

OMNI, QVA FIERI POTVIT, ASSIDVITATE ANIMIQVE ATTENTIONE ET SINCERITATE CONSIGNATA,

AC

ILLVSTRI ET EXCELLENTISS. NOMINI

BÜCHNERIANO

DEVOTISSIME DICATA ET CONSECRATA

PER

FRANCISCVM JOSEPH. GRVNWALD,

Med. Doct. Circuli Monacensis Physicum Provincialem, & Inclytæ S. R. I. Academiæ Natur. Curios. Polybium II.

BAGLIVIUS

Opp. suor. Lib. I. cap. 5. n. 4. p. m. 9. Edit. Venet. & ibid. Lib. II. cap. 3. n. 2. p. 109. sqq.

Historia morborum tota quanta est, pendet a sedula, & patienti descriptione eorum, quae doctus observator de morborum invasione, progressu & exitu adnotaverit, & eadem, qua observavit, simplicitate, chartis exposuerit.

MORBI HISTORIA.

Autumnum, præ reliquis anni temporibus gravius ut plurimum adficere humanum corpus, apud omnes in confesso est; præsertim vero, si inopinatæ & frequentes fiant aeris calidi in frigidum, aut hujus etiam in calidum mutationes, sicuti hoc satis exacte confirmat divus HIPPOCRATES *Sect. III. Aph. 1.* his verbis: *Mutationes temporum potissimum pariunt morbos: & in ipsis temporibus magnæ mutationes aut frigoris, aut caloris, cæterorumque ad proportionem his respondentium.* (a) Idem quoque demonstratum legimus a Celeb. PET. GERICKIO iu differt. *de Valetudinis ratione & præsidiis, autumno.*

Mœstissimum proh dolor! ejus rei exmplum sub finem supra dicti & principia sequentis anni præbuere, qui salubriores communiter habentur locis planis, *montes pennini:* (b) vix enim circa finem *Novembris* & initium *Decembris* copiosæ per excelsa quaqua versum montium cacumina floccorum nivalium turmæ dispersæ erant, frigusque sua incrementa, loci & temporis indoli convenientia, in dies sumere ceperat, cum inopinato circa Solstitium hiemale (quod cum ingressu ☉ in ♑ die 21. Decembr. contingit) tempestas præter incolarum, etiam grandævorum, ibidem memoriam, inaudita vicissitudine & subitanea mutatione adeo tepida ac insolita ingrueret, ut non tantum omnis nivium copia uno impetu deleretur, sed hiems quoque, quasi non hiems, veris suaviter adspirantis mansuetudinem æmularetur.

Mirandum ergo haud est, si ad *insolitum* temporis tractum novum plane & *inusitatum* morbi genus resultarit. Adgressus est hic morbus illustres pueros ibidem, potissimum adolescentes (c) & juvenes, forte, ut, cum provectioris ætatis hominibus & adul-

(a) Non absimile est effatum ejusdem Auctoris, quo Librum suum de *aere, aquis & locis* auspicatur.

(b) Ita a IOAN. AVENTINO, Bavariæ Historiographo, adpellati.

(c) Luem pestiferam in agro urbeque *Ambergensi* ann. 1613. desævientem, *juniori* quoque *ætati* maxime infestam fuisse, testatum reliquit JOAN. INGOLSTETTERVS *Physicus ibidem sat celebris*, in *Epistolis* ad D. SIGISM. SCHNIZERVM, *Archiatrum s. t. Bambergensem*, datis, quæ ex-

adultis nocere haud potuit, insontibus exitiosior esset tenellis? Telam exordiebatur in principio sub schemate non adeo magni morbi, per insolitam morositatem, adpetitum imminutum, in nonnullis nauseam, levem horripilationem, pulsum celerius modo micantem, modo debilem, &, NB. quod apud omnes fuit, *tumorem anginoidem plus minus auctum, cum deglutiendi molestia;* sitim non raro contra morem febrium aliarum, exiguam, sed in progressu & statu morbi auctam. Urina quorundam subjectorum in principio non adeo insigniter mutata adparebat. Udor & sudor in aliquibus intolerabiliter fœtidus erat atque graveolens. Proteiformis ergo & multiplici facie incedebat. Corpus universum variegati coloris conspiciebatur, prodeuntibus innumeris pustulis, milii semen figura & exiguitate referentibus, nunc *albis*, nunc *rubris*, interdum utrisque in uno individuo. His jungebat se insuper aliud exanthematum genus, modo *variolarum*, modo macularum rubicundarum, ad instar *puncturarum pulicis*, verarum nempe *petechiarum:* quæ tamen efflorescentiæ non eodem semper tempore & modo protuberarunt, nec justum typum aut stata tempora servarunt, susque deque interdum habentes omnia. Erumpentibus tamen exanthematibus *tumorem anginoidem* vel *cessasse*, vel notabiliter saltem *remisisse* notavimus. Symptomata nonnunquam præter omnem malam suspicionem accessere, eaque gravissima & atrocissima, inquietudines nempe, præcordiorum angustiæ, fluxus alvi, deliria & motus convulsivi, omnes *exquisitæ malignitatis* testes. Inter hæc sanguis in multis per nares prorupit. Cutis, post prægressas puncturas satis molestas

tant in *Cista Medica* JOAN. HORNVNGI. Non absimile exemplum notatum reliquit PHIL. MENZELIVS, in carmine, Libro de *Peste* RAYM. MINDERERI præfixo:

— — — *Illa est*
Aut cœli vitio, aut contage, aut sponte suborta
Dira lues, flammam, putri perfusa veneno,
Intus alens, maculosa cutim, bullataque inustis
Tuberibus: quæ sæva die dans funera mille
Sternit humi intacta florentia robora pubis
Nec teneræ ætati parcit &c.

ftas in corporis peripheria ſine manifeſta aut exquiſita ulceratione, in fine deſquamata fuit, ubi res ægri in vado erat. Reſtitutis jam ægris, cum capillorum profluvio, nunc caput, nunc pedes intumuere, relicta circa malleolos ſerpigine miliari. Eorum nonnulli, qui arctius quoddam cum decumbentibus commercium evitare haud poterant, morbi quoque malitiam ſunt experti. In permultis tamen malum in prima quaſi herba, annuente divina gratia, ſuppreſſum fuit. Finis tandem Februarii morbo quoque impoſuit finem.

RESOLUTIO.

ADfectum prolixius delineatum *febrem continuam*, epidemicam, *malignam* & *miliarem* fuiſſe, facile dignoſci poteſt.

Ad genus *febrium*, tamquam *morbus calidæ intemperiei*, vel ſi mavis, *totius ſubſtantiæ*, quod pertineat, teſtatur motus humorum inordinatus & præternaturalis, caloris & pulſus mutatio, eaque a principio invaſionis usque ad finem morbi: ergo fuit *continua*.

Ex eorum ſaltem numero quod ſit, quos dicunt *ſporadicos*, exinde luculenter adparet, quod culpa aeris enata, licet non in omnes promiſcue graſſata ſit, juniorum tamen pleroſque adfecerit.

Dixi porro febrem hanc *malignam* fuiſſe, quo ſtigmate eadem hoc in caſu nunquam eximere ſe poterit; cum, uti fuit peſſimæ indolis, ita peſſime quoque per totum ſuum decurſum ſe geſſit, incertos ac minime regulares paroxyſmos habuit, & quando maxime blandiri videbatur, tunc plerumque cum graviſſimorum ſymptomatum cohorte prorupit, maximum vitæ periculum, immo ipſam ſubin-

de mortem ſubitaneam induxit. (d) Quamvis non uno eodemque tempore, omnes tamen eodem invaſit modo, neque illis, prout in ipſa Hiſtoria dictum, pepercit, qui ſuam ægrotantibus operam commodarunt, ita quidem, ut cum forte decumbentium nonnemo, quaſi gratias acturus, manum alterius deoſcularetur, e veſtigio maculæ varii, coloris in circumferentia ſolidi imperialis magnitudinem referentes, exorirentur, relicta quoque in medio puſtula varioloſa, certo certius per reliquum quoque corporis ſpatium latius graſſaturæ, ſi amicum fomitem porro inveniſſent. Cæterum modo ruber, modo albus, modo diſcolor adparet, immo mirificam ſæpe larvam induit Proteus hic nequiſſimus.

Recenſita itaque phænomena conjunctim ſumta, tamquam *producta morbifica*, nonne de *malignitatis cauſa* abunde teſtantur?

Pro *ſpecifica* ab aliis exanthematicis febribus *differentia*, etſi petechias quoque & variolas hinc inde junctas habuerit, a potiori tamen denominavi eandem *miliarem*, ob papulas minutas, ſeu puſtulas, poſt efflorefcentiam figura ſphærica & exilitate ſua granis milii adſimilatas; unde & latinum *febris miliaris* vocabulum originem traxit. Quoniam vero ſuperficies corporis, ob dictas papulas, denſo agmine erumpentes, aſpera redditur, Germani hinc, præſertim *Saxoniæ incolæ* morbum ipſum den Frieſel nuncuparunt, eo quod aliquam ſibi ſimilitudinem conceperint inter exaſperatam hoc modo cutem, & pannum pariter aſperum, & exiguis in ſuperficie globulis, aut nodulis gaudentem, qui vulgo

(d) Pertinet huc Illuſtr. Ettmülleri adſertum *Opp.* ſuor. *pag. 385. Febris purpurata*, inquit, *acutus, non raro præceps eſt adfectus, qui, dum maxime videtur blandiri, ſubito jugulat.*

vulgo Frieß audit. Vid. NIC. AMON. Differt. *de febre miliari.*

Nolo hic inquirere, an vestigia *febris miliaris* apud antiquos Medicos Scriptores inveniantur. Sunt, qui ex HIPPOCRATE *Epid. Lib. 2. Sect. 3. p. m. 100.* locum quendam huc trahere adlaborant.

Sunt insuper, qui defendunt, HIPPOCRATEM *purpuram* descripsisse *Lib. II. de morb. tit. 68.* item in *Prænot. Coac. n. 243.* Alii citare in hanc rem non verentur RVFFVM EPHESIVM, itemque AEGINETAM & ORIBASIVM.

Agere hi cum iis videntur, qui *Variolarum antiquitates* nunc primum e Græcis eruere contendunt. Conf. *Acta Erud. a. c. Mens. Majo p. 207.* Ast ficut juxta FREINDIVM *Hist. med. p. m. 305.* nullum Variolarum vestigium in Græcorum Medicorum Scriptis, ita vix ullum de nostra febri exanthematica textum genuinum ac fundamentalem inibi reperiri posse, non immerito arbitrantur alii. Quidquid sit, id certum habetur, febrem hanc pestilentialium speciem esse apud Germanos penitus *novam* & circa an. 1652. Lipsiæ primum observatam a Cel. LANGIO. (e) Anno autem 1666. cum passim in Bavaria grassarentur febres mali moris, primum a Medicis Bavaricis heteroclitas ejusmodi maculas, cum tumore & cutis elevatione adparentes, notatas fuisse existimo. *Nesciunt febrem miliarem quam plurimæ nationes, regiones ac civitates*, adeo ut tamquam singularissimam *observationem* in *Ephemerid. Nat. Cur. Dec. I. Ann. III. pag. 428.* istum morbum in Pannonia adnotarit D. RAYGERVS.

Subjectum hujus morbi peracuti ut plurimum erant *adolescentes*, vel *juvenes*, & tota illorum corporum officina:

f 2

(e) Vid. pariter WELSCHII *Historia Med. de novo puerperar. morbo* Ann. 1655. edita.

cina : omnes enim partes in febri adficiunrur, ut sic universalis sit intemperies. Constat autem corpus ex partibus *solidis* & *fluidis*, *solidæ* vero unice, intuitu fluidarum, ut in statu naturali temperatæ, ita in præternaturali intemperatæ dicuntur, adeoque genuinum & *principale subjectum* constituit *massa fluidarum*, tum ipse *sanguis*, tum *fluidum nerveum*; & cum M. S. in corde & vasis immediate hæreat, ideo etiam ex solidis hæ partes primario subjectum una constituunt. Exanthematum autem *sedes* est superficies universi corporis, non tantum *externa*, sed nonnunquam etiam *interna*.

Post considerationem subjecti, recto tramite pergimus ad causarum inquisitionem.

Causam materialem febris nostræ miliaris *immediatam* esse miasma malignum contagiosum febrile, ad massam fluidorum delatum, extra omnem dubitationis aleam est positum.

Jam cum nihil utilius sit, quam adfectus morbosos ad *causas* reducere, ideo ad earum indaginem nunc progrediemur. In promptu statim esset responsio, si ad *occultas qualitates* cum antiquis confugere liceret, vel si cum iis sententiam proferre fas esset, qui *naturam*, sicuti *morborum medicatrix* communiter audit, (f) ita pariter *effectricem morborum* esse, liberali nimis commento adserunt, eaque propter febres *salutares esse conatus naturæ*, vel animæ nostræ rationalis, ad ravim usque clamitant. Ast, ignoscant mihi auctores ac defensores illius ὑποθέσεως, quod existimem, ipsos in naturam nostram haud parum esse injurios, quando huic attribuunt effectum morbi, qui unice debetur *causæ materiali*, quam in morbo enarrato universaliter fuisse putamus venenum aliquod, seu miasma malignum.

De

(f) HIPPOCRATES *Epid. 6. Sect. 5.*

De malignitate isthac prius, quam specialius differam, pauca quædam prælibanda duco ex *non - naturalibus*, de *aere*. Hunc vitæ & morborum causam esse, ait COUS, pro diverso puta respectu; varias etenim ille a *superioribus* non minus, quam illis, quæ *infra* & circa nos versantur, mutationes subire coactus est. *Superiora* erant astra, quorum distemperata commistio sero autumno, (ubi *morbi in universum maxima ex parte acutissimi fieri solent & exitiales*, juxta HIPPOCRATEM *Sect. I. aph. 14.* & *Sect. III. aph. 9.*) simulque circa *Solstitium hiemale*, natura existente imbecillima, mutationes varias, tum in aere, tum in corporibus nostris excitavit. Manifestior autem erat mutatio, quæ ab *inferioribus* aeri nostro accidit; cum enim alpes & valles sub nivium huc usque copia undiquaque sepulti jacerent, *præter exemplum* & omnium exspectationem subita tempestatis vicissitudine factum est, ut una eademque nox, tepida admodum, nives, per tempus jam fere multum collectas, non abstulerit modo, sed insuper ligatis antea brumali frigore, nocivis exhalationibus, per vallium & montium fauces, fissuras & specus, liberum aperuerit exitum.

Talismodi effluvia heterogenea & meteora varia cum ob ventorum id temporis insuetam clementiam ventilata & dissipata non fuerint, utique miasma aliquod malignum, specifica etiam commixtionis indole, (ut inde diversi speciales effectus & similis mixtura in humoribus hominum emergerent,) ex iis ortum capere potuit, quod *aeri* postea, omnium seminiorum universali receptaculo, communicatum, tandem in hominibus tenerioris texturæ, vel talibus, qui, fortassis propter diætæ errores, impuritates humorum sibi contraxerant, sicque *causæ mediatæ*, sive *antecedentis* vices simul gerebant, per inspirationem, sive capitis foramina, sive poros cutaneos, humorum latifundio interspersum atque innidulatum, instar fermenti, ad suam illos

 indo-

indolem & naturam induendam disposuit, similemque iis motum introduxit, tum progressivum, tum intrinsecum: quo in motu sanguinis, & fluidorum dyscrasia, febris nostræ *causam immediatam* & *formalem notionem* habendam esse putamus.

Dari autem ejusmodi miasmaticas & pestilentes materias, a particulis M. S. constitutivis in ipsa præternaturali fermentatione & ab ordinario cujuslibet speciei febrium materiali principio plane diversas & distinctas, confirmatur utique per Pestilentiam, quæ de loco in locum transfertur, hominibus etiam insciis, cum rebus promercalibus, malignis effluviis contaminatis.

Id ipsum quoque disserte loquuntur morbi chronici atque alii acuti, uti Dysenteria, Lues Venerea, Scabies, Lepra, &c. item Phthisis, (utpote quæ communi Practicorum suffragio itidem contagiosa est,) rabies canina hujusque generis plures.

Veneni morbifici determinatam vim & veram atque realem existentiam porro probat jam ubique nota insitio & inoculatio variolarum, atque recens inventa eas per transplantationem excitandi methodus, insuperque nuperrima febris catarrhalis maligna anni 1732. quæ vix non omnes Europæ regiones & civitates perreptavit.

Si quæris, in quo consistat materiale febris & malignitatis hujusce principium? respondeo, quod prudens Medicorum solertia abundanter jam demonstraverit, adeo subtile esse illud principium, ut omnem sensum a *priori* fugiat, & nonnisi a posteriori cognoscatur. Ab effectu ergo credibile nobis videtur, quod fuerit *sal quoddam volatile, destructivum, ad acidam* ut plurimum *naturam accedens*, juxta SYDENHAMIOS quippe DOLÆOS, HELMONTIOS & SCHELHAMMEROS in enodanda specialius principii materialis in *malignis* natura admodum operosos; perniciosum namque

namque virus est *salinum*, præsertim quando ex terræ effluvis ortum sumit, ac de Vitrioli vel aluminis, Nitri vel Sulphuris mineralis, aut Arsenici indole participat. Vid. BERNH. CONNOR *Tract. de antris lethif.*

Salsum autem miasma illud *subacidum* quod fuerit, puto manifestum evadere ex statu sanguinis apud omnes quibus detractus fuit, coagulatorio & ad debitam circulationem prorsus inepto, ita, ut cruor e vena secta extractus, nigricans, grumosus, omni sero orbatus, crassaque, viscida, alba, magna crusta, qualis in acutissima pleuritide laborantibus & omnibus inflammatoriis morbis conspicitur, per omnem superficiem præditus fuerit. Sequitur ergo, descriptum hactenus miasma virtutem habuisse subacidam; certum enim est in Senatu medico, *acidum omne coagulare* sanguinem; quamvis & alia subesse potuerint coagulatoria, e.g. frigus, quod inopinatam illam cœli tepiditatem & terræ aperturam sensim insequebatur.

Causa igitur *antecedenti, occasionali, materiali* & *formali* quantum ad scopum hunc pertinet, aliqualiter exposita, ad *phænomena* morbi nostri explicanda me accingo.

Hinc, si quæritur, unde enumerata superius in historia clinica, tempore invasionis nata sit *tristitia, merositas*, & *hilaritatis* imminutio? respondemus, partim a sanguinis lentore, partim a spiritum fixatione & ligatione. Omnis enim febris oritur, si. M. S. fluiditatem suam naturalem deponit, lenta & viscosa redditur, vel aliquo modo coagulatur. Lentor sanguinis etiam lentorem spirituum producit, cujus rei exemplum habemus in melancholicis. Immo salia acida maligna simul spiritus animales figunt, & tristitiæ gradum augent. *Horripilatio*, quam febricitantium aliqui sentiebant in lecto & hypocausto calido, lentori sanguinis pariter tribuenda erit. Etenim si sanguis crassus per arteriosos arcus subcutaneos non movetur, tunc nervi sub-

cutanei

cutanei calore ſuo deſtituuntur: ergo neceſſario frigoris ſenſus excitatur. *Calor*, vel æſtus febrilis, pulſus nunc auctus, nunc debilis, ſanguinis ſpiſſitudini & lentori originem debet. Suppoſito namque (ut in ſimili ſtatu accurate pro more differit TEICHMEYERUS *Differt. qua Hiſtoria morborum hiemis præteritæ* ſiſtitur,) durante frigore febrili ſanguinem non moveri per vaſa ſubcutanea; ergo neceſſario magis interiora verſus reprimitur. Compreſſus vero ſanguis, vi ſuæ elaſticitatis, poſtea in æſtu auctiori ſe magis magisquæ expandit, & motu accelerato receptam in humoribus materiam ſalino-ſubacidam, pro ſalutari ejus diſcuſſione, ad partes colli excretorias & ſalivales protrudere tentabat: quid ergo mirum, quod, depoſitis dein ibidem partibus ad nocendum jamjam partis, in glandulis colli, muſculis laryngis atque pharyngis, cum ſubtili ſanguineo-ſalivali floridiore humore, in prævio infarctu & coacervatione, ſeu repentina congeſtione, ſegnem, obſtructoriam, acrem & ſubtiliter inflammatoriam, maligne ulceroſam ſtaſin denuo induxerit, unde communis apud ægros noſtros erat dolor faucium & præcipuarum ibi exiſtentium partium febrilis inflammatio, ut muſculorum laryngis, pharyngis, uvulæ, oſſium, *hycides* dictarum, glandularum tonſillarium, ſublingualium, thyroidearum, iſthmi & faucium, una cum ingraveſcente tuſſicula veſpertina, a rodente utique ulcerante ſtagnatione exorta. Propulſo autem ita ad collum ſanguine, Diaphragma & pulmones reſpiratione faciliori gaudebant. Porro cum prava materia, ob mucidam ſuam implicationem intimioribus partibus arctiſſime cohærens, inflammationem, ardorem & ulcerationem partim excitaret, partim minaretur, ſicque ſanguinem in interiore palato magis adhuc condenſaret & comprimeret: compreſſæ vero iterum partes ichoroſo-ſanguiferæ, facta porro, motus inteſtini & elaſtici, itemque accedentis novi humorum motus beneficio, ſalutifera metaſta

tastasi a partibus nobilioribus ad ignobiliores, ab interioribus ad exteriores, a faucibus ad peripheriam corporis & partes subcutaneas, hostiles copias rectissime propulsarunt; peracta enim materiæ morbidæ, non equidem critica sed symptomatica translatione, tumores anginoides confestim evanuisse, & insigne levamen subsecutum fuisse, recensita primitus morbi historia docuit: adeoque juxta HIPPOCRATEM *securissimum est totam secessionem extraverti.*

Proscriptæ itaque ad confines corporis partes malitiosæ, in transitu cutis acriores redditæ & spiculis suis ad contractionem vasa sollicitando, exitum sibi præcludebant, liquidiorique parte exhalante, crassiores particulæ ad se invicem accedentes per motum intestinum intime commiscebantur, combinabantur, ac pro varia diversitate modificatione & relatione materiæ ad vascula excretoria capillaria, modo *albæ*, modo *rubræ* adparentes, socia quoque *alia* habuere *exanthemata*, nunc maculas, pulicum morsui similes, nunc papulas majores minoresue referentia. Cutis vero extrema *pellicula*, seu cuticula, quatenus per ichorem interfusum semel separata fuit, adcrescere rursum nequibat, sed velut mortua *dehiscebat*, ac in forma furfurum, aut squamarum, amplitudinis diversæ decidit.

Ad gravissima illa *Symptomata* quod attinet, dari nobis postulamus, quod in vulgus quoque notum est & cognitum, adesse videlicer in illis febribus, quæ semper aut ordinarie deprehenduntur malignæ, diversum malignitatis gradum, & talem cum quantitate, tum qualitate; *qualis nempe & quanta est causa, talem oportet sequi morbum.* Jam, si malignæ ejusmodi particulæ in copia, subtilitate, aut activitate minori vel majori, massæ cuidam sanguineæ, in antecessum scorbuticæ, aut ad putredinem inclinanti, commisceantur, ut iis, quomodocunque etiam attenuatis aut subjugatis, sufficiens, in corporis superficie, spatium non suppetat, vel si

ad partes cutaneas quidem non tamen debito modo, deferantur, aut intempestive, a causis occasionaliter accedentibus, vel internis vel externis, nondum remota primaria causa, repente aut successive iterum evanescant, retrocessione sua sanguini, in vasis minimis pectoralibus, stasin, inducant, fieri utique aliter nequit, quin *anxietates* & *pressiones præcordiales* oriantur, tam diu perdurantes, donec nova exanthematum eruptio subsequatur, aut ad minimum alia excretione peripherica conveniente illorum defectus suppleatur. Ab obstructis simili ratione vasculis cerebri, *deliria*, aut ab irritatis per retrogradas acres particulas villosis intestinorum glandulis, periphericæ excretioni e diametro contrariantes *diarrhœæ* excitantur, quæ non criticæ, sed vagæ omnino erant. Dictæ vasorum sanguiferorum obstructiones nervos quoque blande comprimunt, facileque itidem obstruunt, & ita fluidi nervei & sanguinis circuitum plane intercipiunt, vel nervos irritant, quibus irregulariter & spasmodice contractis fiunt *convulsiones* in hoc adfectu, in augmento & statu omnino lethales.

Capillorum in convalescentibus, finito morbo, *profluvium*, originem debet principii maligni corrosivæ qualitati, quale quid contingit in morbis venereis. Tumor *pedum* & *faciei*, cujus pariter in historia mentio facta fuit, in declinatione, aut circa finem morbi contingens, sane ad oculum ostendit, quod lympha retrograda atque a sanguine in extremis vasculis & appendicibus arteriosis secreta, amiserit debitam suam fluiditatem, & a malignitate in aliquam viscositatem mutata fuerit, quia libere per glandulas secernentes permeare non valebat.

Demonstrata sic phænomenorum & nostri symptomatum ætiologia, ad *Semioticen* propero, & primo quidem ad *signa diagnostica*, inter quæ, cum in aliis febribus acutis malignis reliqua plerumque communia sint, unicum potissi-

tissimum notandum esse autumo, quod hæc nostra tamquam certum omnino habuit, idque PATHOGNOMICUM, *faucium* nempe *tumorem doloremque*, una cum læsa *deglutiendi facultate*, quæ semper hostem præ foribus esse palam denunciavit. Talem autem febris exanthematicæ prodromum aliquando observatum fuisse, hucusque in Practicorum scriptis invenire non potui. *Acta* equidem *Berolinens Vol. VI, part. 6*, perhibent, *purpuram epidemicam prope Berolinum invasisse cum dorsi tensionibus, horrore, vomitu, & conjuncta statim* ast *in aliquibus* tantum, *faucium inflammatione*, quam per accidens quoque notavit BOETTICHERUS *Diss de Purpura rubra* §. 2. *p.* 6.

Eventus hujus morbi, quia tales maligni nunquam sine metu sunt, erat dubius & anceps: in compluribus tamen per Dei gratiam salutaris erat, in nonnullis vero lethalis. Exanthemata festinanter & post primum ab invasione diem prodeuntia, ambigui successus justum metum incutiebant. Miliaria *alba* cum *rubris*, aut *petechiis* juncta, majus involvebant periculum & noxas graviores producebant. Eruptio blanda & constans, cum ægri & adpetitus levamine, erat optima. Urina versus statum intense ruffa pessimum signum præbebat, ob malignitatem intime cum sanguine junctam. Sedimentum urinæ causam morbificam a M. S. separatam indigitabat. Repetitæ hæmorrhagiæ narium nil sinistri portendebant; e contrario sputum sanguinis malum in iis præsertim individuis, quæ hæmoptoe aliove solidescentis texturæ, aut viscerum structuræ vitio antea laboraverant. Superveniens in augmento, vel statu morbi, anxietas præcordialis, fluxus alui, maculæ evanescentes, & pedissequæ convulsiones tantisper pulsantes, de ægro pæne conclamatum esse significabant.

Progressum jam facimus ad curam, sive *methodum medendi* quæ est vel προφυλακτικὴ vel θεραπευτικὴ. In epidemico

 nostro

noſtro omnium vota eo dirigebantur, ut a contagio immunes eſſe valerent. Laudavimus ergo ſuffitus, revera aërem contagioſum atque malignis effluvis inpraegnatum corrigentes, ex *Olibano, Maſtiche, Benzoë, Storace, Juniperi ligno & baccis.* (g) Item *maſticatoria*, vel Morſulos praeſervantes, ex Spec. pro trochiſc. ſublingual. Aug. vel liberant. Extr. Angel. Zedoar. c. Sacchar. in Aqua Scorzon. ſolut. aut ex *Cort. Citr. Zedoar. Spec. de Hyacinth.* &c. Pro *errhinis* ordinavimus Olea deſtillata *Angel. Cort. Citr. Cinnam. Rut. Camphoram, Theriacam, Eſſ. Ambr.* &c. Plethoricis *venaeſectionem*; cacochymia laborantibus ope Elix. propr. c. Rhab. & Pil. Ruffianarum *evacuationem*, & ſaepius poſt *infuſum herba Thee*, vel adſumtionem *Theriacae*, aut *Confect. Alkerm. utriusque* SUDATIONEM modeſtam, prae omnibus tamen ſeparationem & *aeris mutationem*, atque ad avertendam triſtitiam *muſicos concentus*, cum *diaeta laudabili*, magnopere commendavimus. Vid. ſi placet, *Prophylaxis Medica in malignis*, in vernacula conſcripta & publici juris facta a *Melch.* LINDAVERO, *Phyſico olim Burghuſiano Bavaro*, a. p. 61. usque ad p. 77.

In methodo *therapeutica* conſideravimus cauſas, & quidem 1.) malignitatem & ſalia corroſiva, acidae naturae; 2.) ſanguinem a malignitate coagulatum; 3.) tandem ſymptomata connexa. Primum quod attinet, non aberrare me

(g) Illuſtris b. m. G. W. WEDELIUS in conſtitutione aëris maligna *ὑποσμάτα* (?) *venenata corrigi* jubet *accenſis baccis atque fruticibus Juniperi, foliis Abſynthii ac Rutae, itemque cornibus varii generis.* Vid. ejus Diſſert. *de Diaeta litterator. pag. m.* 10. *Wolffg. Sigism.* BREM, Pof. Med. olim. *Ingolſtadienſ.* in *ſuffitu* ſuo plusquam *aromatico*, f. 14. dilaudat poma Ambrae, Herb. Majoran. Rorismar. Flores Lavend. ſpicae, Lign. Junip. Cort. aurant. Citr. Cinnamomi. Macis, Benzoë, Storac. Calamit. quae omnia fragrantem vel per ſe, vel ſub calore leniſſimo ſpargunt odorem.

me crederem, si, supposita causa morbi, in acido corrosivo consistente, in usum vocarem ant-acida, qualia sunt *absorbentia*, acidumque volatile in se recipientia, insimulque primum præ omnibus absorbentibus, alcalinis & ant-acidis, concederem locum Lapidibus Cancror. cum aquis diapnoicis commixtis: Hi namque *eximiam virtutem in resolvendo lentore humorem vario & coagulo possident.* Confer. Differt. de *Lapidibus Cancrorum* sub Præsidio Illustr. b. m. BAIERI ventilata, §. XXIII. p. 20. *Cornu Cerui utrumque*, (h) *Conch. Ebur. os de Cord. Ceru. Antimon. diaph. simpl. & martiale, Bezoad. anim. & mineral. Spec. de Hyacinth. & Confect. ejusdem*, quæ omnia *resolvendi* quoque facultate pollent, proindeque ad coagulum dissolvendum summopere faciunt, præsertim si misceantur aquea, quæ serum simul restituunt, diapnoën promovent, quales inprimis sunt, hoc placidissime & benignissime perpetrantes, Aqua *Rub. Idai, Fl. Papau. rhead. Fumar.*

g 3

h) Das Hirschhorn, sonderlich das gebrannte ait. *Jo.Georg.* AGRICOLA Physicus circa finem Sec. XV. *Ambergensis* in Palat. super. *de Cervi in Med. usu C. III. n. 43. p 34*) wird in allen Stücken, so für Gifft und Pestilentz gebraucht werden, in doppelten Gewicht, an statt des Einhorn, genommen, und mit genossen, auch für sich allein und neben andern zur Fürsorge gebraucht, dieweil es vor Gifft verwahret — Das gebrannte Hirschhorn eingeben, treibt die Flecken und Blattern fort, und befördert dieselben: & paulo ante: In den bösen hitzigen Fiebern und Haupt-Kranckheiten, da sich kleine rothe, oder auch braune Flecklein anzeigen, sollen sie mit Eingebung des gebrannten Hirschhorns befördert und heraus getrieben werden, und wird daneben in das Tranck nützlich gehencket: auch neben andern im Wasser gesotten und getruncken, wird in solchen Beschwehrungen dienstlich genossen ꝛc. Contrariam vero huic sententiam fouet Dn. D. MICH. ALBERTI *Dub. vexat mat. med.* §. 17. *fol.* 41. & *G. E.* STAHLIUS *de Criter. Experim. med.*

mar. *C. B. Scorzon, Flor. Samb. Galeg. Acetos. ê typh. Ceru. Scord. & Scabios.* præſcribendo nempe hæc omnia vel in forma *Mixturar.* vel *Syrupor.* vel *Pulverum* aut *Emulſionum*, cum Semin. *Aquileg. Naſturt. Pæon. Nap. Cort. Citr.* & aquis congruis. Modeſta tamen ut ſit talis reſolutio, non abs re erit, ſi addantur nitroſa, (i) videlicet *Lap. prunell. Nitrum antimoniat.* &c. quæ omnia pro varietate indicationum, prudenter alternari, proportionari & eligi poſſunt ac debent; ſeparatione etenim rite ſuccedente remedia quoque fixiora propinanda veniunt.

In ſymptomatibus ea dedimus, quæ circumſtantiarum ratio poſtulavit, ſic faucium inflammationi ſuccurrimus, præter interna convenientia, Gargariſmatibus & injectionibus tepidis, ex infuſo *Theæ, Veronicæ* &c. *aqua plantag. cum lact. vaccin. Herb. Prunell. Decoct. hord. comm. Fl. Malu. Roſar. rubr. Spir. Sal. ammon. C. C. raſp. Nitro depur. & antimoniat. Rob diamor. Melle Roſar. Syr. de Ros. Sicc. Rub. Id. Berber. Acetos. Citr. fol. Semperviu. ſucco ejusdem. Canc. viu.* &c. item Cataplasmatibus calidis ex *Rad. Alth. fol. Malu. Viol. Flor. Chamom. Melilot. Farin. ſem. Fœnu. gr. Hord. Nid. hirund. in puluerem redact. Ol. Amygd. Violar. Chamomill.* vel Empl. de *Melilot.* Camphora largiter impraegnato vel linteis complicatis *Spir. vin. camph.* calide irroratis.

In talismodi caſu colli ardorem nec non difficiliorem deglutitionem per Ol. Amygd. dulc. Syr. diamor. & aqu. Fl. Acac. mixtum interius? exterius autem per Empl. de Meliot. c. Ol. bezorrd. Wed. illitum, Dn. D. *Jo. Georg.* HASENE-

i) Hæc enim prudenter uſurpata in febribus malignis exanthematicis eo ſunt præſtantiora, quod plus valeant alterativa ſalutari, quam evacuatoria (*diureticam* intelligo) efficacia, inſuperque juxta laudatum G. E. STAHIUM putredinoſam fermentionem vehementer infringant, nec non ſenſum roſivorum ardorum mitigent, adeoque ipſas inflammationes imminuant atque temperent.

NESTIUM mitigaſſe refertur â DIRECTORIBUS *Commerc. Litterar. phyſ. techn. med. ad ann. 1732. Hebd. VII. p. 54.* Huc quoque conferri meretur Diſſert. de *Angina maligna* ſub Præſidio Excell. Dn. D. *Jo, Jac.* JANTKII haud admodum nuper habita p. 27. ſqq.

Exanthemata, vel legitime non erumpentia, aut poſt eruptionem retrogada, & creatæ exin anguſtiæ præcordiales indicabant *Salia volat.* moderata doſi adhibenda, aut *veſicantia.* De ſalutari uſu *veſicatorii* in febribus exanthematicis vide ſis *obſerv. 167. Ephemerid. N. C. Decur. III. Ann. V. & VI. p. 378. ſqq*, item FREINDIUM. Facit huc *Veſicatoriorum in tenera etiam ætate ſalutaris uſus*, occaſione morbi varioloſi notatus in *Actis Med. Berolin. Decad. II. Vol. III. n. 7. pag. 94. ſqq.*

Diarrhœis pertinacioribus & diutius durantibus opponebantur leniter adſtringentia & ſimul miasma noxium per peripheriam corporis expellentia, uti *C. C. uſtum, Bol. armtn Terra ſigill. r. aut Siles. Pulv. antidyſentericus*, &c. addendo, ne talia nimium incraſſent, mucilaginoſa & probe prius advertendo, an *criticæ*, an *ſymptomaticæ* fuerint iſtæ diarrhœæ.

Convulſiones vero & motus ſpaſtici, purpuræ noſtræ accedentes, mitigabantur *cinnabarinis*, (k) *Caſtorin. ſuccinatis, Pulv. epil. Marcb.* aut potius & potiſſimum ita dicto *nigro, Specif. cephal. c. Aquis Pæon. Cer. ſor. nigr. epilept. Lang. Perl. uſit. c. Syr. Fl. Tunic. Pæon. Man. Chriſt. perl.* &c.

Cæterum *emeſin*, *catharſin*, & *V. Snem* quod attinet, cum res malignis in febribus Practicos inter ſit anceps & dubia, in noſtro epidemico ita tunc quidem cogitabam: Ex una parte certum eſt, principium morbificum non tam per

(k) Vires namque *Cinnabaris* ſunt polychreſtæ in omnibus morbis, ubi *humores coagulari* incipiunt; hinc ſpecificam illa obtinet virtutem in curatione convulſionum, febrium malignarum, variolarum, morbillorum &c.

per vias alias, quam & maxime mediante salivali fermentescibili latice per fauces ad ventriculum vectum, ciborum fastidium, nauseam, vomendi conatum, nec non ipsum vomitum, excitasse. Ex altera parte inter omnes convenit, cacochymia laborantes maxime morborum contagiis suscipiendis aptos & expositos esse, qui stabulantem primis in viis impuram & crudam massam alunt; hæc saburra hostem ab extra adventitium amice recipere, malignitatem augere & variorum symptomatum per totum morbi decursum supervenienti catervæ ansam præbere valet: Ergo recte præsente tali, vel simili indicatione, in *morbi*, quod notanter dico, *principio* (l) adhiberi potest canalis alimentarii abstersio, nunc catoterica, nunc quoque anoterica, quæ posterior felicissimo sæpe cum successu præcordia a saburra inhærente, fauces vero a congestionibus inflammatoriis, easdem nempe potenter disturbando, liberat. Dein quæro: Cur ordinarie Practicorum cordatiores omnes in variolarum inoculatione, aut conjunctione sanorum cum variolosis corpus ἄνω καὶ κάτω præparandum tam sollicite commendent? Nunquid, ne quidquam, turbas forsitan daturum hosti intus recipiendo, relinquantur? Hæc ergo cautela cur hic locum omnino nullum habeat vix video. Insuper cum sanguis esset multa tenaci pituita, inquinatus & crassus, purgantia si SYDENHAMIO credendum, tunc videbantur maxime convenire. A positive quidem purgantibus & humores nimium exagitantibus hic ferme abstinendum esse, ad unum fere omnes præcipiunt Practici. Ipse HIPPOCRATES diligentem hic cautionem adhibendam esse ait *Sect. I. Aphor. 24.* Quam ob rem

l) An forsitan recte cathartica hæc *Mercurio* illo *dulci*, rite parato, veluti galea, lorica & telo, roboranda jusserint alii, ego quidem non determinaverim.

rem *mitiora* (m) solummodo in usum vocarem, mixtis emeticis cum resolventibus, e. g. in forma potiunculae ex aqu. scorzoner. speciatim pulv. cornach. crem. tartari. tart. solub. rhab. Infus. fol. senn. aqu. laxat. Vienn. pulv. radic. Hypecacuanhæ, in robustioribus Tart. emetico conjunctis alexipharmacis, e. g. sale scord. C. C. In forma linctus ex syr. de cichor. c. rhab. ros. solut. violar. solut. addita confect. alkermes; aut in forma Electuarii ex Cassia recenter extracta, Manna elect. Pulp. Tamarind. &c. quæ omnia blande evacuant, nullumque orgasmum in sanguine concitant, sed aliquam saltem malignitatis partem unacum excrementis ex corpore relegant. Sin tamen ad vomituritionem subjecta talia non inclinarunt, aut de cruditatibus aliunde jam præsentibus justa non adfuit suspicio, utrumque omisimus.

De V. S.ne administranda duplex pariter dubium oriri potest: unum quidem ob morbi malignitatem, quæ per sanguinis detractionem & imminutionem evacuari non potest: alterum ob ætatem juniorem, utpote quam utplurimum infestavit hic morbus. Sed facile ad ea respondetur: Etsi enim per V. Snem non omnis, tamen pars materiæ malignæ saltem aliqua aufertur, insuperque sanguis residuus majori libertate movetur & facilior etiam fit secretio per insensibilem transpirationem atque udorem, in morbis epidemicis perquam necessariam. Aetas puerorum ut ut alias (quod tamen meticulositati potius, quam eorum, qui desuper suam firmare mentem sustinent, cultiori paululum judicio adscribendum esse reor,) contraindicet sanguinis missionem, nostro tamen in casu ponderosiori ex fundamento requiritur, ob metum nempe *anginosarum in-*

(m) An sub reliquo morbi decursu quoque *cathartica* exhibere liceat, inferius notabitur.

flammationum, in ægrotis noſtris omnibus vel jam præſentium, vel imminentium. Huc accedit, quod adlata morbi theoria, una cum experientia, ſatis manifeſtarir, ſtatum ſanguinis in Epidemia hac fuiſſe omnino *coagulatorium*, viſcidum, & ſero omni deſtitutum; an igitur de V. Sne in hac rerum circumſtantia vel probanda, vel reprobranda, cuiquam dubium ſupereſſe amplius valeat, non video. Venæ Snem in *juniorum* quoque ætate aliquando, & in acutis præſertim, eſſe proficuam, teſtatur SYDENHAMIVS *Opp.* ſuorum *Sect. IV. Cap. 6. de morbillis.* Vid. *Acta Erud. Lipſ. An. 1690. Menſ. Jun. p. 297. & Ephemerid. Acad. N. C. Dec. I. Ann. III. Obſerv. 55.* ZACVTVS LVSITANVS ex AVERHOE obſervationem practicam adducit, quod *in puerulo trium annorum angina correpto, talis V. S. cum evidenti emolumento inſtituta fuerit.* Sic quoque citat. *Ephemerid. Acad. N. C. Dec. III. Ann. X. obſ. 245.* de V. Sne *puerulis bimulis, trimulis, quinquennibus, ſeptennibus*, &c. *utiliter adhibita*, exempla in medium proferunt. Vide, quæſo, deſuper THIERMAIRIVM noſtrum, & OSW. GREMBSIVM; illum in *Conſil.* hunc in *arbore ruinos. Lib. I. C. 3.* ab extraneis quoque hac ſuper re honorifice citatos, prout videre eſt in *Mantiſſa* annexa *Spec. I. Satyr. Med. Sileſ. p. 85.* Conſtat mihi, quod hic *Monachii* olim frequentius in infantibus paucarum ſeptimanarum, extra omnem morboſam adflictionem, tantum præſervatorio ſcopo V. S. inſtituta fuerit. Quæ forſitan cauſa eſſe potuit, quod JOAN. FVCKSIVS, *Ser. ac Pot. Princ. Elect.* MAXIMILIANI I. BAV. DVC. *Conſil. Med. Cubic. nec non Comes Pal. Cæſ.* ſuum concinnarit *Compendium, de abuſu purgat. & ſangu. detract.* an. 1629. hic locorum in 8vo editum.

JO. LEON. BOSCIVS Profeſſ. Med. Ingolſt. Bavaricus in *Tract. de Peſte*, ducentos ferme ante annos publicato, in Lue etiam peſtifera ſanguinis miſſioni his patrocinatur

tur verbis : *Missionem sanguinis, præter eam, quæ cucurbitulis fit, quidam, ex quorum numero* FRACASTORIVS *est, minime admittunt. Et sane, nisi ab initio mittatur sanguis, non poterit non postea, ubi prostratæ fuerint vires, esse periculosum. Attamen fere Medici omnes alii fatentur, ab ipso morbi exordio, constantibus adhuc viribus, ætateque permittente, si nusquam tumor adpareat, vel exanthemata, secandam esse venam. Quibus autem ob ætatem incidere venam minus fuerit tutum, his phlebotomiæ loco extrema corporis membra scarificentur, & scarificatis cucurbitulæ adponantur. Hæc est omnium fere medicorum de mittendo sanguine in Peste censura, præter experientiam solidissima etiam firmata ratione.*

Si hæc valent in *Pestilentia*, eccur non etiam in *purpura?*

In hac Bavariæ Metropoli circa an. 1664. cum juniorum medicorum alicui nervos roderent, ob administratam in puella quinquenni, erumpentibus jamjam variolis, venæsectionem, Practici nonnulli a V. Sne simili in adfectu ac ætate præter rationem abhorrentes, ad MALACHIAM GEIGERVM, Medicum Electoralem Bavaricum, Praxi & theoria longe clarissimum, quæstio devoluta fuit : *An in puella quinque annorum, habitus firmioris, febre correpta, erumpentibus post paucas horas rubris quibusdam pustulis in fronte & cervice, sed paucis, parvis & parum exertis, morbillis simillimis, possit tuto sanguis mitti, saltem ad uncias quatuor?* ubi vir celeberrimus, ex artis præscripto juvenem doctissimum fecisse, palam pronuntiavit. Huc opportune faciunt, quæ apud JOAN. FREINDIVM de vena incidenda, etiam post eruptionem variolarum, erudite non minus, quam solide congeruntur *Epist. de purgation. in secunda Variolar. confluent. febre adhibend. p. 53. sqq.*

De reliquo præter hactenus adlegata scripta, hic quoque conferri merentur Illustr. b. m. STAHLII *Dissert. de V.S.*

in febb. acut. nec non RVD. JAC. CAMERARII *Differt. de Abusu Venæsectionum.*

Sed adlata hactenus de V. Sne in adfectu nostro celebranda, non nisi cum limitatione, relatione, adplicatione subjecti & virium consideratione intelligenda sunto. Harum circumstantiarum intuitu non promiscue omnibus, sed iis potissimum, & quidem sub ipsius morbi initio, primis ab invasione horis, venas secuimus, cucurbitulasque cruentas substituimus, qui, præter congestiones ad oris interiora sanguineas, ex hæreditaria dispositione moliminibus hæmorrhagicis non raro obnoxii, aut in calido climate, aut diæta calida educati, vel V. Snem, vel hæmoptoën jam iterato juniori in ætate perpessi fuere. Dolemus interea, immo quam maxime dolemus, venarum in pedibus quoque incisionem rarius omnino institutam fuisse, juxta commendationem inprimis Dn. D. SYLVA *Traité de l'usage des differentes sortes de Saignées, principalement de celle du pied.*

Diæta porro exigebatur tenuissima, nihilque nisi juscula vel per se, vel ex Hord. aut aven. excort. & succ. citr. aut acet. vin. parata admittebantur. Potulenta fermentantia abesse jussimus, temperata solum frequenter & largiter concedendo, quorsum pertinebant aqua simplex, potus Thee, veronicæ, (n) aqua c. pan. tosto & flaved. cort. citr. deco-

(n) *Potus calidi Thee usus opportunus est ad vasa leniter stimulanda, humores versus cutem propellendos, & hanc apte relaxandam: si regressum exanthemata minantur, vel faciunt,* verba sunt supra cit. P. GERICKE *Differt. de Purpura § XXVIII. p. 25.* In casu tamen nimiæ massæ humorum rarefactionis, usum ejus vitandum caute monet, quia sudores copiosiores movet, & sanguinem hinc spissiorem reddit. Vid. *Theophili Boisleau* ficto, sed veriori nomine JO. FRID. KARGII, *Insign. Eccles. Colleg. ad D. V. Monachii olim Decani,* kurtze Vorstellung des

decocta c. gutt. aliquot spir. vitrioli. Decoctum Hordei cum rasura C. C. & rad. scorzonerae omnium erat optimum. Ante omnia vero prospiciendum erat, ut aër, aegrotantes ambiens, neutiquam nimis calidus, attamen *temperatus* existeret; sane enim vix ullum genus exanthematum ab intemperato aëre facilius alteratur, quam istud febri *miliari* proprium.

Aegros propterea continuimus in conclavi moderate calefacto, stragulis non adeo densis coopertos, lectum vero munivimus conopeo, ne aër incongruus a fenestris aut januis liberius posset impetere decumbentes. Alvum adstrictam nunquam sollicitavimus; (o) sin tamen alvina de-

Gebrauchs und Nutzens des heilsamen Theé wider etlicher Atheeisten ungütige Meinung. München 1687. in 8vo gedruckt. Sic quoque in *Annal. phys. med. Wratislaviens.* passim commendantur, sanguinem diluendi scopo Infusa Theiformia, e. g. ex herb. Millefol. Beton. Tussil. Veronic. Scord. Fumar. &c.

(o) Contrario modo procedere solent Medici Batavi, qui, praeeunte JO. FREINDIO *Epist. de Purgationibus in secunda Variolarum confluentium febre adhibendis*, praesentibus certis indicationibus, non tantum Enematibus, etiam acrioribus. verum exhibitis quoque catharticis paulo valentioribus, *purgationem* circa 8. 9. & decimum diem, non sine euphoria, saepe instituunt, in ipso febrium maculosarum acutissimarum curriculo. Ast apud nostros, qualem apud Arabes olim fuisse eorum monumenta perhibent, tantus etiamnum est timor, ut in ejusmodi febrium incremento statu, ac declinatione, ventrem praemuniendum potius, quam movendum esse censeant, eo usque anxii ac scrupulosi, ut ex quo febris interquievit, etiam nonnisi post longius dierum intervallum purgandi viam nimis meticulosi sustineant. Memini me olim in Adnotationibus M. S. queis clariss. Dn. D. MORASCH p. m. suasmet *Praelectiones Academicas locupletavit*,

jectio naturalis sponte sequeretur, scutellam ligneam admoveri curavimus, ne patientes sese erigere vel lectum deserere opus habuerint. Animi pathemata graviora omni modo evitanda fuerant. (p) Morbo superato diætam laudabilem continuavimus, tandem exhibito purgante blandiori, quod restabat in corpore vitiosi, & collectæ per morbi decursum cruditatis, evacuavimus. Et hac ratione, qui a febre dicta liberatis ordinarie supervenit tumor pedum, vel capitis, omnino itidem evanuit.

Appendicis loco adnectere placet supra adductam illam decisionem casus, *circa venæsectionem tempore eruptionis variolarum instituendam*, auctore videlicet jamjam nominato Clariss. Dn. D. GEIGERO.

Quæritur: *An in puella quinque annorum, habitus firmioris, plethorica, febre correpta, erumpentibus post paucas horas rubris quibusdam pustulis in fronte & cervice, sed paucis, parvis, & parum exertis, morbillis simillimis, possit tuto sanguis mitti, saltem ad uncias quatuor?* utpote quam exanthematum eruptionem sequebatur summa anxietas, summa sitis, summa anhelatio, crassum lotium; urebantur interna, externa tepebant; aderant levia deliria, vehemensque pulsus concitatio, & metuendum erat de febris malignitate, & magno quodam orgasmo. Eramus autem in hora decima sexta post febris invasionem.

RE-

legisse, quod *cum Ingolstadii Illustri cuidam adolescenti alvum constrictam per dies a superatis variolis omnino duodecim, Clysteris ope, Medicus ordinarius solvisset; sed secunda, ni fallor, die extincto, ab omnibus mortis causam in medicam injectionem conjectam fuisse.* Historiæ tamen huic plures circumstantias adjectas esse oporteret, ut probabile inde judicium formari posset.

(p) Accurata hujus regulæ observatione in malignis plus profici, quam pharmacorum multitudine, melioris notæ fatentur Practici, queis licuit rerum cognoscere causas.

RESPONSVM.

Tametſi Practici noſtrates (nempe Bavarici ,) raro admodum ſecare venam ſoleant, præcipue in ſimili adfectu ; tamen cum non de facto, ſed de jure quæratur, & non quid fiat, ſed quid fieri debeat ex artis præſcripto, rogetur, cenſeo, venæſectionem, dummodo vires, & aliæ circumſtantiæ eam permittant, non utilem modo, ſed etiam neceſſariam eſſe ; & quidem in hac puella, in qua plethora, febris acuta, omniaque illa ſymptomata obſervantur, quæ copiam ſanguinis, & febris ardorem ſequi conſueverunt.

Ita autem ut ſtatuam, movet me primum AVICENNÆ auctoritas qui ***Lib. IV. Canon. Fen. 1. tract. 4. cap. 10.*** ſanguinis miſſionem hiſce in adfectibus ſuo calculo probat. Deinde rationes ſequentes : 1) quia venæſectione ſuperflua ſanguinis quantitas prompte atque expedite imminuitur ; 2) quia natura, aliqua oneris parte detracta, quod reliquum eſt, facilius ſuperat ; 3) quia evacuata materiei portione, exanthematum & variolarum multitudo inhibetur, ſicque corpus minus deformatur, & multæ partes abinde defenduntur ; 4) quia conjuncta febris mitigatur, ſive ſynochus putrida ſit, ſive putredinis expers, habitus corporis refrigeratur, & ſymptomatum obtunditur vehementia. Volo autem phlebotomiam in principio ſtatim adminiſtrari ; motus rurſus auctoritate AVICENNÆ, primo, quia in principio vires adhuc conſtant ; ſecundo, quia ſanguis in principio nondum in magna quantitate ad corporis circumferentiam fluxit, ſed adhuc majori ex parte in illius centro, ipſis ſcilicet vaſis, conſiſtit : nec deterreat meam, de venæſectione adminiſtranda, opinionem macularum illarum, pulicum ſtigmata referentium, in principio ſtatim eruptio, quæ ſymptomatice hic, non critice contigit, febrim minime

me mitigavit, ſed fomitem potius conſtituit materiæ malignæ in vaſis effervefcentis, & naturam, aut quantitate gravantis, aut qualitate ad excretionem ſtimulantis, aut utraque moleſtiam illi creantis, uti ſupra jam dictum. In hoc autem motu venam ſecare licet, ut redundantia illius minuatur, &, veluti GALENUS *Lib. I. method. medendi cap. 15.* loquitur, levata natura, excretoque eo, quo, tamquam ſarcina, premebatur, reliquum, quod eſt facilius, domet, vincat atque expellet.

Cæterum, an in hac tenella ætate, nempe puella quinque annorum, liceat ſecare venam, nec ne? contra GALENI doctrinam, qui non vult, ut pueris ante decimum quartum ætatis annum ſanguis mittatur, quæſtio eſt; negat hoc GALENUS *Lib. IX. meth. med. cap. ultimo*, item *Lib. II. meth. med. cap. 14.* nec non *comment. 4. in Lib.* HIPPOCRATIS *de victu acuto Seſſ. 19.* rationem hanc adferens: quoniam corpus habent calidum, humidum, tenerum, rarum ac patens, quod cum per ſe ac ſponte ſua per meatus cutaneos evacuetur quotidie, nova artificiali vacuatione minime indiget, calor enim nativus multum ſpirituum humidæque ſubſtantiæ per patentiores corporis meatus diſſipat, atque excernit; ſecundo quia pueri juxta HIPPOCRATEM plurimo opus habent nutrimento, non tantum pro corporis ſuſtentatione, dum, uti jam dictum, ſpirituoſa humidaque ſubſtantia per cutis poros, ob caloris copiam, haud mediocriter tranſpirare ſolet, verum etiam pro ejusdem incremento: at ſanguinis miſſione, & nutritionis, & accretionis materia pueris ſubtrahitur. Tertio quia pueri ſunt humidi, unde accidere facile poteſt, ut in ſymptoma aliquod ſatis ſonticum incidant ex venæſectione.

Verum hoc non ſimpliciter de omni venæſectione, ſed tantum de pleniore illa, veteribusque inprimis ſolemni, intel-

intelligendum esse FERNELIUS, FUCHSIUS, ARGENTERIUS, & alii monent; veteres enim in mittendo sanguine admodum fuerunt liberales; moderatam vero, nostroque tempore usitatam sanguinis ventilationem, quæ tum viribus, tum adfectus magnitudini aliqua ex parte respondet, tuto, conmodeque pueros ferre posse, præsertim si sunt sanguinei, carnosi, robusti, plene ac liberaliter educati, quibus amplæ venæ cocto puroque sanguine tument, & adfectus aliquis, gravis v. g. ***peripneumonia, pleuritis, angina, hepatitis, febris continua, petechialis, morbilli***, aut ***variolæ, hæmorrhagia narium***, & ***plethora*** imminet, quæ tum vasorum ruptionem, tum caloris nativi extinctionem, minatur, ratione, experientia atque auctoritate præstantissimorum Medicorum doceri potest.

Ratio prima est, quia Medicus naturam bene operantem imitari debet; at natura interdum motu spontano in- & extra morbos sanguinem in pueris e naribus profundit, uti quoque in moribillis & variolis accidit, nulla corporis, aut virium jactura.

Secunda ratio est, quia puerilis ætas ob caloris, sanguinis & spirituum copiam suis iisque sat robuistis instructa est viribus itaque urgente necessitate, sanguinis detractionem, viribus & adfectus magnitudini proportionatam, tolorare potest.

Tertia ratio est, quia in casu necessitatis purgantia pharmaca puerulis offeruntur, cur ergo & venam iisdem secare dubitaremus? multo enim tutius detrahitur sanguis, quam corpus purgatur; venæ enim sectio in nostra potestate sita est, ut sistere sanguinis fluxum liceat, quandocunque libuerit, secus autem res se cum purgatione habet, ubi factum infectum fieri nequit: quod enim semel in ventrem ingestum est pharmacum, quo minus totum ingestum sit, fieri non potest, nec licet, ubi plus justo jam purgatur homo, partem ejus, quod est oblatum, auferre, quemadmodum GALENUS *Cap. 12. de sangu. miss.* & *Libro de venesecta adversus Erasistratum Cap. 7.* monet.

Quarto quia GALENUS hoc in capite præcipit, non ad numerum ſolum annorum animum advertendum eſſe, ſed & ad corporis habitum & vires, quare, ſi licet, & ſenibus interdum & ſeptuagenariis, (quos tamen & idem GALENUS *cap. 6. & 9.* hujus Libri, nec non *Lib. I. ad Glaucom. cap. 4. & comm. 3. Libro de victus ratione Sect. 19.* a veneſectione immunes pronunciat,) ſanguinem mittere, quidni & pueris eum liceat mittere.

Experientia vero in promptu eſt, immo AVENZOAR, qui, ut AVERRHOES teſtatur, filio ſuo trimulo utiliter venam ſecuit, deinde FERNELIUS, qui obſervaſſe ſe ait, quinto & ſexto ætatis anno tres, quatuorve ſanguinis uncias *pleuritidem*, interioresque inflammationes, & his graviores morbos perſanaſſe.

Huc & auctoritas *Cornelii* CELSI, *Hipocratis latini*, accedit, ſic *Lib. 2. cap. 10.* ſcribentis: *Si juvenis inbecillis eſt; aut ſi mulier, quæ gravida non eſt, parum valet, male ſanguis mittitur, emoritur enim vis, ſi quæ ſupererat, hoc modo erepta. At firmus puer, & robuſtus ſenex, & gravida mulier valens tuto ſic curantur*, itemque ipſiusmet GALENI auctoritas venæſectionem in pueris ſalutarem eſſe confirmat: nam *Lib. 1. cap. 14. ad Glaucom.* dicit: *Minus detrahimus, quam plenitudo imperet, per ætates quidem in pueris, per corporis habitum in iis, quibus mollis teneraque eſt caro, & candidis, quales ſunt Celtæ: per tempus autem ſub cane: ſimiliter vero per regiones temporumque conſtitutiones*, quibus verbis etiam id probat, quod ſupra a nobis dictum fuit, nimirum pueros a venæſectione immunes eſſe, non tamen ſimpliciter & abſolute ab omni, ſed tantum a largiori.

Quod ſi objiciatur: Tenella puerulorum corpuſcula vena ſecta diſſolvi, viresque debilitari; tunc reſpondet FERNELIUS: Primo negando, tantum enim abeſſe, ut ſanguinis quantitate, viribus, ætate, regioni, anni tempori & magnitudini adfectus accommodata detracta, vires deijcian-

jiciantur, ut etiam magnopere juventur ac reficiantur; causa siquidem morbi tollitur, symptomata mitescunt, ipsaque natura onere, quo premebatur, levatur.

Secundo concedendo; posito enim, quod per phlebotomiam virium robur in pueris frangatur, tamen, cum inter tuo mala minus eligendum sit, præstat, secta vena vires quodammodo minuere, quam neglecta illa in vitæ discrimen, quod a magnitudine morbi imminet, ægrum præcipitare.

Phlebotomia itaque in hac puella morbillis laborante, & acriter Febricitante, & quidem in principio morbi statim instituenda est. Ratio ab auctoritate HIPPOCRATIS desumitur; is enim *Aphor. 29. Sect. II.* scribit: *Incipientibus morbis, si quid movendum videtur, move: nam iis vigentibus quiescere satius est;* & *Aphor. 10. Sect. IV.* ait: *Purgandum est in peracutis morbis, si humor sit efferus, eodem ipso die, cunctari etenim in hujusmodi adfectibus calamitosum, siquidem dilatio vitæ discrimen creare solet.*

Qua propter quicunque de variolis & morbilis scripserunt, unanimi consensu in sanguinis missione convenerunt, præsertim peritiores, doctioresve in arte. Videatur *Daniel* SENNERTUS *Institution. Med. Part. II. Sect. I. cap. 17.*

Itaque in nobilissima puella quinquenni, habitus firmioris, plenioris & bene nutrita, dum paucis variolis, seu morbillis, aut petechiis adfligebatur prudenter in principio venesectio a clarissimo viro instituta, concurrentibus symptomatibus, *dolore capitis intensiori*, immo *vigilis*, inde cum *sonnolentia*, *siti*, *calore vehementi*, *inquietudine*, *anxietate maxima*, *pulsu celeri & inæquali*, *dolore ventris*, *levi delirio urinis crassioribus*; neque obstat ætas, passim enim in *Gallia*, *Hispania*, *Italia*, & regionibus calidioribus felici cum successu exercetur: immo plerumque, si illa ommittitur, tunc maxima ex parte ægrotantes tales succumbunt; indicationes enim a morbi magnitudine, causis, viribus &

 tem-

temperamentis desumitur ; ætas vero non annis, sed secundum vires dimetienda. GALENUS jam in subjectis octo annorum ausus est mittere sanguinem. MERCATUS in infante Regio trimulo, itemque RIVERIUS, nec dissentit *Horatius* AUGENIUS , alvo etiam fluente, si nempe ab excretis alui fluxu, non sublevantur ægri, atque febris majora incrementa capit, prout in in præsenti casu.

Neque obstat GALENI auctoritas supra allegata, inhibens venesectionem ante quartum annum ; hoc enim intelligit de adfectibus levioribus, & de larga sanguinis missione, prout fieri solebat ad animi usque deliquium : nam venesectio parva etiam repetita movet a centro ad circumferentiam, ut doctissime explicat ZACUTUS *Lusitanus*, *Petrus a* CASTRO, MERCATUS & alii.

Excretiones vero symtomaticas malignas fuisse, exitus infelix comprobavit, nempe hæmorrhagia sine levamine, dejectiones nigræ, maculæ varii coloris, cum morbillis, seu variolis.

Haud igitur mirum, venenata putredine intensioris gradus nobilissimam puellam obiisse, vix millesimus enim evadit inter tot symptomatum syndromen, quibus nec Æsculapius, nec Hercules restitisset. Secundum rationem ergo & methodum, qua decet, omnia ab ingeniosissimo & doctissimo Juvene instituta adferimus. Verum fatis cedendum, & felix ille Medicus, qui inciderit in morbos natura curabiles: ast in *epidemicis*, *peracutis* divinum quid elucet, incerta sunt prognostica ; quod vero malum prævaluerit, & natura succubuerit, non remediis methodice adhibitis, sed fato & legi divinæ adscribendum, siquidem secundum SENECAM.

Fatis agimur, cedite Fatis ;
Non sollicitæ possunt curæ
Mutare rati stamina fati,
Quidquid patimur mortale genus
Quidquid facimus, venit ex alto

Poma

Poma ut in arboribus pendent sic corpora nostra
Aut matura cadunt, aut cito acerba ruunt.
Itaque absit dolor;
Absint inani funere Neniæ,
Luctusque turpis, querimoniæ:
Æterna hæc, & a Deo lex est, nasci, denasci, oriri & aboriri.

Malachias Geiger,
Electoralis Proto-Medicus &
Chirurgus Monacens.

Supereſt porro, ut quæ mens de morbo noſtro, quique curandi modus tunc temporis ad nos tranſcriptus fuerit ab Excell. Dn. D. PRAUN (q) hic quoque adjiciamus.

P. P.

Nachdem der Urſprung des Febris miliaris entweder dem ſuperfluo tenui, acriori ſero, a ſuppreſſione transpirationis inſenſibilis per frigus hiemale inducta, oder auch zugleich einiger ſtaſi ſanguinis, qua talis, ex ipſius nimia ſpiſſeſcentia oriunda, zuzuſchreiben, welches bey jetzigen morbo, inter Juvenes Illuſtres epidemice graſſante, ex tumore anginode, mit welchem es alle zuſammen anzugreiffen pfleget, ſich deutlich zeiget: als wäre meines unvorgreifflichen Dafürhaltens, die Cur ſub regimine diapnoico, mit ſtaſin ſanguinis reſolventibus, & ſeri acrimoniam corrigentibus folgender maſſen vorzunehmen:

1.) Per venæſectionem ætati competentem das Geblüt zu ventiliren.

2.) Si indicatio urget, ein Vomitorium ex Hypecacuanha zugeben;

3.) In warmen Zimmer Hrn. Hrn. Patienten in æquali tepore zu erhalten, ſonderlich den Hals mit 5. oder 5. fachen Flor wohl zu verſorgen; von Mitternacht 12. bis Mittags 12. Uhr nichts als Thee trincken laſſen; von Mittage 12.

q) Eſt is Reverendiſſ. Princip. *Campodun.* Archiater & Phyſicus Urbis Imperial. *Campod.* Ordin. cujus de Magneſia alba Epiſtola inſerta legitur in VALENTINI *Praxi infallibili*.

bis Nachts 12. aber ad temperandum nimium æstum von der Ptisana No. 1. lau, nach Durst. Bey dem Mittags- und Nacht-Essen giebt man zur Stärckung des Magens etwa ½. Viertel lau Brod-Wasser mit 2. bis 3. Löffel voll Quitten-Wein, welches auch in Schwachheiten omni tempore Platz hat.

Von der Fieber Essenz No. 2. giebt man Morgens im Thee, Abends in der Ptisana, jedesmahlen, ætati convenientem dosin, gtt. 20. 26. 30. 36. ein.

Horis intermediis aber alle 4. Stunden 4. Löffel voll von der Mixtur No. 3.

In diæta wird alles sauer, gewürtzte und scharf-gesaltzene, Wein und kaltes trincken zu meiden seyn.

Ob und was die Vesicatoria bey zunehmenden Hals-Geschwulst vor Nutzen gebracht, wird vielleicht ex usu schon bekannt seyn.

GOTT wende alles Ubel von Hochwürdigen Gottes-Hauß in Gnaden ab, und erstatte vollkommene Gesundheit.

Kempten den 31. Jan. 1734.

Otto Phil. Praun
Med. Dr.

***

Rec. Ras. C. C. Paff. min. ana Vnc. ij. Rad. Liquir. Drachm. vj. Nitr. depur. Drachm. ij. vel iij. Sem. Anis. Drachm. iß. Conc. & cont. M. decoqu. c. addit. Hord. crud. man. iij. in Aqu. simpl. Mens. IV. ad consumt. Mens. j. Col. S. Ptisana No. 1.

Rec Essent alexiph. Claud. Vnc. jß. S. Fieber Essentz No. 2. Rec. Aqu. Flor. Samb. ceras. n. ana libr. ß. Oc. cancr. ppt. Antimon. diaph. Marg. or. ppt. ana Drachm. j. Flor. Sal. ammon. Scrup. ij. Sacch. ad grat. sap. M. S. Mixtura No. 3.

Der Herr Med. Ord. wird nechst höflichen Empfehl ersucht / davon und dazu thun / pro indicationum exigentia, dessen prudentiæ practicæ alles submitiret wird.

D. JO-

D. JOANNIS CONRADI TRUMPHII
MEDICI OPERARUM METALLICARUM
SYLVÆ HERCYNIAE INFERIORIS, QUÆ SERENISS.
DOMUI BRUNSUICO - LüNEBURGICÆ SUBEST,
ORDINARII ET ACAD. NAT. CUR.
COLLEGÆ

OBSERVATIONES
PATHOLOGICO-PRACTICÆ
DE
PURPURA,
PER ANNOS 1737. & 1738. IN CONFINIIS GOSLARIÆ EPIDEMICE GRASSANTE.

§. I.

Duobus proxime elapsis annis, nempe 1737. & 1738. regio nostra circa urbem Goslarianam, immo urbs quoque ipsa, morbo vere epidemico fuit infestata, febre nempe exanthematica, cum purpura aut petechiis conjuncta. Equidem sæpius contingit, ut præcipue tempore hiemali & vernali ejusmodi Febres hicce locorum grassentur; verum in tanta frequentia easdem observatas, atque adeo perniciosas, uti hac vice, unquam fuisse, vix ullus incolarum recordari poterat. Anno 1737. tempore verno frequentiores jam jam deprehendebantur, quam alio; parum tamen idcirco curabantur. Æstate denuo recurrebant, sed more non plane insueto. Ast enim vero subsequente tempore tam ob gravitatem symptomatum, quam majorem frequentiam metum incutiebant non levem.

§. II.

Purpura, quando morbum denotat, vox jam est, hisce in locis admodum formidabilis. Non nova est purpura miliaris, siquidem majoribus nostris jam nota fuit. Neque insolitum est, distinguere purpuram in *scorbuticam* & *cum febre complicatam.* Nota quoque est distinctio ejusdem in *rubram* & *albam.* Verum an morbus, hicce, prout hodie observatur, quoad omnes sub ejus decursu occurentes circumstantias, majoribus olim cognitus fuerit, ambiguum forte manet. Persuasum est nostris civibus, ante triginta annos illum plane fuisse incognitum, immo Medicum quendam nostratem veteranum miratum fuisse referunt, quod nova excogitentur nomina, nullum plane usum inferentia, & majorem in medendo difficultatem excitantia, qui tamen ipse dein confessus fuerit, cum similis æger ipsi occurreret, se non observasse hactenus talem morbum. Certum interim manet, aliis in terris purpuram non plane fuisse incognitam

nitam, dum v. g. jam An. 1650. Lipſiæ innotuit, quo tempore communis opinio fuit, ipſam per contagium a Polonis invectam eſſe; hinc etiam hodiedum alii ſuſpicantur, proveniſſe eam a populis Moſcoviticis, qui ſufficienti licet pecudum copia haud deſtituti, tamen quoque cadavera eorum comedere olim ſolebant. An vero origo exinde, aut ex aliis ſubſequentium temporum cauſis, deduci queat, determinare haud auſim. Forte autem ſub nomine *petechiarum* veteribus notum fuiſſe hunc morbum diceres. Extant equidem omnino aliqua ejusmodi veſtigia in Operibus *Hippocratis*, e. g. *Epidem. Lib. V.* ubi adducit ἐξανθήματα οἷα τῶν κωνώπων δήγματα, *puſtulas culicum morſibus non abſimiles*; it. *Lib. VII.* ἐξανθήματα δὲ ὀλίγον κνησμώδεα θερμὰ ὥσπερ πυρίκαυστα, *puſtulas pruriginoſas calidas, velut ambuſta cute*; it. *Coac. prognoſtic. Edit. Linden. p. 530.* οἷσιν ἐν συνεχέσι φλυζάκια κατὰ πᾶν τὸ σῶμα ἐκφύει, θανάσιμον: *Quibus per febres aſſiduas puſtulæ toto corpore enaſcuntur, lethale eſt*; de quibus locis tamen pariter nihil certi ſtatuere audeo. Ad componendam enim hanc litem requireretur ſedula Auctorum veterum lectio; talem autem eum potiſſimum in finem ſuſcipere non pateretur ordinaria laborum moles: neque is ego ſum qui judicem agere valerem. Vix ſe extricarunt in negotio, de *antiquitate Variolarum*, quod ſuſceperunt celeberrimus D. WERLHOFIUS, Patronus ad cineres colendus, & D. HAHNIUS, Medicus Wratislavienſis. Alii liti, an nempe HIPPOCRATES ſtet a parte mechanicorum, an hylarchicorum, implicavit ſe celeberr. GESNERUS, Profeſſor Gœttingenſ. ex libris HIPPOCRATIS *de Diæta* deciſionem peti poſſe exiſtimans; aſt dum laborem ſuſcipit in enodando, alium ſubingredi coactus eſt in emendando toto libro, ſeu corrigendo textu. Adeo difficile eſt, ex antiquis vera eruere. Nihil igitur moror circa antiquitatem morbi, de natura ejusdem

 potius

potius sollicitus, quam experientia duce, quousque licet, investigare nunc animus est.

§. III.

Requirere equidem naturalis ordo videtur, ut decursus morbi primo statim describeretur; sed de hoc ut tutius agam, haud necesse fore reputo. Videri de hoc potest, præter alios, dissertatio inauguralis b. D. & Profess. SCHMIDII Helmstadiensis, amici olim nostri, sub præsidio BOETTICHERI habita. Symptomata enim, quæ sub eo observabantur, nihil extraordinarii monstrabant. Notari tantum meretur, initium morbi non raro fuisse lene, sine graviori aliquo symptomate, illis saltem exceptis, quæ febribus catarrhalibus alias solemnia esse deprehenduntur; ast progressus morbi malitiam ejus satis prodidisse. Exanthemata enim in nonnullis proruperunt sine regimine calido, aut adhibitis ullis remediis. Ex quo palam fit, non excitatam fuisse remediis calidioribus purpuram, sed materiam illius antea jam in massa sanguinea latitasse. Verum est, multos sine remediis evasisse, sed verum quoque est, multos neci fuisse traditos, e quibus dubio procul plures fuerunt, qui sine Medico, aut remediis morbum tolerarunt. Indubium igitur manet, morbum huncce omnino fuisse malignum, qui nempe absque manifesta causa & indiciis sufficientibus crasi massæ sanguineæ & spiritibus corporis tantum destrinxit, ut œconomia animalis inde turbata & dissoluta fuerit.

§. IV.

Pauca hæc de morbi decursu notasse sufficiat, reliqua enim ex libris practicis facile hauriri possunt. Subjungimus ergo nunc definitionem ex dissertatione dicta b. *Schmidii*, utpote quam nostram hic facimus. Per purpuram nempe intelligimus *adfectum cutis, quo, facta speciali inquinamenti subtilis excretione ad corporis peripheriam, eadem coccineo*

cineo (ego addo : coeruleſcente , albo, rubello,) *tingitur colore, ſubſequente cuticulæ desquamatione*, (modo ſine, modo) *cum febre, ut plurimum continua, acuta, plus minus maligna, conjuncta.*

§. V.

Deſcriptio hæc clarior omnino reddetur, ſi differentiam conſideramus. Dividitur autem purpura communiter in *rubram* & *albam*. Obſervavit autem jam dum JOAN. LANGIVS, albam inſidere interdum rubræ. Mihi experientia ſequentes ſubminiſtravit differentias : Purpura eſt vel *cum febre*, vel *ſine febre*, quæ ultima alias vocatur *ſcorbutica* ; ea nempe ſanguinis temperies, ubi nimia ſalſorum adeſt quantitas, ſæpe emendatur excretione & depoſitione illorum naturali motu ad extrema cutis. Hinc in illa maculæ conſurgunt miliares rubræ, interdum quoque latiuſculæ, in nonnullis, præſertim ſenibus, lividæ & coccineæ, prurientes, ſalutari cum effectu conſpiciuntur. Purpura cum febre eſt, vel cum *febre maligna*, vel cum *benigna*. Si motus febrilis non inſidias ſtruit principio vitali, (de quo nunc non diſputo, quale illud ſit,) cum febre *benigna* conjunctam eſſe purpuram, merito ſtatuendum eſt, quamvis motus febrilis ſit vehementior ; ſi autem contraria adſunt ſigna, quæ hic deſcribere non vacat, ſed facile ex libris pathologicis peti poſſunt, *maligni* moris eſſe febrem communi loquendi modo exiſtimamus. De tali febre valet illud vulgare dicterium : *Vrina bona, pulſus bonus, æger moritur.* Ego ſemper de maligna ejusmodi febris indole timui, quando tædium, aut iram graviorem, itemque mentem ægroti mortis præſagam obſervavi. Talis modi maligna purpura communiter dein diſtinguitur in *rubram* & *albam*. Experientia ſedula & attenta plures dein ſuppeditat ejusdem diſtinctiones : Datur enim purpura *rubra miliaris, rubra petechizans, rubra cum petechiis intermixtis, rubra*

cum intermixta alba, rubra quæ in pustulas albas, seu parvulos furunculos, elevatur, purpura sic dicta, sed *pura alba*, in qua scilicet conspiciuntur vesiculæ cum sero tenui, vel albo, vel flaviore, nunc majores nunc minores, tandem purpura *rubra & alba cum furunculis*.

§. VI.

Hasce differentias hactenus experientia propria suppeditavit. An omnes attigerim, illi dijudicare valebunt optime, quibus hic morbus sæpius occurrit curandus; animus enim hic non est exactam dare hujus morbi tractationem. Hinc & libere fateor, quamvis non obiter hoc in morbo tractando sim versatus, me tamen nondum firmum invenisse fundamentum statuendi, cuinam temperamento vel rubra, vel alba, potissimum quasi propria esse soleat, & ex qua causa differentia illa suam in primis originem trahat. Admodum probabile tamen esse existimo, quod alba maxime ex sero sanguinis, a naturali diathesi plane deficiente, oriatur.

§. VII.

Causas proximiores nunc lubens mitto, cum præsentis non sit instituti, eas exactius rimari: id tantum judico de remotioribus, secundum aliorum, propriamque meam observationem, quod miasma speciale in aëre latitaverit. Constat enim, illos, qui ratione officii magis sese liberiori aëri exponere coacti fuerunt, sive elatioris, sive humilioris fuerint sortis, præ aliis hoc morbo fuisse correptos. Neque tamen negari potest superiori anno complures ex contagio huic non solum morbo, sed & morti ipsi obnoxios redditos fuisse.

§. VIII.

In quo vero hoc miasma consistat, & qua ratione in aëre extiterit, dictu non est adeo facile. A metallis aërem fuisse infectum, vix probabile est: nam & in aliis locis, uti

Halberſtadii, ſtragem non levem edidit idem morbus, ubi tamen aër nullis effluviis metallicis eſt inquinatus. Si quis forte cereviſiæ noſtræ, præ aliis meliori, culpam tribuendam eſſe, contenderet, is itidem per experientiam refelli poſſet, qua conſtat & illos locos, qui generoſiori non gaudent cereviſia, haud liberos fuiſſe a pernicioſo hoc morbo. Multo minus ii fidem merentur, qui potui Coffee attribuunt cauſam remotiorem hujus mali, uti id relatum legitur in novis litterariis Hamburgenſibus. Mea enim qualicunque experientia utique evinci poteſt, dimidiam eorum partem, qui purpura laborarunt, vix olfactu decoctum iſtarum fabarum percepiſſe. Vero igitur ſimillimum videtur miasma illud ſpecificum, quod tam pernicioſum in corpore humano produxit motum, hæſiſſe in atmoſphæra.

§. IX.

Verum cujus potiſſimum naturæ & indolis ſit iſtud miasma, ſpecialius nunc determinare non ſuſtineo, quoniam, præeunte SYDENHAMIO, nimis id eſt difficile. Equidem in dicta diſſert. b. SCHMIDII, *de Purpura rubra*, non conceditur, confugiendum eſſe cum SYDENHAMIO ad miasma quoddam in aëre occultum, ſed a qualitatibus ſenſibilibus, calore, frigore, pluvia, aut ſiccitate morbos tales facile poſſe deduci. Mihi vero probabilius videtur, quod, quoniam genius morbi varius eſt, varia hinc quoque debeat eſſe cauſa, eundem producens. Hinc, dum nobis dictæ tantum qualitates aëris innoteſcunt, contenta vero atmoſphæræ haud ita patent, quamvis eo usque ſcientia noſtra procedat, quod omnino varia debeant illa eſſe, nempe ſalina ſulphurea, terreſtria, &c. merito hinc ſtatui poteſt, hærere in atmoſphæra occultum miasma, hunc vel illum morbum procreans. Non negari interim poteſt, aëris ſenſibiles conditiones ſymbolam ſuam huc

quoque contulisse. Nam, ut omittam, aërem nostrum in universum multo magis esse humidum, quam in aliis terris, certum utique est, quod etiam hisce annis non solum humiditate, sed & inconstantia & insolita temperie noxam sat gravem intulerit. Esse eum valde humidum inde probo, quod anno 1728. quantitatem pluviæ & nivis observaverim decem pedum Londin. dum Parisiis viginti digiti tantum, Ulmæ triginta saltem, & quod excurrit, adnotati fuerint. Sic quoque a mense Junio 1737. usque ad Januarium 1738. inclus. 5. ped. 3. dig. 5. lin., porro 1738. a mense Julio usque ad Decembr. inclus. 5. ped. 1. dig. 2. lin. adnotavi. Præter hanc vero humiditatem aëris, proxime elapsis annis insolitam & tempori minus convenientem, passi quoque sumus tempestatem, quæ plerumque humida fuit & pluviosa. Hinc venti sicci, uti orientalis & septentrionalis, (O. & N.) fuere rariores, frequentiores autem humidi, uti Zephyrus. Orientalem, seu Eurum hieme præterita plane non observavi. Exinde forte minus bene sanitati humanæ ominari licuisset, nisi certum esset, quod divina clementia sæpe mala illa, ex mala tempestate timenda, avertat. Itaque præterito vere febres maximam partem, fuere intermittentes tertianæ, nostro in loco non valde perniciosæ, aut diuturnæ. Verum jam non de præsagiendis morbis, sed causis purpuræ sermo est.

§. X.

In vermibus fortasse quærendam esse causam morbi aliquis diceret; minimum plebeji sæpe sæpius malum vermibus adscribunt. Peculiare equidem id fuisse hocce in morbo, quod lumbrici perquam frequenter sint excreti, non diffitemur; neque etiam insolitum est, in morbis acutis æque, ac chronicis, ab adultis etiam excerni lumbricos. Verum hoc fortasse insolitum est, ab omnibus ægrotis tales excerni. Excretionem hanc lumbricorum per 18.

men-

menses frequentem fuisse, animadverti, deinde raro talis deprehendebatur; hacce vero æstate iterum solemnis fuit. In omni cæteroquin ætate & utroque sexu hæc excretio observata est, quæ tum per os, tum per anum fiebat. Multoties anxietas per eam tollebatur, sed morbus ideo non cessabat; sæpe enim, durante morbo, aliquoties lumbrici ejiciebantur. Absonum igitur esset, causam morbi hujus potissimum vermium præsentiæ tribuere. Minime ab hisce lumbricis excretis producitur morbus; sed exiliores deberent esse vermiculi, quales hodierno tempore armatis oculis quidam conspiciunt, tum in statu naturali, tum præternaturali; sed hanc litem dirimere jam non lubet. Consideravi quidem in proprio meo corpore purpuram rubram & albam per microscopium, sed non nisi serum pellucidum rutilum in utraque conspiciendum se præbebat. Si vermes in statu naturali deteguntur, id concipio ita, quod particulæ subtiliores in motu videantur, non vermiculi; in statu autem præternaturali fortasse non possunt negari. Adeoque certum hoc manet, a lumbricis nequaquam posse deduci causam purpuræ; in aëre autem miasma hæsisse manet probabile.

§. XI.

Invasit autem perniciosus hicce morbus variæ ætatis, temperamenti & sexus homines, excepta ætate puerili. Infantes enim fere omnes & singuli ante initium hujus maligni morbi purpura benigna laborarunt, eamque feliciter superaverant. Quantum quidem recordari possum, ex infantibus hocce morbo laborantibus nullus mortem oppetiit, quamvis in nonnullis status periculosior fuerit. In plurimis autem tunc Leucophlegmatia, in paucioribus Hydrops relinquebatur, nec tamen inde aliquis decessit. Pauci quoque infantum eo tempore variolis extincti sunt, sed plurimi illas feliciter superarunt, dum e contrario, decre-

scente

ſcente ſævitia purpuræ, variolæ in infantibus adultioribus perniciofiores erant. Quoad ſexum neuter fuit immunis a purpura iſta ; hinc fœminarum demortuarum numerus fere æqualis erat numero virorum extinctorum. Pleræque tamen fœminæ non adeo diu decubuerunt, ſed plerumque nono vel undecimo die vitam cum morte commutarunt ; reliquæ autem morbum feliciter exſuperantes ſatis diu ægrotarunt.

§. XII.

Erat ergo morbus hicce omnino malignus, contagioſus & exitialis. Patebit hoc ex ſequentibus, quæ circa decurſum, eventum & prognoſin adhuc notata fuerunt. Contagium & exitialis mos majori in gradu obſervabatur priori anno, quam ſubſequente. Ex iis ægrotis, in quibus nulla adparebant mala ſigna, dum nempe purpura verſus criticum diem erumpebat, boni erat coloris, pruritus etiam interdum perſentiſcebatur, ſudor lenis prodibat, & ſomnus fere naturalis erat, complures præter opinionem & expectationem medici, fato inevitabili ſuccumbebant. Illorum vero qui ſtatim ab initio pejora monſtrabant ſymptomata, vix unus & alter evaſit. Aeſtate dein anni 1738. genius morbi fuit mitior : ſingulis enim menſibus mihi aliqui ſaltem recurrerunt, hocce morbo adflicti, quorum tamen pauciſſimi mortui, ſed potius per Dei clementiam plerique ſervati ſunt. Fuit inter illos ſenex 72. annorum & alius 40. annorum, qui per 4. aut 5. hebdomadas lecto fuere adfixi, non certe pure benigna laborantes purpura, uti ex anxietatibus & pulſu ſatis patebat. Fuere in illis etiam 4. aut 5. qui apoplexia tacti per aliquot dies ſemi-paralytici decubuerunt, tandemque contra expectationem evaſerunt. Hæcce altero anno obſervavi in hoc morbo, quo tempore excretio lumbricorum fere penitus ceſſabat. Priori enim morbus erat multo malignior, quo frequentior lumbrico-

rum

rum excretio erat, & tantum non in omnibus conſpicua. Ex iis ægris, quorum ego curam geſſi, primis morbi diebus nullus eſt mortuus, præter unicum, qui tertio morbi die remedia poſcens eodem quoque fatis ceſſit. Reliqui ſuperarunt octavum, plurimi decimum tertium, nonnulli quoque plures morbi dies. In paucis pleuritis fuit conjuncta. Plurimi de dolore capitis maxime conqueſti ſunt, qui plerumque obtuſus magis, quam pulſatorius fuit, interdiu tamen lancinans & pungens. In junioribus & plethoricis aliquando ante criſin obſervavi præcedentes inſultus apoplecticos & epilepticos, adſtantibus metum graviorem, quam quidem mihi, incutientes, probe utpote gnaro, non adeo inſuetas eſſe ante criſin talismodi motus nervorum impetuoſiores. In paucis hæmorrhagia narium criſin abſolvit: in pleriſque hæc ſudore perficiebatur; ſed notandum eſt, rarius criſin exactam fuiſſe obſervatam, ſed ſudore quamvis præſente, mortem nihilo ſecius inſecutam fuiſſe. Non tamen omnes morti ſuccubuerunt, in quibus non exacta criſis adparuit, ſed multi leni ſudore per multos dies madentes, Deo benedicente, ab inſtantæ vitæ periculo ſunt liberati. Interim ſemper pejora erant timenda, quoniam ſub bonis ſignis æque moriebatur, ac ſub malis, quod ultimum tamen frequentius eveniebat.

Non diffiteri tamen poſſum, quod, ubi mitior fuit morbus, nec non ſi minor exanthematum copia præſto fuit, (quamvis multi exiſtiment, in copioſa horum eruptione ſalutem eſſe poſitam,) ſi pedes magis illis ſcatere deprehendebantur, quam reliquæ partes, plerumque eo meliorem de ſanitate ſpem concipere licuerit. Copioſam excretionem, quæ ἀθρόως καὶ βιαίως evenit, raro ſine vitæ diſcrimine vidi.

Qui amentiam ex morbo relictam ſufferre debuit, unicus tantum notus fuit, fortaſſe dein reſtitutus. Vnicam

 quo-

quoque mulierem novi, cui suffusio unius oculi metuenda erat, post annum tamen disparens. In tribus, aut quatuor visus & auditus per aliquod tempus debiles permanserunt. In uno furunculi successerunt; in alio tumor genæ & parotidum cum εὐφορία tamen. Bubones autem & anthraces eo tempore nunquam adparuerunt. Gravius symptoma, quod durante isto morbo adfligebat, erat dolor capitis, unde nonnullis *morbus Hungaricus*, die Haupt-Kranckheit, vocabatur, ut ideo ex sphacelo cerebri complures obiisse non plane absonum videatur. In multis tamen, ubi non adeo vehemens fuit dolor, malignus morbi mos exitium attulit: Pulsus quippe in quam plurimis debilis erat, in paucis durus & frequens; & licet quoque his tempestive secaretur vena, tamen non omnes mortem evitarunt. Urina plerumque boni eventus signa monstrabat, hujus vero in locum fatalis & funestus sæpe succedebat. Diarrhœa in paucis salutaris, in plerisque funesta fuit. In paucis angina superveniebat, eaque plerumque lethalis. Vomitus spontaneus in initio obortus, quantum quidem ego novi semper salutaris fuit, arte autem productus non æque in omnibus profuit.

Verbo: Ita varius fuit genius morbi, ut non facile exacte describi possit, immo difficilius fuit eum rite indagare, & exinde indicationes necessarias elicere. Interim succurrendum erat ægrotis, quod, qua ratione factum sit, in sequentibus explanabitur.

§. XIII.

In multis ægris aderat Plethora, atque insimul dolor capitis pulsatorius, qui venæ sectionem indicabat. In principio morbi eam idcirco suasi, multique eam admiserunt, sed non semper exoptato cum effectu, ut ideo a quibusdam plane exitiosa reputaretur. Abstinui itaque dein ple-

rumque

rumque ab ea, præcipue quoniam primum tempus ordinarie fere ſine Medico quoad maximam partem prtæterlabitur. Non tamen omnes, quibus Vena ſecta fuit, indiſcretim mortui ſunt.

Evacuationem primarum viarum Natura in plerisque ſponte intendebat, cui idcirco obediens, utpote ſalutariter eam agentem videns, evacuantia præbebam ſed non niſi leniora. Plerumque vero morbi tempus opportunum nempe primum, præterlapſum erat, quando ægroti opem poſcebant. Neque etiam adſeverare poſſum, quod ſemper morbum mitigaverint exhibita evacuantia. Secundum inſtitutum naturæ tum vomitoria ex Ipecacuanha, &c. tum purgantia: rhabarbarum adhibui. Bilem in magna copia adfuiſſe effectus purgantium monſtrabat.

Ad hanc igitur temperandam & eliminandam cura præcipue dirigenda erat. Quoniam vero morbi principium plerumque negligitur, hinc in potionibus vel pulveribus temperantibus abſorbentibus, bezoardicis nitroſis, acidulatis, ſubſtiti. Ad temperandam bilem ſub-acida ſedulo interpoſui; aſt ſi verum fatendum eſt, raro ea exoptatum præſtiterunt effectum, ſed plerumque pectori obfuerunt, quare ab iis deſiſtendum fuit. Continuandum autem eo magis erat cum bezoardicis temperationibus. Quapropter ordinavi potiunculas, conſtantes ex pulveribus cum aquis bezoardicis & temperantibus. In initio morbi liquida ſpirituoſa, quæ Eſſentiæ & Tincturæ vocantur, ſemel vel bis de die interpoſui, e. g. Mixt. ſimpl. ordinariam & rectific. Eſſent. alexipharm. Stahl. Cort. Caſcar. aut Cort. Peruv. Scord. Spir. Nitri dulc. itemque Elix. pector. Wedel. Hæc vero & ſimilia in ſtatu plerumque erant omittenda & in declinatione iterum in uſum revocanda. Decocta pectoralia multis ſalutaria fuere & neceſſaria addita herba Scordii. Quando motus naturæ fuere torpidiores, tunc Camphoram in po-

tiunculis, dictis cum Nitro, aut Arcano dupl. remixtis, a gr. ij. usque ad gr. v. intra 15. vel 20. horas exhibui; ſimul vero etiam de ea notavi, quod eo tempore, quo morbus vehementer ſæviebat, primo nempe anno, rarius optatum monſtraverit effectum; ſecundo autem anno frequentius inſignem opem attulerit. Magis adhuc ſalutaria expertus ſum veſicatoria: Delirium enim talia plerumque avertebant. aut ſaltim mitigabant ; mortem autem ipſam illa profligaſſe non adſero. Impoſui iſta vel brachio, vel pedi, vel nuchæ & quidem modo unum, modo duo, aut tria, ſemel, vel repetitis vicibus, prout neceſſitas urgebat. Nonnulli ægrotorum eadem prorſus averſabantur utpote ex aliorum exemplis edocti, quod vulnuſcula admodum chronica & rebellia reliquerint. Me vero quod attinet, fateri teneor, quod, experientia teſte, nunquam fere non eadem ſalutaria deprehenderim. E contrario theriacalia & anodyna rarius vidi a circumſtantiis morbi fuiſſe indicata, hinc rariſſime illa præſcripſi. Reliqua in medendo obſervata coincidunt cum illis, quæ in libris practicis ordinarie continentur.

§. XIV.

Supereſt nunc regimen quoad res *non-naturales* obſervandum, quod tamen cum eo fere coincidit, quod aliæ febres requirunt. De aëre vero externo, itemque de excretis pauca hic ſpeciatim notanda ſunt. Conſtat nempe, quod diarrhææ in purpura communiter noxiæ reputentur, ob timendam exanthematum retroceſſionem ; aſt ſub hac purpuræ ſpecie tantum periculi de iis haud erat pertimescendum, quamvis & nonunquam excretiones plane involuntarie ſucceſſerit. Mitigandæ hinc tantum erant lenioribus medicamentis, e. g. Electuario diaſcord. Frac. & pauciſſimis anodynis. Criticam autem in ullo aliquo ſubjecto fuiſſe

fuiſſe talem diarrhœam, nequaquam obſervavi. Ratione aëris externi ad calorem inprimis reſpiciendum erat, qui quo magis immoderatus fuit, eo magis quoque nocuit. Certum enim eſt, ſudorem nimium utplurimum in exanthematicis febribus perniciofum eſſe, caloremque externum anxietates nimias excitare, confirmantibus idipſum etiam noſtris ægris, utpote in quibus ſub his circumſtantiis quidem ex voto, uti adſtantes reputabant, minime tamen cum εὐφορίᾳ purpura efflorеſcebat, manifeſto documento, quod regimen nimis calidum plus obſit, quam proſit. Interim tamen in hunc usque diem quibusdam adhuc in more poſitum eſt ut vel ſub metu, vel actuali eruptione purpuræ, hypocauſta vehementer calefaciant, eum in finem, ut hac ratione, & ſubjunctis inſimul bezoardicis calidis, facilius expellatur miasma peregrinum & noxium. Robuſtiorum aliqui citra noxam quidem ſuſtinuerunt incongruum tale regimen, maxima autem pars aliorum, eidem expoſitorum, fatis ceſſit, nec tamen propterea mos hic penitus ubrogari potuit; nimis alte enim inſidet hominum animis opinio a majoribus (non quidem ſeculi prioris,) hauſta, tegi nempe debere corpus unde quaque, quo malignitas eliciatur. Ille quidem mos aliquo modo exolevit, dum pedes tibialibus, manus autem chirothecis muniebant, ne aliquis aër peregrinus accederet: verum calorem externum adhuc curæ cordique habent multi, paucis non niſi, aliter per experientiam edoctis, ſecus ſentientibus. Equidem aërem frigidum; aut nimis temperatum admittere non auderem, cum, ſicuti in aliis exanthematicis febribus, ita & in purpura, inde ſtatim graviores præcordiales anxietates exoriantur; ſed nimis fervidum merito damno, ipſis ægrotorum effatis roboratus, adfirmantium, anxietates jam præſentes inde magis exacerbari.

 Certum

Certum igitur manet, quod temperatus aër purpura laborantibus optime conveniat.

§. XV.

Sufficiat nunc hæc de purpura adnotasse, inprimis cum animus mihi non fuerit, tractationem exactam de hoc morbo conscribere, sed tantum observationes aliquas in propria Praxi factas communicare.

In quantum de reliquo noster morbus conveniat cum illis, quos alii descriptos dederunt, ex collatione utrorumque facile adparebit. Liquet vero ex adlatis, morbum omnino fuisse mali moris & revera contagiosum. Prius ex eo probatur, quod ægroti, præsentibus licet bonis signis tamen mortui sint, manifesto indicio, adfuisse simul plenariam destructionem spirituum vitalium. Posterius ex historia morbi demonstrari potest. Multi utique, per contagium infecti, morti succubuerunt, quamvis is, a quo illud communicatum fuerat, eandem aufugerit, siquidem contagium plerumque agit secundum conditionem ejus, qui illud recipit. Interim & hoc verum est, non nullos omnem plane vim & activitatem contagii elusisse. Admodum igitur probabile videtur, quod in aëre potissimum oberraverit illa materia, quæ sanguinem inquinando, ejusque partes subtiliores & nobiliores destruendo hunc morbum induxit, uti in prioribus id monstratum fuit. Hanc autem speciatim compositam fuisse ex particulis salino-sulphureis, orgasticis, mixtioni humorum nostrorum perquam infensis, hincque motum peregrinum, in massa sanguinea excitantibus non absque omni ratione autumo. Hac autem causa in illis maxime locum habet, in quibus neque errores diætæ, neque animi pathemata graviora præcesserant: in multis enim hæc bina etiam solitarie fere ansam morbo præbebant. Catarrhales febres simul adfuisse, non mirum est,

ob

ob conditionem nimirum aëris nimis humidi, adeoque multa concurrerunt, quæ morboſas ejusmodi adflictiones excitare & augere valuerunt. Accedebant inſuper calamitates paupertatis, ſiquidem ægrotorum plurimi ſortis vilioris fuerunt, quibus victus aliaque in ejusmodi morbo neceſſaria defuerunt. Certum proinde quoque eſt nonnullos eorum, qui purpuram jam exſuperaverant, iterum febre fuiſſe correptos cum furunculis & bubonibus, ex quibus etiam aliqui fatis ceſſerunt. Mihi non niſi tres occurrerunt, in quibus tumores & bubones adparrebant, cum criſi tamen morbi ſalutari. Pariter quoque dubitandum haud eſt, quin in vicinia eadem cum ſævitia, vel etiam majore graſſatus fuerit contagioſus hicce & pernicioſus morbus. Goslariæ anno 1738. numerus natorum fuit 186. demortuorum autem 312. unde morbi pernicies ſatis ſuperque eluceſcit.

Martio menſe quidam noſtrorum Medicorum eo morbo corripiebatur, atque per multos dies in magno vitæ periculo verſabatur. Menſe Aprili me ipſum quoque hic morbus invadebat. Occaſionem præbebat tum ira, tum labor, tum mœror, tum etiam ſine dubio contagium. Tanta inprimis noctu erat anxietas, ut cor ipſum non amplius moveri, omnemque circa præcordia ſanguinem ſtagnare putarem, licet pulſus non intermitteret, & talis anxietas per 3. noctes redibat. Prima nocte adeo vehemens erat, ut derepente mortem adfore metuerem, ea propter ad eam more Chriſtianum decente me præparabam. Delirio tamen & calore vehemente non ſuperveniente, purpuram reputabam eſſe benignam; atque ideo tranquilliore animo morbum tolerans priſtinam me recuperaturum eſſe ſanitatem ſperabam, quam etiam benigniſſimus Deus immerenti largiebatur, ut poſt 16tum diem foras iterum prodire potuerim. Verum ſecunda vice in majori conſtitutus eram periculo. Occaſionem morbo

ſub

ſub finem Februarii 1739. ingruenti, ſuppeditabant omnia fere illa, quæ ante annum eundem accelerarunt, præſertim obitus chariſſimi fratris. Perpetua inſomnia & deliria, oculorum convulſio tendinumque ſubſultus continuo inquietum me detinebant. Efflorefcebat dein purpura rubra & alba, quam rubra exulcerata & hinc alba cum petechiis & furunculis complicata excipiebat, pedibus tamen ab initio prorſus liberis manentibus, Binis igitur diebus, interpoſito uno tolerabiliori, non niſi mortem mihi præſagiebant, ad eamque ſubeundam paratus eram, neque adſtantes lætiora ſperabant. Latus ſiniſtrum multo erat debilius dextro & magis in ſopore, convellebatur; oculi nictitabant & labia tremula erant, nullo tamen concurrente dolore capitis. Si ad ſomnum me componebam, reſpiratio, ſeu inſpiratio, in totum per ſatis notabile temporis ſpatium ceſſare videbatur, donec cum concuſſione totius corporis expergefierem. Tandem & in pedibus purpura efflorefcebat, nuncque ſomnus aliqualis, ſed cum lethali quaſi corporis infirmitate, redibat. Præter omnem igitur meam expectationem divina miſericordia tandem & ex his me eripiebat anguſtiis, ut poſt aliquot hebdomadas, cutis deſquamatione facta, ad conſuetos labores, ſatis quidem infirmus, redire valuerim. Tandem progreſſu temporis vires reſtitutæ ſunt, ita tamen, ut auris ſiniſtra perpetuo ſuſurret, & metus purpuræ ſubindæ recrudeſcat, quamvis uſum medicamentorum convenientium, & inter ea præcipue potum ſelteranæ & Pyrmontanæ, non intermiſerim. Faxit ergo Summum Numen, ut vires relictas bene collocem, concedatque benigniſſime, ut labores meos, in ipſius honorem atque proximi emolumentum feliciter perficiam.

MARIA-

MARIANI SEGUER,

MED. DOCT.

REGIÆQUE ACADEMIÆ,

QUÆ MADRITI EST, SODALIS,

SCHEDULA MONITORIA

DE

JUSCULO PULLI

LIENTERIÆ SPECIFICO,

INSCRIPTA

ROMANO HIPPOCRATI.

MEDICO CONSUMMATISSIMO,
PRÆILLUSTRI DOMINO
D. ALEXANDRO PASCOLI PERUSINO
IN PATRIA ACADEMIA PROFESSORI
NOVO ANTIQUÆ MEDICINÆ PATRONO,
IN SAPIENTIA ROMANA
ANATOMES CORYPHAEO,
ET ANTECESSORI PRIMARIO,
BENEDICTO XIV. PONTIFICE,
ECCLESIASTÆ DITIONIS PROTO-MEDICO;
OPE SUA, ET LIBRIS DE PRAXI MEDICA
EUROPÆ ACADEMIARUM, ET SAPIENTUM
ÆSTIMATIONEM PROMERITO
ROMÆ AESCULAPIO,
HISPANIS REDIVIVO APOLLINI:
TANTO VIRO
SAPIENTIA, AFFABILITATE,
ET HUMANITATE CONSPICUO,
HONORIS, ET OBSERVANTIÆ ERGO,
SCHEDULAM MONITORIAM SACRABAT
VALENTIÆ ÆDETANORUM KAL. JANUAR. MDCCXLI.

MARIANUS SEGUER
MED. DOCT.

Lectori industrio, prudenti, aegrotantium salutem sedulo procuranti Salutem.

Novum, ne mireris amice, a felicioribus huius aetatis practicis prætermissum, *Lienteriæ specificum* Tibi pando, id certum esse comperies, si in memoriam revoces, quæ multoties legisti Lienteriæ destinata remedia, in MERCATO, SENNERTO, RIVERIO, ETTMüLLERO, SYLVIO, DOLAEO, TOZZIO, Musitano, ALLENIO & recentissimis, STAHLIO hujusque discipulis, ALBERTO, JUNCKERO, NENTERO, itemque aliis, HOFFMANNO, BOERHAVIO; PASCOLIO & BAGLIVIO: in quibus universam Medicinam contineri, & potiora morborum specifica, nullus ambigo. Perfacile mihi foret, ex laudatis Auctoribus singula transcribere Lienteriæ specifica, id tamen eo libentius omitto, quod cum Viro in praxi exercitatissimo, & in lectione accurata præstantissiorum Medicorum versato, sermo sit: præterea mihi nunquam placuit, nec placebit, longis Auctorum transcriptionibus operam perdere, ita enim a natura constitutus sum, ut observatione morborum & remediorum, quantum fert valetudo querula, & a diuturnis morbis in iuvenili ætate, pene confecta, delecter; cujus rei specimen dedi superioribus annis in *Notis ad Enchiridion Jacksonii* quam brevibus, sed diligenti observatione prognatis. Tincturam Chinæ Mangeti non esse præferendam ejusdem residuo, pollereque illam virtute epileptica, observavi, & cum excellentissimo MANGETO communicavi, Epistola ad ipsum missa anno 1733. quam Vir clarissimus dignam judicavit, prelo ut sudaret, in *Notis* ipsius ad ETTMüLLERUM, Editionis Genevensis, anno 1736. *Tom. II.* pag. 554.

Hanc Chinæ epilepticam virtutem ulteriori praxi confirmatam & obſervationibus aliquibus illuſtratam, Diſſertaione epiſtolica miſi Madritum, Regiæ Academiæ anno 1739. pro adimplendo munere ejusdem Sodalis, quam publico communicandam ſpero in *Appendice ad Bibliothecam Illuſtrium Medicorum Mangeti*, vel *ſupplemento* inter *Notitias Medicorum Hiſpanorum*, quas nuper miſi Genevam. Cum autem *juſculi Pulli* efficaciam ſæpius obſervaverim, ut *Lienteria* laborantibus ſolamen promoveam & ſalutem, hæc communicanda decrevi. Deus enim miſericordiarum Pater, & totius conſolationis fons & boni, qui ſingulos Medicos adloquitur, Eccleſiaſt. VII. v. 39. *Ne te pigeat viſitare infirmum; ex his enim in dilectione confirmaberis:* quaſi in pretium viſitationis, confirmatam promitteret charitatem, quæ virtutum omnium præſtantior eſt, Medicis abunde retribuet, ſi non tantum infirmos viſitent, ſed efficatioribus remediis, tuto, cito & jucunde morbos pellere conentur. Ignoſcas quæſo tenuitatis noſtræ conamen, jube & vale.

§. I.
Juſculi Pulli deſcriptio.

Pullum eviſcera, ejusque ventri immitte Roſarum ſiccarum unciam unam, vel ſiccarum & balauſtiarum ana unicam ſemiſſem, mediæ Roſarum parti inſperge pulveris infra notandi, pro adulto tres drachmas, duas pro puero grandiori, infante, vel minoris ætatis etiam: conſuatur ſurſum & deorſum pullus, ne inter coquendum Roſæ elabantur, coque pullum in ſcutellis duodecim aquæ ad conſumtionem duarum, vel in ſcutellis quindecim ad eandem conſumtionem, pro adulto in decem & octo, ad decem usque & ſex ſcutellas, quæ contineant aquæ uncias decem ſingulæ, & conſerva juſculum calidum, ſine ebullitione

litione ulteriori, immittendo ollam in aquam calidam igni admotam.

§. II.

Uſus.

De hoc juſculo capiat æger Scutellam unam quam primum, ſingulis binis horis repetendam, præmiſſa inunctione ad os ventriculi cum Unguento Comitiſſæ, vel Balſamo catholico, aliove roborante, ſuperimpoſito cataplaſmate, ex mica panis facto, cum vino, in quo decocta ſunt Abſynthium, Mentha, Roſæ ſiccæ & Balauſtia, eaque repetantur ſingulis binis horis, & juſculum, exhibeatur. Si dormiat patiens, a ſomno excitetur, & juſculum, inunctio, & cataplaſma repetantur, idque cotinuetur, donec abſumta ſit tota juſculi quantitas, nullo alio interpoſito juſculo Gallinæ, quodſi lientericus debilis admodum ſit, propter prægræſſam nimiam evacuationem, convenit, ut in cochlearibus duobus hujus juſculi Confectionis Alkermes completæ, vel incompletæ, prout neceſſitas urgeat, drachma ſemis propinetur, admotis etiam exterioribus roborantibus naribus, ut in his caſibus fieri ſolet. Quod ſi, adſumta tota decocti quantitate, Lienteria perſiſtat, repetatur iterum neceſſum eſt, eodem ordine propoſito. Nec mirum videatur, quod æger a ſomno excitetur ſingulis binis horis, pro decocto capiendo; nam ſomnus frequentiſſime dococtum inſequens, non a remedio narcotico & opiato admixto provenit, ſed a mirabili, naturæque amica juſculi bonitate: unde ſpes conciliandi iterum ſomnum novo juſculo, provocat & movet, ut æger a ſomno excitetur, novo juſculo iterum conciliando. Quamquam fere omnes Practici contrarium ſentiant, innixi regula illa, cæteroquin vera: *Quod ſomnus omnes excretiones moderetur, præter ſanguinis, & ſudoris;* hoc tamen comprobat experientia, quæ optima eſt Magiſtra, quam ubique, quavis humana auctoritate ſepoſita, ſequi debemus.

m 3 Hac

Hac methodo non tantum fera illa sitis, qua lienterici torquentur, sine alius potus solamine mitigatur, sed subsequentibus una vel altera alui egestione, Lienteria cessat,ægerque frequentissime convalescit. Absoluto hujus jusculi usu, semel aut bis, prout opus fuerit, jusculum primum Gallinæ capiat.

§. III.

Quibus conveniat.

In diarrhœa cruda, & Lienteria præcipue, in quibus ventriculi, & intestinorum fibræ crispatæ sunt, aut levi inflammatione tenentur a catarrho, (vide BOERHAVE *Praxin Medicam Part. III. pag. 350.* qui omnium optime de diarrhœa scripsit,) divinum fere medicamen existit: item quando ab humoribus acribus, fibrillas stimulantibus ad expulsionem, quod ex ingenti siti, & aliquali dolore ventriculi cognoscitur, ut optime notat Gallorum Hippocrates, DURETUS, super *Hollerii Praxin in adnotatione, pag. 340.* editionis in quarto: si autem diarrhœa cruda, & Lienteria ab humoribus frigidis, solaque intestinorum laxitate, sive ab aphthis ventriculi & intestinorum, vel hectica harum partium intemperie proveniat; subsequanturque febrem hecticam confirmatam, vel Phthisin, aliumve immedicabilem morbum, his in casibus poterit jusculum Pulli evacuationem aliquatenus diminuere, inducias ferre, at curationem conciliare nequit: diarrhœis serosis biliosis, quoniam his in casibus acrimonia dominatur, itidem medetur, etiamsi febris adsit.

§. IV.

Illud sedulo notandum velim, ne Pulli decoctum exhibeatur in dejectionibus liquidis quidem, sed cinericeis omnino & crudo lixivio adeo similes, uti lac lacti; quas ex observatione *Caroli* PISONIS notavimus in declinatione febrium intermittentium & continuarum; quales dejectiones

nes quidem quasi lientericæ sunt, ast potius tamquam salutares & criticæ haberi & minime cohiberi debent. Vide laudatum eximium Practicum, *de Colluvie serosa, pag. 265.* Edit. Lugd. Batavor. curante BOERHAVIO jam denato. Si post assumtam secundam vel tertiam jusculi dosin æger dormiat, sitis remittat, etiamsi una vel altera evacuatio subsequatur, continuato jusculi usu plerumque convalescit æger, ut sæpius vidimus.

§. V.

Methodi probatio.

Cum nihil magis ægrotantibus sub diarrhoea, vel Lienteria, noceat, quam si multos ingurgitant cibos, jusculaque pinguia, ut solide Practici docent, imitantes Græcorum dogmata, non timui idcirco jusculum Pulli in Praxin introducere, confirmam te præcipue experientia; deinde quia SENNERTUS *Tom. III. de Lienteria, pag. 441.* ait: *Cibus sit paucus, & æger inediam, quantum potest, ferat. Paulus SORBAIT cap. de Cholera & Lienteria, pag. 136.* suæ Praxeos, secundæ editionis, ait: *Cibus sit paucus, concoctu facilis, gratus & adstringens, ne materiæ quantitas gravet & corrumpatur: hinc etiam ab AVICENNA omnino prohibetur, & ejus loco rerum fragrantium jucundi odores, recreandis viribus aptissimi, substituuntur.* His innixus rationibus, puellum decem mensium febre & Lienteria laborantem, lac sine ulla mutatione tandem per alvum excernentem, siti maxima adeo urgenti ut vix mater, fœmina robusta beneque alita, lactationi sufficeret, methodo usitata, ex roborantibus, absorbentibus, nitrosis, juxta HARRISII methodum (quæ mihi in morbis puerorum curandis instar omnium est,) nihil præstare potui, sed puellum fere funeri destinatum jam, decocto Pulli, singulis binis horis, laudata methodo, propinato, quamquam lac sugeret, liberavi.

§. VI.

§. VI.

Pulvis pro jusculo.

Ad compositionem pulveris quod attinet, vere artificiosam eam esse, & indicationes, quæ §. III. recensentur, adimplere, per experientiam constat, ipsaque manifestabit, jusculum Pulli, conjuncto pulvere, remedium esse eximium. Unica est ejus præparatio, quæ feliciter adhibetur, non ab extero homine communicata, sed ex manuscripto Codice LUDOVICI COLLADO Medici Valentini anno 1570. celeberrimi, desumta, & nostris temporibus ad praxin tuto deducta; (de cujus erga rempublicam medicam meritis, & practica felicitate vide MANGETUM *in Bibl. Illustr. Medicorum Tom. I. part. 2. pag. 100.* & RODRIGUEZIUM *in Bibl. Valentina pag. 297. col. 1.* & Notitias nostras Medicorum Hispan. in supplem. ad Bibl. Manget. edendas) hæc a nobis aliquatenus aucta, juxta STAHLII praxin, decoctum Pulli constituit, adimplens mentem HIPPOCRATIS *Sect. VI. Aphor. I. & lib. II. Epidem. sect. 2. sent. 22.* itemque VALLESII, commentatoris doctissimi, sententiam. Sapienti sat!

§. VII.

Nec mihi grave foret utramque pulveris compositionem manifestare, (*) justis tamen de causis eam jam omitto, con-

(* Placuit tamen Celeberr. Dn. Auctori, pro ingenuo suo candore & laudabili erga similes ægrotantes adfectu, nuperrime aliquam hujus quoque remedii suppeditare notitiam, in litteris ad modernum Academiæ nostræ Præsidem, Dn. D. ANDR. ELIAM BUCHNERUM, datis, quæ sequentia continent: „*Propter singularem observantiam erga Academiam Nat. „Cur. & Dominationem Tuam, rogo, ut in Actis Schedam hanc „edendam præcipias, & Tibi, Vir Optime, simul descriptionem „pul-*

contentus unice, juſculi Pulli efficaciam demonſtraſſe. Si autem Lector benevolus velit pulveris, quo ego utor, pro decocto Pulli, doſes aliquas, petat pro lubitu, remittentur enim continuo.

§. VIII.

Quomodo juſculum Pulli operetur, ſive temperando acres humores, ſive roborando ſolida, fugata criſpatura, inductaque blanda laxitate in ventriculo & inteſtinis, ſive id eveniat ratione juſculi diluentis, ſive ratione pulveris roborantis, & tonum viſceribus reſtituentis, nondum hariolari poſſum? Denique ſi in pueris aliisque, abdominis intumeſcentiam uſus juſculi Pulli inducat, aut urina parce fluat, ſilente alvo, ob medicamenti efficaciam, tunc hæ partes oleo Abſynth. & baccarum Lauri inungantur, vel oleis

„ *pulveris, quæ §. VII. occultatur, pando, ut an eodem opere cum* „ *publico communicetur; eſt nempe PULVIS TROCHISC. REMI-* „ *HE.* „ Dubio autem procul ſub his intelligit Vir doctiſſimus illam compoſitionem, quæ in noſtris Diſpenſatoriis ſub titulo *Trochiſcorum Ramich Meſuæ* occurrit, utpote ratione ingredientium ſcopo ſuo & indicationi præſuppoſitæ quam maxime convenientem. Id ſaltem adhuc dubii ſupereſt: Utrum in præparando & componendo iſto pulvere ſimpliciter procedere ſoleat juxta præſcriptionem *Pharmacopœiæ Auguſtanæ*, an vero juxta illam *Diſpenſatorii Reg. & Electoral. Boruſſo-Brandenburg.* quæ *pag. 256.* extat, atque non niſi ratione proportionis ingredientium parum a priori recedit; vel an non potius ſpecialem quandam correctam, aut quadantenus auctam formulam fundamenti loco ponat? Ultimum hoc vero ſimillimum eſſe, ex §. VI. non obſcure adparet, adeoque nulli dubitamus, quin id quoque adhuc precibus noſtris daturus, & eandem pariter, publicum in uſum, forſitan in Volumine VII. Actorum noſtrorum, communicaturus ſit celeberr. Dn. Auctor.

oleis scorpionum simplici, Violarum & Lumbricorum; sic urina provocabitur, & fugabitur abdominis intumescentia.

Epilogus.

Manifestavi in Schedula hac talia, quæ alii sanctiori silentii peplo involvenda, & in arcanis numeranda, judicarent; eam vero ob rationem id a me factum est, quoniam hæc ipsa, non ludendo, sed attenta, sagaci & multiplici observatione, Practicorumque lectione assidua didici. Ast majorem vim apud nos obtinet Dei Optimi Maximi, quam respicimus & devote veneramur, gloria, proximique salus, quam quorundam levium nummorum cupiditas. Rogo autem Lectorem, ut sequentia serio pensitet, & valeat.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Et otiosis curiositatibus,
Et vanitate propriæ scientiæ,
Et irritæ artis gloria, & jactantia,
Et aucupanda sordide pecunia,
Prudenter induxit lubens mentem suam,
Summæ sapientiæ sacras leges sequi:
Quas si vereri discet, in tacito sinu,
Ejus benignitate gaudebit frui,
Scientia, atque conscientia satur:
Et serviendi proximo vere potens,
Aut gratitudinem feret, aut merebitur.
Quisquis secus faxit, Deus vindex erit.

D. JO.

D. JO. SAMUEL CARL;

SERENISS. AC POTENTISS. REGIS DANIÆ ARCHIATRI ET IMPERIAL. ACADEM. NATUR. CURIOS. COLLEGÆ,

DE

NATURA INDICATIONIS ET INDICATI

IN GENERE

In USU AC HABITU

AQUARVM SOTERIARVM

EPISTOLARIS INQUISITIO.

Amice æſtumatiſſime!

REdeo tandem aliquando ad litterarum commercium, quod non oblivio aliqua veteris amicitiæ, ſed neſcio quæ fatorum neceſſitas interrupit. Redeo præcipue ad id commercii genus, quod initium familiaritatis noſtræ fecerat, dum *nunquam otioſum* eſſe menti præfixeram, indeque omnem occaſionem arripui, ubi quidpiam cognoſcere, addiſcere & in meos trahere uſus valerem. Inde & hac vice anſam & argumentum ſcribendi capio ex aquarum ſcaturigine, quam mihi abs TE aperiri velim. Fateor, me multa in rerum receſſibus deprehendere, quæ plenum ingreſſum remorentur, ut inde abs TE, qui uberrima experientia doctior ex iſtis antris regreſſus es, ſolide edoceri ſperem. Quodſi enim hodegos mortuos & vivos adirem, tot inveni ſcopulos, quos nullo modo præternavigare poteram, qui certus fieri avebam, ubi ſyrtes, ubi uniones lateant, i. e. ubi verus & adæquatus uſus, ubi damnum cognoſci debeat. Confundebatur inde animus, ut nec vivum amplius conſulere, nec mortuum legere potuerim, maxime dum ſolum fundamentum *indicationis generalis* ad ſtrictiorem adplicationem deductum, obtinere nequiverim, ſcilicet in quo ſtatu p. n. œconomiæ animalis in ſpecie hoc medicationis genus locum habeat: Id enim primum definiendum foret per experientiam & rationem, ſi non levis momenti tum ad intellectualem conceptum, tum ad practicam adplicationem deduci debeat.

Clarius rem eloquar, & ſpecialia circa aquas medicatas fata recenſebo. Diſcedens olim a Præceptore meo ad medicinam faciendam, omnia conquiſivi argumenta, in quibus inſtructio quaſi oralis mihi neceſſaria videbatur. Inter illa mihi propoſui *aquarum medicatarum* thema. Interroga-

rogabam, cur ipse in scriptis dictisque parum aut nihil docuerit, cum ejus in observatione clinica acuta sagacitas nil facile præterlabi patiatur. Ille subridens, quando morbum nec dijudicare, nec tractare valemus, tum ægrum dimittimus ad acidulas & thermas, respondit. Ego subirascens tali levidensi & frigidæ responsioni, petebam solum informationem generalem circa usum & regimen. Ille aquis, inquit, ægri intus & extus eluuntur, si candidiores evadunt, bonum. Ego indignabundus abrumpo sermonem, virum peritum in hac re humani quidpiam pati ratus. Illico tum inviso acidulas & thermas, discendi & cognoscendi summa cupiditate flagrans. Conveniebam Medicos celebres in aquarum medicina, rogitans apertam & sinceram communicationem observationis specialis, circa usum & effectum harum aquarum, ut sciam, in quo labascentis sanitatis statu potum illarum commendare queam. Enumerabant magno conatu insignem morborum copiam, in quibus possint adhiberi, licet exempla per experientiam confirmata, oculis manibusque incredulis deessent. Eadem audita legi quoque in scriptis, quæ uberrime in acidularum nundinis prostabant. Indignabar denuo his hodegis. Egredior summo diluculo ad hospites perlustrandos, video maximum numerum athletica floriditate magis splendentium, quam ægro livore pallentium: perpauci erant eorum, quos vera necessitas ad hos urgebat fontes. Succensebam tacite cauponariæ jactantiæ, & damnatæ luxuriæ, quæ donis DEI in perditam avaritiam ac voluptatem abutantur. Doctor ita non poteram exire. Ipse tum in orgasmo sanguinis extenuatorio eas suasi, cum eo effectu, quem simplicior aquosa temperatio reliquit.

Ante biennium, cum, in novam medendi provinciam delatus, aulicos reperirem, siti acidularum consueta algentes, an antiqua illa hæsitandi calamitas rediit, num simplici-

ter moribus inservire, potum petentibus indulgere, an vero secundum mea præjudicia adpetitum dirigere debeam. Priorem partem sustinui, ubi mature id observatio docuit, quod ad generalem acidularum indicationem facere videbatur. Quoad *subjectum* enim deprehendi, quod acidulæ, (nec non etiam thermæ haustæ,) puerili & senili ætati, aut consistentem super gressis, non conveniant, sed magis præ aliis virili. Quoad *objectum* didici, eas nullum esse indicatum in lymphæ vitiis, viscerum labe, motuum a priori aberrationibus, scilicet morbis spirituum, itemque sanguinis in tota substantia, mala mixtione sanguinis, scorbutica coagulatoria. Contra vero magis adpropriatum remedium cognovi in sanguinis quoad mixtionem quidem boni, quoad consistentiam vero aberrantis, vitiis.

Quoad *subjectum inadæquatum* ea subesse intelligitur ratio, quod tum in puerili tonus solidarum debilior, quam ut ita simplicioris diluentis principii abundantiæ transitum felicem elargiri possit, tum etiam in hac ætate vitia vitalia, maxime chronica, in lymphæ largiore, mucosiore, coagulatoria, &c. consistentia potissimum deprehendantur, ubi aquositatis prædominium connexionem maxime utilem non reperit. In senescente ætate toni vitalis labascentia, viscerum debilitas aut læsio, sanguinis vappescentia, activitatis motivæ imminutio, &c. obesse videntur.

Contra vero *subjectum magis adæquatum* esse videtur consistens ætas, ob sanguinis, in sui mixtione quidem boni, in consistentia vero depravati, & quidem vel volatilioris qualitatem temperandam, vel crassioris attenuandam. Et hæc subjecti adplicatio ad indicationem generalem, etiam objecti rationem involvit, quod scilicet in parte negativa lymphæ vitia sive in inviscatione, sive in coagulatione consistant, ab aquositatis prædominio, sal contentum ni-

nimium expandente, connexionem & alterationem inveniant. Vitia viscerum, vel martiali vitriolica constipatione augentur, vel aquosa humectatione flacciditas promovetur. Excipiendi autem videntur casus, v. g. chlorotici, ubi vitriolica roboratio tonum viscerum & sanguinis restituere putatur, quod firmiori experientiæ & interpretationi relinquendum. Manebit vero experientia, licet limitatio optanda, quod hectica, cachectica, hydropica viscerum labes parum solaminis hic reperiat. Deinde in morbis veris spirituum directa medicatio, satis raro adferri poterit, nec denique scorbuti veri coagulatoriæ vappescentiæ.

In parte objecti adfirmativa, si experimenta specialia ad generales classes redigere lubeat, deprehendimus, quod sanguinis consistentia, sive in salino - sulphureo tenuiore orgastico principio excedat, sive terreum lentescens mobilius elementum prægravet, medelam in aquis his reperiat. Nota enim est ratio, mixtionis animalis, & præcipue sanguinis, ad putredinem summe proclivis, quæ motu perpetuo secretorio ac depuratorio avertitur, hujus vero motus impedimento directe vel indirecte acceleratur. Fieri hoc valet, si consistentia sanguinis crassior ad immobilitatem & stagnationem disponant, vel si elementum ejus sulphureum, tamquam causa caloris motusque interni, tum in abundantia æquilibrii supra principium reliquum aqueum & terreum, tum in qualitate acriore & æstuosiore vitalem temperiem transcendit & exsuperat. Ad utrumque hunc generalem scopum, acidularum effectus veri & constantes referri poterunt. Prior effectus in attenuatione sanguinis celebratissimus putatur in adfectibus hypochondriacis, hystericis, spleneticis, ubi dilutoria & concussoria sanguinis attritio per acidulas earumque regimen, amicum refugium ad spasmos anxios demulcendos, stagnationes & infarctus reserandos, ac melancholiam delendam esse judicatur.

Nota-

Notarunt vero hic observatores, quod in suspicione latitantis læsionis in viscere aliquo, cautus earum esse debeat usus, ob majorem adstrictorium infarctum, & impeditam ita secretoriam depurationem, proxime ad hectica & hydropica consectoria ducentem. Pariter quoque notatum fuit, quod largus usus multusque corporis motus requiratur, si durus nodus emolliri debeat, quod pariter circumspectæ tractationis opus est.

Posterior effectus consistit in temperatione sanguinis generali & speciali. Illa, quando tota massa sanguinea in mixtione sua principium oleosum sulphureum, vel abundantius, vel acrius, & ex intestino motu fervidius fovet, indeque ad varios orgasmos oppletivos œconomiam vitalem disponit. Hæc vero est, quando ex eodem principio massa sanguinea ad speciales orgasticas congestiones jam est deducta. In hoc dicto priore scopo experimur, ægros alias vividos, orgasticam æstuosamque commotionem sanguinis universalem cum oppletiva lassitudine sentientes, acidularum potum exspectare & usurpare cum bono effectu, maxime quod gulæ grata similiaque ψυχικὰ nutrimenta simul adipiscantur. In posteriore scopo, quando abundans principium sulphureum, præter orgasticos motus generales, jam fervidam commotionem specialem, & ad peculiarem locum & cum peculiaribus consectariis induxit; ibi medicina hæc generalis temperans turgefactoriæ commotionis mitigationem procurare censet. Propterea hoc fine conducere videntur in orgasmo hæmorrhagico in genere, cum ea quidem cautela, ne læsio visceris subsit, neve diæta spirituosa, aromatica, acris, turgescentiam foveat ac resuscitet.

Conferunt quidem in ejusmodi commotionibus ad specialem locum, uti in commotionibus sanguinis æstuosis acribus ad pectus, tussi sicca spasmodica; ad caput, hemicrania

crania æstuosa, ophthalmia acri periodica, chronica &c. ubi tamen nec observatio deest, quod ejusmodi speciales casus motus sanguinis, si jam actualem excretionem insequantur & foueant, aut in consuetudinem jam degneraverint, huic generali temperationi non obtemperent, nisi exitui actuali via præcludatur; alias ad pejora damna veloci gressu ducunt.

Ad scopum temperationis particularis poterit referri quidem temperatio acrimoniæ nephriticæ, biliosæ & ulcerosæ, quæ certo respectu & loco ab acidulis expectari posset; erit tamen simplex congestio nephritica acris, sulphurea, orgastica, distinguenda ab ulceroso statu, mitigationem saltem non nunquam admittente. In biliosa acrimonia, stases ictericas, colicas, spasmodicas, cardialgicas, anxias vomibundas generante, ex simili fonte medelam debitis sub cautelis sperare licet. Nec deerunt exempla maxime in junioribus, stagnationum ulcerosarum in pedibus, sub ista æquali humorum distributione ac diluitione discussarum.

Hæc est mea acidularum consideratio, respectu subjecti, objecti & attributorum generalium, ut exinde viam ad indicationem reperiam. Num metam attingam, aut ab ea deflectam, cultiori experientiæ propriæ & alienæ relinquam. Interea tamen fundamentum tam a posteriori productum, quam a priori desumtum, suo talo stare arbitror. Ita enim perpendo in acidulis duas partes, scilicet continentem & contentam. Illam dico aquositatem simplicem puram; hanc vero substantiam vitriolico - martialem.

Aquositas simplex utplurimum saltem quoad nudum respectum diluentis effectus, tamquam instrumentum omnis motus in natura universa spectatur: In œconomia vero animali, cum fundamentum sanitatis consistat in mixtionis conservatione, per continuos motus secretorios &

excretorios, qui partim mobilitatem fluidam substantiæ depurandæ requirunt, partim materialem contemperationem & refrigerationem substantiæ sulphureæ æstuosæ, ad putredinosam fermentationem proxime dispositæ & disponentis, quid inquam in animali œconomia, simplex aquositas valeat, facile a priori colligi potest; immo & a posteriori docet hoc abunde experientia, & quidem generalis, dum nempe subjecta agresti vitæ dedita, raro vel nunquam acidulas in usum vocare, & tamen a quamplurimis dictorum adfectuum prorsus fere immunia manere deprehendimus, cujus circumstantiæ præter simpliciorem diætam vitamque mobiliorem, non levem rationem in potu aqueo ponendam esse arbitror, qui præ potu spirituosiori crudiori & fœculento omnino aptior est ad motus humorum in æquali successu & gradu conservandos. Specialis experientia pariter quoque confirmat, quod in multis dictis adfectibus simplex pura aqua acidularum vices optimo cum effectu obierit: quot enim casus sunt orgasmi hæmorrhagici potu aquæ, loco vini, aliusque spirituosi & calefacientis potus substituto, tandem contemperati? Quot sunt exempla æstuosorum motuum congestoriorum, spasmodicorum, cephalalgicorum, hemicranicorum, ophthalmicorum, tussis siccæ, asthmatis sicci, &c. simili potus correctione tandem mitescentium & quidem tam diu ad minimum, donec forsitan post menstruum usum, antiqua consuetudo spirituosam diætam revocavit? Annon multa exempla supersunt? immo prostarent plura, si humanæ naturæ mollities veram diætæ vitæque conformationem, ad individualem suæ œconomiæ statum accommodatam, tributariis illis annuis curationibus anteferre studeret, forent, inquam, plura exempla nephriticorum simplicium & calculosorum, cardialgiæ & colicæ sanguineæ, biliosæ, spasmodicæ, &c. quæ tali vitæ coordinationi facilius auscultarent. Usus potus

tus calidi illud poterit confirmare, utpote quo multi ejusmodi recensiti graves adfectus magis mitescunt, quam ullis allis medicamentis.

Pars contenta vitriolico - martialis certius omnino per experientiam manifestatur, quam alia supposititia concrementa ; quæ alias de spiritibus volatilibus salibus variis nitrosis, sulphureis, alcalinis, innominatis, prædicantur, sunt plerumque chimæræ physicæ. Hanc vero vitriolicam indolem salis contenti monstrant abunde experimenta chymica, physica & medica. Illa offert vulgus etiam in tinctura nigra fæcum & decoctorum terreorum, ut plura criteria vix quisquam hinc expetat. Hæc vero monstrat experientia a posteriori, in martialium operationum parallelismis maxime circa hypochondriacos, ubi necessitas hujus contenti a priori patescit, dum clementia divina in munere hoc mortalibus concesso, pro sanctissima & sapientissima quasi consuetudine talia principia commiscuit, ne unius qualitas in ratione operandi excedat modum. In acidulis est principium aqueum emolliens, diluens, humectans, & principium martiale roborans ac lene adstringens. Necessitas hujus mixturæ patet in effectu anti-hypochondriaco, ubi sanguis crassus lentescens, stagnans, attenuandus præcipue ac diluendus est ; quæ necessaria operatio utique tonum viscerum, ex infarctu spissorum humorum jam labefactatum, magis flaccidum redderet. Necessaria idcirco sunt conjuncta principia roborantia, leniter constringentia, tum ne attenuatio nova ex altera parte noceat, tum ut viæ ita ac pori organorum colatoriorum roboratæ, resolutoriam attenuationem & secretoriam depurationem promoveant. Hoc ergo totum fundamentum esse arbitror, cur acidulæ aliis simplicioribus aquis in hoc usu medico sint præferendæ : uti & e contrario, quod acidulæ præsente aliqua viscerum tabe usurpatæ, pejorem communiter effectum exserant, &

 facile

facile cachectica, hectica, hydropica damna, i. e. obstipationes plenarias viscerum post se trahant, promoveant & obfirment. De reliquo martialium adplicatio medica combinationem duplicis in acidulis principii pariter demonstrat: scilicet cum hujusmodi medicaminum effectus consistat in tonica roboratione viscerum, pro obtinenda stagnationum imminentium præservatione & factarum discussione, hæc vero facile vel nimia evadere posset, vel præmatura, humoribus scilicet nondum attenuatis; Hinc suadent Practici conjunctionem ac subordinationem medicamentorum emollientium, relaxantium, ne roboratio toni in constrictoriam obstipationem fatiscat. Ejusmodi sapientem circumspectionem natura in mixtione accidularum offert, quam dein ministerium illud naturæ bene imitari docet, uti id quidem in intermittentium suppressione per Chin. chinam aliaque adstringentia, nec non in hæmorrhagiarum adstrictoria suppressione patet, cui satis mature emollientia remedia subjungi debent, nisi pariter hectica, cachectica, similiaque damna inducere velimus.

Sed nolo Te hisce erroribus diutius detinere, cum mihi forsitam cras ipsi displiceant. Scripsi hæc, ut tandem aliquando ex uberrimo ærario Tuo adferas, quas collegisti merces; poteris, si volueris, cum omnibus iis me, aliosque veritatem quærentes, optime delectare. Age id, ut hactenus fecisti, & alia in posterum feliciter. Vale & fave

T. T.
J. S. C.

LA-

LAPIS AC LUTUM
PRO
RENOVATIONE
LABORATORII CHYMICI
IN ET AD
SCHOLAM MEDICAM
COLLECTA
A
D. IOANN SAMUEL CARL,
SERENISS. AC POTENTISS. REGIS DANIÆ ARCHIATRO, ET IMPERIAL. ACADEM. NAT. CURIOSOR. COLLEGA.

Quemadmodum Medicina clinica, judicio plebis, requirit, ut curatio morborum *cito*, *tuto* ac *jucunde* perpetretur, aut, ut, aptius eloquar, morbi tractatio in *experientia* ac *ratione* solida, peragatur: Sic dogmatica Medicinæ tractatio postulat, œconomiæ microcosmicæ, in statu vitalitatis, secundum & præter naturam intimiorem enucleationem, & evolutorum recessuum per omnes vitalitatis actus planam repræsentationem, quo mentes manusque discentium eo securius, facilius ac certius introduci valeant.

Cum vero hoc opus in studio tractandi ac docendi summe arduis difficultatibus sit implicatum, ut aliena, immo ea, quæ Physicas macrocosmi evolutiones utiles, necessarias ac curiosas suppeditant, omittere non liceat; utique tamen ea, quæ cum medicina commune ac inseparabile vinculum habent, immo cognatione aliqua socientur, seligere, ac instar scientiarum sororiarum sollicite tractare, earum utilitates legitime separare, hodegi munus esse judico.

Optandum sane esset, ut aureum illud seculum pro Medicina dogmatica adpareret, sub quo illæ occasiones in singulis Medicinæ doctrinalis partibus, per nosocomia academica suppeditarentur, quarum ope, analytica methodo eadem doceri & addisci posset, dum nempe statim alumni hujus artis perita manu ad ægrotos ducerentur, sicque oculis mentis ac corporis universæ Medicinæ, tam internæ, quam externæ faciem ac conditionem, in systematica connexione, intuerentur & plenarie perspicerent: Ast cum mores temporum magis luxui mortifero inservant, quam vitæ salutiferæ, hinc ejusmodi desideria in Rempublicam Platonicam erunt releganda.

Interea cum tenebræ densissimæ scholas medicas, uti & aliarum scientiarum, opprimant, ut supremum omnis solidioris cognitionis punctum sæpe in minutiis curiositatum quæ-

quæratur, ideo omnibus eo adlaborandum est viribus, in encyclopædia medicinæ synthetica, ut ex omni scientiarum latifundio τὸ utile ac necessarium seligatur, ac scientiæ medicinæ effectivæ, aptum ac conveniens admoveatur.

HIPPOCRATIS effatum de *arte longa* ac *vita brevi* hanc prudentiam suadet docendi æque ac discendi, ne curiosis physicis, omnem hodie in Medicina dogmatica paginam absolventibus, immoriamur, quamquam immorari paululum, ornatus, aut vitium seculi jubeat, quoniam indagatio occultorum physicorum phænomenorum, nescio qua lege, Medico potissimum injungitur, ut quidquid ad Macrocosmici centri ac peripheriæ scientificam enodationem pertinet, non nisi ab illo stricto jure deposcatur.

Sit ita, sed ambitus systematicus vitalitatis sartæ ac læsæ, in habitu materiali, instrumentali, finali, formali tam amplus est, ut in factis naturæ generalibus, specialibus, & individualibus perscrutandis totam ætatem impendere debeamus, si debitam ipsi opem præstare velimus. Tanto magis mens a nebulis opinionum, commentorum, hypothesium, per æva variabilium ac risibilium, libera esse debet, ne tempus viresque vitæ per tales ineptias perdantur.

Quo circa prudentis hodegi officium indispensabile esse existimo, ne quid doceat, cujus momentulum vel ipsum, vel discipulum mox pœnitat, & quod tyro mox iterum dediscere debeat, ac cum aliis temporum ac sumtuum dispendiis repudiare.

Theoriam eam tradat, quæ non ex commentis opinionum, vel antiquitatis, vel recentissimæ novitatis sit hausta, licet curiositatis alias gratissimæ palato adrideat, sed quæ factis naturæ, per dies indelebilibus sit superstructa, immo quæ actibus experimentalibus respondeat. Effectus vero tales monstren-

strentur, immo praxis medica talis doceatur, quæ minime vagis & fallacibus experimentis sit superstructa, aut sesquipedalibus agyrtorum fucis colorata: sed quæ inconcussa experientia, ac solida ratione unice nitatur. Quæ vero ex aliis scientiis pro cultura ac ornatu medicæ scientiæ atque artis adferuntur, ea ut strictissime ad usum, non autem impedimentum totius systematis adhibeantur, docentis prudentia ipsa suadet.

Consultissime itaque agitur in collegiis; quando scientiæ sororiæ in partes docentium abeunt, ut unus Anatomiam, alter Botanicam, alius Chymiam demonstret, & exinde, nihilo minus utilia, non speciosa, separet, ac in Philiatrorum utilitatem ducat. Hinc omnes pro scopo habeant, ut nucleum, non corticem adponere, utilia, non speciosa, necessaria, non curiosa congerant, utpote qua ratione scopus ultimus, vitæ nempe ac sanitatis apta conservatio facillime obtinetur.

Quodsi itaque Chymian, tamquam aliquam ancillarum artis medicæ, huc vocare & ejus culturam selectam optare ac promovere velimus, tum sane necessitas hujus indagationis patescet, quod non solum physicæ scientiæ exquisitissima clavis existat, & ita Medicus incipiat, ubi Physicus desiit; sed &, quod in actu ultimo, artis scilicet usu clinico, remediorum, pro effectu medendi habitum essentiæ ac effectus intimius cognoscere debeat. Hinc licet anatomica structuræ animalis, itemque fundamentorum botanices ac matheseos notitia omnino requiratur; tamen mixtionum corporearum, in macrocosmo occurrentium, atque in microcosmi usum trahendarum, analysis chymica pro theoriæ ac praxeos emolumento, summe necessaria merito judicanda est, ut gladio hoc contra morbi furores eo aptius uti, nec Pharmacopœorum fraudibus nos exponere,

immo

immo Phyſicorum deliramentis in corporum reſolutione cœcis oculis confidere debeamus.

Pro obtinendis ergo hiſce ſcopis *Laboratorio chymico* in Acedemia, Collegio, Societate, aut Facultate quacunque doctrinali medica opus eſt, & quidem, ſi rem rite expendam, magis utique, quam Theatro Anatomico, quam Horto medico, quam Muſeo curioſo, quam cumulis mechanicis, aut mathematicis machinis & inſtrumentis. Neceſſitas vero cum in genere pateſcat, nec non utilitas chymicæ culturæ pediſſequa, ideo cultores de natura, eſſentia, habitu & mediis inveſtigandi, immo ſcholam hanc igneam adornandi tanto magis erunt ſolliciti, quæ etiam ſolerti animo facile ſeſe manifeſtabunt, quum multi viam per carbones tritam iuerint ac monſtraverint.

Locus Laboratorio chymico adæquatus ſeligatur, ut tum ſolitudo operationibus ac contemplationibus attentis faveat, tum aëris libertas vaporum diſſipationem ac ſanitatis conſervationem adjuvet. In ſyſtematibus plurimis chymicis loci generalis inſtructio eſt deſcripta ac per figuras explicata.

Furnorum ac vaſorum, itemque inſtrumentorum adparatus ſufficiens adſit, ne vel defectus operationes, & experimenta impediat, vel nimia eorum copia oſtentationem fumi fucique plenam arguat: BECHERI *Laboratorium portatile* & VIGANI *Medulla Chymiæ* talia ſufficienter exhibent, quibus mediantibus labores omnes facile abſolvi ac demonſtrari poſſunt. Interim Chymicus exercitatus facile paucorum lapidum & carbonum ope negotia ſua abſolvit, tyrones autem ampliori adparatu opus habent, pro diverſitate operationum abſolvendarum & demonſtrandarum. Sic ignis reverberii cæmentationis, fuſionis, digeſtionis, &c. in variis furnis demonſtrari ſolet; & operationes chymicæ, metallurgicæ, docimaſticæ, fermentativæ, in inſtrumentis ſine uſu quoque doceri poſſunt.

 Mate-

Materiarum etiam copiam corpus chymicum offerat semper promptam, veluti metalla, mineralia, sulphura, salia, terras, menstrua, &c. in & ad operationes chymicas necessaria, & quidem in ordine chymico disposita, ne ad quamvis operationem hinc illinc demum ea conquirere & comportare necesse habeamus. Labores vero si adgredi variaque producta Tyronibus monstrare velimus, tum fatuum ac vacuum erit conamen, sublimioris Chymiæ, immo Alchymiæ tentamina in medium deducere, sed alphabetum minerale & prima mixtionum principia prius doceamus, immo discamus necesse est. Quamobrem vulgatissimas immo usitatissimas pharmaciæ merces primitus in medium producamus, immo ex angulis educamus, maxime eas, in quarum usu & adplicatione aliqua certitudo, utlitas, encheiresis fundamentalis atque experimentalis inquirenda ac reperiunda venit. Haud enim dedecori erit Chymico experimentatori, immo doctori, si discipulis suis vel solum in primitiis, aquarum & spirituum, vegetabilium aptam destillationem, succorum, syruporum, extractorum, essentiarum, salium, &c. præparationem, subjectorum ac objectorum indoli convenientem, demonstret, immo talia producta, prout in pharmaciis usu exponuntur, tamquam regulam & normam aliarum encheiresium ostendat: sic Laboratorium chymicum erit pharmacopolium in nucleo ac Gymnasio ascetico. Immo usui ac honori nihil decedet, si inde etiam communia pharmaca, rite solum parata, aliis dispensari poterunt.

Quando itaque communiores operationes & usitatiora producta juxta aptam manipulationem sunt demonstrata, tum altius adscendere valebimus ad ea quæ strictius ad corpus chymicum pertinent. Ante omnia autem necesse erit, ut quorumcunque simplicium, mixtorum compositorum & concretorum corporum notitiam adquiramus, indeque promptuarium materiæ physicæ ac medicæ colligamus, super

per & ultra ea, quæ in ſimplicibus pharmacevticis laboribus requiruntur. Sic varia mineralia, mineræ metallicæ, lapides ac terræ variæ, aliaque, quæ alias pro Muſeo curioſo colligi ſolent, in Laboratorio chymico commodam ſupellectilem & ornatum adæquatum præbere poterunt, quantum etiam ex regno Naturæ triplici, immo ex quovis regionum antro conquirere valemus. Ipſa autem producta, quæ haud ſingulis diebus ac annis de novo præ-ac reparari poſſunt, omni diligentia ſunt adſervanda, ut ita recordatio operationum & encheireſium ſemper ſub ejusmodi intuitu menti, oculo, manuique impreſſa maneat, ac inſimul aliis diſcrepantia â frivola, fugitiva & inepta imitatione poſſit demonſtrari. Si vero corpus chymicum, ſeu receptaculum præparatorum ſemper ſplendorem ſuum retinebit, quando producta ex mineralibus, metallis, ſalibus, ſulphuribus, ſub exacta operatione ſemper præſto erunt, ſcil. Mercur. præcipitatus, ſublim. varii, Cinnab. antim. factit. ſulphura antimonialia varia, ſpirit. miner. volat. ac fixi, ſalia media, acida, enixa, fixa, volatilia, croci minerales ac metallici, tincturæ & extracta omnia mineralia, ac vegatabilia, per diverſa menſtrua, oleoſitates variæ, &c.

His præſuppoſitis adſcendimus altius ad chymiatriam, & inquirimus, an veritas vel fucus ſit in variis promiſſis ſolarium, lunarium, martialium & mercurialium præparationum ſublimitatibus hujus vel illius ævi, ne quidpiam vel novarum, vel antiquatarum mercium rejiciatur, aut adſumatur. Quæ ſors ac fortuna diligenti ſcrutatori demandavit, ea etiam pro præſenti ac futuro uſu, immo informatione ſcholæ chymicæ adſervantur. Plus ultra ſi adniti placeat, tum non incongrue hermeticorum univerſalia & particularia, panaceas animales & minerales examinare valebimus, aut ad minimum experientiam capeſſere de mercuriis corporum, de ſulphurum metallicorum ac fixorum extractione, de menſtruis al-

caheſtinis , &c. ſique alium ſcopum ac uſum non reportabimus, quam terminos ac phraſes ænigmaticas diſcendo, ſufficiet utique, dum ita ad minimum contra fucos fallaces præmunire nos poterimus.

Ad Chymiam autem phyſicam totius univerſi, etiam ſi ſolummodo contemplativus ſcopus nos impelleret pro obtinenda mixtionis cognitione, ſuſcipere poſſumus ante omnia docimaſiæ & metallurgiæ exercitium, ut ita ſcientia chymicæ certæ ſubtilitatis ac ſublimitatis ſub demonſtratione didactica hauriatur ac doceatur, quomodo ſcilicet metalla ac mineralia utilia ex terris, lapidibus, ſcoriisque impuris educantur. Hac ratione peculiaris quaſi, ſed ampla ſatis Chymia, utilitatem ſuam cuilibet prudentiori ſtatim demonſtrans, prodibit, maxime vero metallorum diſcrimen etiam in perfectiorem ſtatum ducendum, manifeſto ſeſe offeret, quale ſpeculatorum acumen eruere non valebit. Non minus alii Chymiæ, itemque pyrotechnicæ, rivuli inde dimanabunt. Ars vitrificatoria, tinctoria, fermentatoria, &c. immo variæ utilitates œconomicæ, mechanicæ, &c. rationis æque ac experientiæ ope eliciendæ deſcendent. Taceo ſpecialiores adhuc fodinas chymicas, ſalis nempe communis, nitri, aluminis, vitrioli, boracis, &c. extractiones, quarum fundamenta vera diſcere ac docere phyſica ſcientia jubet, non pro ſpeculativo, ſed practico ſcopo ac uſu inſimul conjuncto, maxime ubi artificia inventa ac trita in leviorem, certiorem & commodiorem normam fuerint redigenda, ut ita inventis ſemper aliquid addatur.

Diarium actorum ſuppeditat argumentum collectioni ac ſcripturæ, partim ut memoriæ demandetur id, quod in ſingulis operationibus fuit obſervatum, maxime vero encheireſium apex probe notetur, immo quoque errores forſitan commiſſi, utpote qui ſæpe intimiori perſcrutationi

anſam


anſam præbent, nec non pro aliorum, ac in primis poſterorum inſtitutione inſerviunt.

Poſſunt etiam inſuper obſervationes chymiatricæ, ſeu medicamentorum adplicationes ſpeciales ad morbos, exinde formari & cognoſci, quando nempe non ſolum dextre præparata in uſum clinicum trahuntur, ſed & eorum effectus pro intimiore perſcrutatione ac imitatione debita cum attentione conſiderantur. Et ita utilitas pharmacevtica, phyſica, therapevtica, metallurgica, mechanica, œconomica, in infinitos ramos increſcet, ac ita docebit, culturam hujus artis ſcientificæ in univerſam ſcientiam medicam, immo vitæ humanæ neceſſitatem ſeſe plano flumine diffundere, ut boni malique hominum mores ſitim hic explere geſtiant. Prout enim artificia bellica nitri abuſum in perniciem hominum trahunt; ſic artificia culinaria, medica, metallica efficiunt, ut hoc ſal catholicum in animalium, vegetabilium & mineralium ſpagyricam vergat. Ita ergo vinorum, cereviſiarum, ſpirituoſorum & farinaceorum fermentationes, culinæ ac cellæ; ita calcium exuſtiones architecturæ opitulantur; ita terrarum mixtiones ruricolis inſerviunt; ita ſalina & aromatica, itemque ignis regimina coquis ſubſidio ſunt; ita colorum mixturæ pictoribus; ita ſalium & ſaponum adplicationes opificum operibus famulantur, & alia innumera commoda reſultant, quæ vita civilis ex Chymiæ latifundio haurire poteſt, ſolet, ac debet.

Majus ergo emolumentum expectare omnino licebit, ſi ſenſuale ejusmodi ἔργον καὶ πάρεργον ſtudio academico medicinæ dogmaticæ adjungetur, quam ſi tyro artis ſalutiferæ cunctas antiquæ ac recentis Philoſophiæ hypotheſes del ſſet, immo plane in ſuccum & ſanguinem convertiſſet. In Theoriam medicam ſi nullus inde reſultaret uſus, tamen vel is ſummi foret ponderis, quod ex fermentatio-

nis theoria salium naturam, adplicationes crudas in vitalitatis organismum in statu secundum & præter naturam tanto exactius tam a priori, quam a posteriori cognoscere valeamus : Sic enim mixtionis vitalis habitum ; sic conservationem ejus per motum humorum progressivum ac intestinum ; sic separationis ac secretionis mechanismum ; sic digestionis & concoctionis actum unitivum ac separativum chymica analysi ac synthesi perfectius indagare & explanare possumus.

Ultimo quoque de auctoribus chymicis aliquid adhuc in gratiam tyronum monendum est, quod tum pro medico, tum physico scopo nil, vel certe parum emolumenti adferant scriptores chymici, ætiologiam & experientiam mechanicis fulcris superstruentes, vel alii hermeticis scopulis sua arcana involventes. Utrumque hoc genus doctorum atque magistrorum per ignem intra phantasiæ labyrinthos oberrat, suosque imitatores pariter eo seducit. Becheriana & Stahliana schola theoriæ & praxeos chymicæ mercaturam certiorem elargitur. Manus hic oculatæ sunt, quod vident, credunt. Angulis & figuris hic non luditur, nec pavones, corvi, leones, angues in igne oberrant.



VIRIS

VIRIS,

ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ
NATURÆ CURIOSORUM
PERILLUSTRI ATQUE MAGNIFICO
DN. PRÆSIDI

D. ANDR. ELIÆ BÜCHNER,

ARCHIATRO ET COMITI PALATINO CÆSAREO, S. R. I. NOBILI, MEDICINÆ ET CHYMIÆ PROFESS. PUBL. ORDINARIO, FACULTATISQUE MEDICÆ ADSESSORI IN ACADEMIA GERANA, SOCIETATIS SCIENTIARUM REGIO-PRUSSICÆ SOCIO,

RELIQUISQUE MEMBRIS

EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS, DOCTISSIMIS, SPECTATISSIMIS
PRO CUJUSVIS ORDINE AC DIGNITATE HONORATISSIMIS

PATRONIS, FAUTORIBUS, COLLEGIS NOSTRIS

DEMISSE ATQUE MIRIFICE COLENDIS

SCHEDIASMA
DE

NUCIBUS MARGACEIS

VULGO

Mergel-Nüsse

MISSUM
AB

ALBERTO RITTER

GYMNASII REGIO-ILFELDIACI PRO-RECTORE ET ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM COLLEGA.

Divinus Plato:

DEUS ſemper geometrica exercet.

RES naturæ mirabiles ſæpius, immo ſæpiſſime negligi, propter vel hominum incuriam, vel ignorantiam, vel minorem curioſitatem, vel frequentiam, vel denique nullam notabilem utilitatem, quotidiana edocet experientia; & quamquam non *Vos* ſolum, *Viri Excellentiſſimi*, ſed etiam ſaniores omnes nobiſcum conſentientes habere facillime credimus, nihilo minus rei veritatem exemplo evincemus luculentiſſimo.

Exiguum ante tempus cum quodam amico nobis quam honoratiſſimo eramus in colloquio; hic forte fortuna ſermones inter alios mentionem injiciebat nucum quarumdam, Mergel-Nüſſe dictarum: nominatio vero hæc ſingularis quum nobis videretur, de qua antea neque audiveramus quidquam, neque legeramus in ullo Curioſorum ſcripto, curioſos nos reddebat, ut in rem eo diligentius inquireremus, quo minus noſter amicus præter nomen, figuram externam, gravitatemque aliud quid, nobis ſciſcitantibus indicare poterat. Quæ nunc hac ex parte in noſtram pervenerunt notitiam, ea *Vobiſcum, Viri doctrina præſtantiſſimi, Patroni ſummi*, brevibus tamen verbis, communicare hoc ipſo ſchediaſmate decrevimus, id quod ſit penſi ſymbolici loco, pro conſuetudine, *Vobis* ab *Anteceſſoribus veſtris* tradita, quando nos dignati eſtis *Veſtro* in ordine ſplendidiſſimo nobis locum nuperrime attribuere, quam plane ſingularem gratiam atque favorem heic debite prædicamus & celebramus, animoque agnoſcimus gratiſſimo.

Nominatarum *nucum margacearum* locus natalis, (a) pro Phyſicorum colloquendi more conſueto, ſunt duæ præfecturæ *Ertzen* & *Sternberg*, ad latus occidentale Viſurgis fluminis ſitæ; illa pertinet ad Ducatum Calenbergi-

(a) De hoc concreto marchaſitico Ertzenſi conf. Dom. D. BRUCKMANNI *obſ. in Commercii Litt. Norici An. 1740. Hebdomad. VI. pag. 44.* cum fig. ænea.

cum, hæc ad finitimum Comitatum Lippenſem, ſed jam paret quaſi pignus pro grandi pecuniæ ſumma, mutuo in illam data, jurisdictioni Hannoveranæ, ambæ ſunt maximæ, commodiſſimæque, propter agros optimos & fructuoſiſſimos, ſilvas utiles, prataque herboſa; in præfectura *Ertzen* jacet pagus judicialis Dn. *de Münchhauſen*, Schwöbber, adpellatus, qui in tota Saxonia Inferiore ſatis fama celebratus propter vivarium, inſtructum variis animalibus rarioribus, ambulacra læta ex abietibus altiſſimis, umbroſis, præprimis hortum ſuum amœniſſimum, cultisſimumque, propterque fructus in eo exoticos plurimos, rariſſimos, Indiæ tam Orientalis, quam Occidentalis; hic namque primus omnium fructum Americanum dulciſſimum, Europæis antea ignotum, *Ananas* dictum, (b) 1717. maturum protulit; tempore, quo aquæ ſalubres Pyrmontanæ bibuntur, a quibus haud procul abeſt. Maxima in eo eſt hominum celebritas, optimo jure hunc hortum omnibus Principum, immo multis Regum hortis longe præponimus; verſus in eum elegantes, ejusque ædificatorem, a Poëta anonymo compoſiti, quondam ad manus noſtras pervenerunt, quos, cum typis non ſint exſcripti, Lectori benevolo non ingratos futuros autumamus, quando heic illos inſerimus, qui ſunt cum epigraphe:

Othoni de MUNCHHAUSEN, Brunſ. & Lüneb. Provincialis ærarii Conſiliario, extera & longinqua ex regione quæſitis arboribus, mira fructuum olerumque rariorum copia

(b) Fructum *Ananas* Neuhof in der Geſandtſchafft der Oſt-Indiſchen Geſellſchafft an den Tartar Cham und Sineſiſchen Kayſer, pag. 345. ſq. deſcribit, delineat, ejusque plantationem, ſaporem naturalem, utilitatem atque noxam indicat pluribus. Similiter vide MICH. FRIDER. LOCHNERI Commentat. *de Ananaſa, ſive Nuce pinea Indica, vulgo Pinhas*, quæ prodiit Norimbergæ forma quarta, cum figuris.

copia, hortos ſplendide condecoranti, ſed proximiore agnato ex fratre nepote de MUNCHHAUSEN, Equ. Legionis Chiliarcha, in generum aſcito, vetuſtæ familiæ perennitati feliciter conſulenti, amicæ gratulantur Muſæ.

Quidquid ab Indorum pretioſis provenit arvis,
Munichhauſiadis ſplendidus hortus habet.
Nympha loci miratur ibi felicia naſci
Prodigia, & rigidum non metuiſſe gelu.
Climata mutavit cultor, dum meſſe beata
Saxonis Eoas gleba miniſtrat opes.
Hic mala Heſperidum ſol hic maturat Anhana,
Quæque dedit Ganges, ripa Viſurgis alit.
Sed licet extrema renovet pomaria fronde,
Non amat antiquum ſic renovare genus.
Ille peregrinas hortis ſtudet addere ſtirpes,
Sed generum ſtirpis gaudet habere ſuæ,
Quem Bellona diu duris exercuit armis,
Ad dulces pugnas nunc volat almus Hymen,
Fœcundant ſoceri Flora, & Pomona labores,
Fœcundet generi ſic quoque Juno Torum.
Prolifer hortorum cultor niſi debita reddas
Promeritæ genti germina, iniquus eris.
Noſter *Otho* raris Viridaria fructibus ornat,
Tu thalamo fructus grate priape para.

Domus autem prætoria *Ertzen*, cum ceteris ædificiis œconomicis, ex lapidibus noviſſime & belliſſime conſtructa, directore Præfecto ſupremo Dn. *Joſt Henrich Voigt* piæ memoriæ, qui vivus excellens Mathematicus & Oeconomus in terra Hannoverana floruit, ſibique memoriam condidit non vulgarem in orbe mathematico, inventione ſua nova, præclara, utili molæ tritoriæ; (c) alter hujus filius

(c) Vide ſis *Miſcellanea Berolinenſ. Tom. I. pag. 325. ſq. tab. 31.* VALENTINI *Muſeum Muſeorum, Part. III.*

lius, jam placide defunctus, paternam gloriam imitatus, *Otto Ludvvig Voigt*, Præfectus supremus Calenbergicus, nec non Commissarius Anglicano-Regius, æque egregius Mathematicus immortalitatem nominis sibi comparavit directione ædificationis cataractæ Hamelensis, quondam **die Hämelische Schlacht**, propter frequentiores in ea fractas oppressasque naves dictæ, operis mirifici, operosi, quod prioribus temporibus exercitatissimi Mathematici desperaverunt, sumtuosi, plus quippe centum millia thalerorum in illo sunt consumta, quare etiam in rei memoriam ad seros posteros duraturam, moneta argentea major, vulgo *medaille*, est cusa, valens ipsos duos thaleros & sedecim grossos, communiter **zwey** species-**Thaler**, quæ repræsentat in uno latere imaginem regis pectoralem, cum epigraphe: GEORGIUS II. D. G. M. BRIT. F. ET H. REX F. D. B. ET L. D. S. R. I. A. T. ET E. sub imagine legitur: *Hannibal*; in altero autem latere videmus Urbem Hamelam cum suis munimentis, flumini Visurgi adsitam, & ponte, itemque **den Werder**, in hoc parmulam, vulgo **ein Ravelin**, & cataractam novissime exstructam, in hac navem transeuntem, adhuc etiam in flumine, infra legitur:

Vndarum impetu Cataractis temperato prope Hamelam
M. D. C. C. XXXIII.

In adductis vero præfecturis sunt fodinæ margaceæ plurimæ, in summam rusticorum commoditatem utilitatemque, qua terra margacea fimi loco, agros refovent suos, in quibusdam harum, sed non omnibus, in primis ad pagum *Ertzen*, occidentem versus, leguntur *nuces* nostræ *margaceæ*, & quidem notandum, stratum esse in fodinis indicatis supra stratum, modo margæ optimæ, modo ochræ, quam agricolæ vocant **taube Erde**, quia non apta ad terram refovendam, atque in hac ipsa ochra reperiuntur sæpius, ast non cumulate, quoque aratro eruuntur dictæ *nuces margaceæ*, interdum etiam crystalli mi-

nores

nores elegantiſſimæ, ſplendidiſſimæ, perlucidæ, quinquangulares, ſexangulares ſimul fodiuntur, rariſſime quamvis.

Nomen quod attinet, nequaquam in has nuces quadrat, neque quoad formam externam, neque quoad ſtructuram internam : illa enim plerumque rotunda, vel huic proxima, perraro alia, hæc ſplendens, ſolida, & ex centro verſus peripheriam radioſa. Equidem ſunt, qui narrant, quasdam fuiſſe repertas, quæ fractæ continuiſſent terram laxiorem, friabilem, fuſco-rubram, ochraceam : nobis autem hoc non evenit, quamquam plures viginti vel quadraginta malleo diffregimus, & ſi ita eſſet, non videmus, quomodo talis terra nucis nucleo poſſit comparari, interim cogimur, hanc denominationem retinere, tamquam ſemel receptam, notamque cuivis plebejo illorum locorum.

Quando vero has nuces paulo adcuratius contemplamur, & perquirimus, nihil aliud ſunt, quam metallum immaturum & imperfectum, (d) vel metallum embryonatum, (e) fugax, radioſum, ſplendens, varie coloratum, grave, durum, fragile, ex mercurii principiis, ſed magis digeſtis & coagulatis, ortum ; variis notatur nominibus, (f) communiter audit *pyrites metallaris*, *marcaſita*, *ovum philoſophicum*, **Kieß, Kieß-Nüſſe, Berg-Eyer, Ertzt-Blumen**, quoniam metallifoſſores credunt, illud ſpem facere de argento futuro.

Differentia vero pyritæ eſt multiplex & varia, differt enim:

Primo ratione internæ *eſſentiæ*, & eſt vel *pyrites ferreo-ſulphureus*, **Eiſen-Schwefel-Kieß**, quando nimirum ferrum prævalet, cujusmodi major pyritarum pars eſt, qualis ipſe noſter pyrites in examine metallico repertus, inſu-

(d) VALENTINI *Armamentarium Naturæ pag. 158.*
(e) VATERI *Phyſiologia pag. 398. ſeq.* VOLCKMANNI *Sileſia ſubterranea, pag. 244.*
(f) Vid. Experient. D. HENCKEL *Pyritologia, pag. 64. ſeqq.*

insuper centumpondium continuit viginti quinque ad usque triginta quinque libras sulphuris ; reliquas etiam pyrites ferreo - sulphurei notas habet characteristicas, videlicet, 1.) colorem albo - splendentem argenti ad instar, 2.) emissionem spiculorum martialium, quando chalybe percutitur, 3.) malleo contritum magnes ad se trahit, 4.) colorem in superficie ferruginosum ; porro vel *pyrites cupreo-sulphureus*, **Kupffer = Schwefel = Kieß**, quando cuprum praevalet, vel pyrites sulphureus, **Schwefel = Kieß**, quando praegnans sulphure ; vel denique *pyrites sulphureo - vitriolatus*, **Vitril = Schwefel = Kieß**, quando praegnans vitriolo, & hic brevi tempore se prodit, dum aëri libero expositus, vel humore consperfus, facile emittit sal vitriolicum capillare canum, & redigitur in pulverem canum ; experto credere poteris Roberto, siquidem saepius locellos scrinii nostri, in quibus adservabamus asteritas pyritosas, cornua Ammonis pyritosa, ligna pyritosa, alia, invenimus vacuos, horumque loco nihil aliud reliquum, quam pulverem canum, & initio cogitabamus, donec rem aliquanto amplius animo amplectebamur nostro, manum furacem illa abstulisse; praeterea notamus, pyritem existere posse sine vitriolo, sed nunquam sine sulphure (g)

Secundo ratione *coloris* praesertim interni, qui triplex erit, nimirum *color albus* vel argenteus, & hic est proprius pyritae ferreo & vitriolato ; *color subflavus*, qui proprius pyritae cupreo ; denique *color flavus*, qui proprius pyritae sulphureo : Ceterum quidem pyrites aliis coloribus pulcerrimis, hilarissimis, videlicet rubicundo, rufo, flavo, caeruleo, viridi, smaragdino, vel in superficie, vel in fissuris, vel in scissione violenta & inaequali, pingi solet, horum vero causam rectius effluviis metallicis, atque horum adflatui vulgo **Anwitterung** / & variae fractioni radiorum lucis incidentis tribuemus.

Quare

(g) Curiosiss. D. HENCKEL *loc. cit.*

Quare etiam frons pyritæ prima, dicam, ***color ejus aureus***, decepit multos, in primis auri avitissimos Alchimistas, quos diis iratis natos esse censemus, miserrime fefellit, ut carbonem pro thesauro invenerint, qui tamen proverbium teutonicum vetustissimum, verissimumque cum animo suo debuissent cogitare:

Es ist nicht alles Gold, was glänzet.

Tertio ratione ***formæ***, quam dispertimur in ***ordinariam***, hæc est globosa & angularis, in ***extraordinariam***, hæc est cellularis, fistularis, cristata, prismatica, lamellosa, tabularis, tubulosa, botryformis, stiliformis, stellata, ovata, reniformis, & cylindrica; (h) in ***singularem***, ex pyritis nostris exemplaria aliquot eximia sane & pulcra, ***Vobis, Viri Excellentissimi***, curiosisque omnibus ante oculos ponimus ære excusa, hisque describimus verbis:

Tab. æn. Fig. I. est pyrites exacte sphæricus, quamvis aculeatus, magnitudine naturali, ponderat unam libram & sedecim semuncias, colore aureo jucundissimo tinctus, cujus diameter emetitur tres digitos cum semisse; de hujusmodi pyritis Execellentiss. D. KUNDMANN: (i) Marcasita, inquit, aurea, **Gold-Kieß**, polygona rarissima, ex meris cubis formata, qualem delineavit, descripsitque WORMIUS. (k)

Fig. II. Pyrites globosus aculeatus, intermistis parallelogrammis rarioribus, magnitudine sua naturali, ponderat viginti & duos semuncias, colore badio; hujus diameter metitur duos pollices cum semisse.

Fig. III. Pyrites rotundus, quasi nubilus, magnitudine naturali, cujus diameter emetitur duos digitos cum semisse, ponderat viginti & septem semuncias ochra involutus, vel incrustatus.

Fig.

(h) Idem ibidem pag. 155.

(i) vide ejus ***Promptuarium rerum natur. & artifical. p. 279.***

(k) ***In suo Museo Libr. I. cap. III. pag. 40.***

Fig. IV. Pyrites orbicularis denticulatus, magnitudine ſua naturali, cujus diameter ipſe pollex eſt, pendit tres ſemuncias, colore ferrugineo.

Fig. V. Pyrites tabularis, ex meris cubis & parallelogrammis conflatus, cujus longitudo quatuor digiti, latitudo duo digiti cum dimidio, craſſities ſemidigitus, pendit quatuordecim ſemuncias cum dimidia.

Fig. VI. Cubus perfectus, ſuperficiebus planis & æquis, corpus eſt pollicare, ponderat quatuor ſemuncias, ochra obtectus.

Fig. VII. Cubus antecedenti magnitudine & pondere ſimilis, in hoc autem differt, quod ex ejus ſex ſuperficiebus, in medio quaſi progerminent anguli novorum cuborum, & quis non videt, hanc progreminationem eſſe veram, adæquatam primariam originem omnium globorum pyritoſorum, dum cubus cubum progerminat, donec excreſcat in globum, horum vero vel regularitas, vel irregularitas, eſt modo accidentale quid.

Fig. VIII. & IX. Hi duo cubi a prioribus deſcriptis plane non differunt, niſi magnitudine & pondere, illa in minore cubo eſt ſemidigitus, in hoc unica ſemuncia.

Pyrites noſtri reliqui fere omnes ſunt globi inæquales, pauciſſimi regulares, & ochra, in qua jacent, incruſtati. Ceterum hoc loco non intermittimus, quod noſtrum a nobis requirit officium, publice gratias agere quam maximas Dn. *Adolpho Friderico Voigt*, *Præfecto ſupremo Ertzenſi*, pro ejus humanitate & gratificatione plane ſingulari, quod non prompte ſolum reſcripſerit noſtris ad eum exaratis litteris, nosque docuerit de circumſtantiis neceſſariis, ſed etiam ad ducenta pyritarum exemplaria tranſmiſerit, quæ humanitas & gratificatio ſane non vulgaris haud tacenda, potius multis, minus officioſis prædicanda atque adprecanda.

Varias pyritarum figuras, cubicam, ſphæricam angu-

gulosam, quadratam, parallelogrammaticam, hexagonam, octangularem, dodecangularem, alias, quod concernit, hae omnes originem suam debent salibus delitescentibus, varie crystallisatis sibi coaptatis, dum sal commune format figuram cubicam, nitrum prismaticam, tartarus & vitriolum figuras angulares quascunque. (l)

Singularibus pyritis optimo jure adnumeramus illos figuratos, communiter eleganter signatos, vel quos *naturæ lusus* vocare consuevimus, vel qui testantur de fatali, tristi cataclysme Noachico, quosque partim ipsi in scriniis nostris sepositos adservamus, partim ex aliorum Curiosorum scriptis collegimus:

Primum omnium occupabit locum *Cornu Ammonis* pyritosum, hoc legitur diversis in locis tantaque copia, ut iis currus quadrigarum onerare possimus.. LANGII *historia Lapid. figurat. Helvetiæ pag. 91. 98.* SCHEUCHZER. *Oryctographia Helvetiæ pag. 260. seq.* KUNDMANN. Seltenheiten der Natur und Kunst *tab. IV. num. 4. seq.* Excellent. D. BRüCKMANN *Epist. Itin. VII. pag. 7.* BAJERI *Oryctographia Norica pag. 63. seq.* BAUHINUS *de Balneo Bollensi libr. IV. pag. 15. seqq.* D. BYTEMEISTER *in Catalogo Adparat. Curiosorum pag. 51. tab. XXII. num. 268. seqq.*

Buccinites
Turbinites } LANGII hist. Lap. fig. pag. 109. 111. 157.
Terebratulæ

Coahlites
Pectunculus
Tellinæ } SCHEUCHZER Oryct. Helv. pag. 278. seq. 306. & 159.
Belemnites

l) LANGIUS *in Historia Lapid. figur. Helvet. pag. 2. seq. it. pag. 14.* Celeberr. HOLLMANN *in Philosoph. naturali pag. 715.*

Musculi bivalves fluviatiles	Celeberr. D. BRüCKMANN	Epist. Itin. 64. p. 5.
Glossopetra		Epist. Itin. 19. p. 6.
Belemnites		Epist. Itin. 65. p. 12.
Pectines bivalues.		Epist. Itin. 84. p. 10.

Astroites BAUHINUS l. c. Experient. D. HENCKEL in Pyritologia tab. VII.

Mytilus minor fluviatilis } BAYER Oryct. Nor. pag. 74.
Belemites } tab. 4. f. 5. 6. it. pag. 38.

Lapis judaicus } BAUHINUS l. c.
Cochlites }

Fungites } Curios. D. HENCKEL, loc. cit. 8. tab. 8.
Concha fatiscens }

Trochi lapidei, orbis superior ænea armatura fulgens, SCHEUCHZER *l. c. pag. 277.* & LACHMUND *in Oryctographia Hildesiensi pag. 26* armari, inquit, solent lapides pyritæ, ut Belemnites, cornu conchites, ceteri.

Lithoxylon pyritosum, LISTER de Font. medic. Angliæ p. 23. WORMII Museum p. 4. Excellent. D. BRüCKMANN. Epist. itin. 84. p. 12. BüTTNERI Coralliographia subterranea p. 36. VOLCKMANN. Silesia subterran. p. 88. MYLIUS Saxonia subterr. Part. I. p. 63. Experint. D. HENCKEL l. c. p. 336.

Echinus rarissimus, SCHEUCHZER l. c. p. 318. oculatissimus LANGIUS l. c. p. 118. scribit. *Echinos marcasitaceos huc usque non observavi.*

Integram *cancri fluviatilis chelam* marcasitaceam ex Maris Germanici insula Helgeland, Littori Schlesvicensi confine, adservat Curiosiss. D. BRüCKMANN in Technophylacio suo instructissimo, id quod nobis litteris suis nuperrimis benigne significavit. Usus pyritarum erit triplex, vel *mechanicus*, vel *physicus*. vel denique *medicus*.

Mecha-

Mechanicus:

Kieß-Druſen inſerviunt exornationi cryptarum, ſcriniorum, caminorum, propter colores varios ac ſuaves, etiam propter figuras ſuas & repræſentationes ſæpius mirabiles & gratiſſimas, ab humido vero aëreo facile rediguntur in pulverem.

Pyrides ferreus ad excitandum ignem eſt aptiſſimus, nullus quippe ictus incaſſum erit, hinc in igniariis utiliter adhibetur, & Germani veteres pyritis præparatis communiter utebantur in catapultis rotatis & in bombardis manuariis ad ignem eliciendum ſclopeti explodendi.

Pyrites quandoque utilis fuſoribus metallicis, fluoris loco ad metalla liquanda.

Ex pyritis coquitur ſulphur, arſenicum, vitriolum, ſi tibi volupe, plura hac ex parte legere poteris in *Löhneiſens* **Bericht von Bergwerck**, p. 80. & in **Röslers Berg-Bau-Spiegel** Lib. VI. cap. XVI. pag. 155.

Phyſicus.

Dn. LEMMERY ad demonſtrandum terræ motum utitur ſulphure, limatura martis, & ope aquæ cogit in maſſam, hæc libero in aëre poſita poſt paucas horas incaleſcit, rimas agit, exhalat vapores calidos, immo igneos. *Memoires de l' Acad. Royale, l' an. 1700. pag. 131. ſeq.* Fere ſimile quid nobis nec ſperantibus, nec cogitantibus quidem evenit, cum argilla Walbeccenſi, (*Walbeck* autem eſt oppidum ſine muris, Helmſtadio proximum, Ducatus Magdeburgici cum eccleſia cathedrali Canonicorum Secularium in monte ſita, quod fluvius *Allera* perfluit,) qua in latent frequentiores pyritæ rotundi, multo vitriolo prægnantes, quales deſcribuntur Almerodani Haſſiæ a Dn. ROSINO; vide ſis hujus epiſtolam in Experient. D. HENCKEL *Pyritologia p. 976. ſqq.* Hanc adſervabamus in olla fictili minore, optime cocta, nullo operculo tecta, ceterum collo ſatis amplo, factum vero, ut poſt aliquod tempus in ſuperfice adparerent efflo-

rescentiæ atramentosæ, albæ, crystallinæ ac plumosæ, ac si massa mucore obducta esset, porro hæc fermentare incipiebat, & plane ollula effluebat, denique ipsam ollam disrumpebat.

Argilla, ex qua prodeunt marcasitæ, aëre sub tecto per aliquot menses exposita in frustula fatiscit, quæ in nigrum abeunt pulverem, eaque odorem spargunt acidum, tumque ex iisdem vitriolum elici potest. Interjecto aliquot annorum spatio hoc argillæ genus odorem spirat sulphureum, & in marcasitas cujusvis magnitudinis abit. *Dn. HAMEL Historia Regiæ scintiarum Academiæ p. 18. seq.*

Medicus:

Pyrites ex sale & sulphure originem habens, natura sua summe est calidus ac corrosivus, hinc calefacit, siccat, discutit, humores attenuat, mundificat, oculorum obfuscationibus auxiliatur, & carnis excrescentiam prohibet & absumit. LANGIUS *l. c. p. 14. & 21.*

Ex terra solari Hassiaca inprimis, quæ nihil aliud, quam pyrites Martialis, in officinis pharmacevticis paratur Tinctura Vitrioli Martis Ludovici aliaque medicamenta.

Quod reliquum est, ne huic scripturæ positos limites transgrediamur, summum Dei Numen vehementer etiam atque etiam oramus, jubeat, Tu, præprimis, *Vir Illustris, Mecenas summe*, quam diutissime adhuc supersis, tanquam firmissimum Societatis, fidei *Tuæ* a Cæsarea Majestate concreditæ, fulcimentum, quo reliqua membra nullo non tempore tute & feliciter niti possint, sidus fulgentissimum orbis litterati, ornamentum plane singulare vetustæ Academiæ Geranæ, non minus Familæ *Büchnerianæ* florentissimæ, celeberrimæ; solamen auxiliumque certissimum ægrotorum, morbis gravibus oppressorum omnium; Vigeant, floreant insuper cuncta Societatis membra ac *Socii reliqui, Collegæ nostri maxime suspiciendi*, sint salvi incolumesque, quo sufficiant laboribus suis doctissimis atque laudabilibus, agantque quam felicissime semper! De

DE
SCHISTO
EJUS INDOLE ATQUE GENESI
MEDITATIONES
CUM DESCRIPTIONE DUORUM
VEGETABILIUM RARIORUM,
FLORIS ET ARISTÆ,
IN SCHISTO REPERTORUM
TRANSMISSÆ
A
M. SAM. THEOPHILO LANGIO,
PASTORE LAUBLINGENSIUM, IN DUCATU MAGDEBURG. ACADEMIÆ IMPERIAL. NAT. CUR.
APOLLONIO PERGÆO II.

L. B. S.

Legibus Academiæ noſtræ ſatisfacturus, in ſtudio Hiſtoriæ naturalis ea potiſſimum diſcutienda mihi ſumſi, quæ locus, in quo nunc dego, quotidie ſuggerit. Eſt ille pagus *Laublingen*, præfecturæ *Beeſenſi* ad Salam proximus, quatuor milliaribus diſtans ab *Hala* Magdeburgica, duobus a *Wettino*, & tribus a *Gibichenſtein*, locis, propter fodinas Lithantracum, haud ignotis, uno a *Berenburgo*, uno a *Rotenburgo*, ubi officinæ fuſoriæ ſunt, in quibus ex Schiſto, cupri feraci, metallum hoc excoquitur, quæ minera in vicinum Comitatum Mansfeldenſem excurrit.

In media itaque Schiſti patria habitans, primum quoque eidem dicavi laborem, alia, quibus hæc regio abundat, naturalia, etiam ſucceſſive deſcripturus. Quæ opera, tantum abeſt, ut muneri meo ſacro impedimento ſit, ut ſuavem potius ſæpiſſime experiar nexum inter eas, quæ verbum DEI revelatum pro objecto habent, meditationes, easque, quibus librum Naturæ ſcrutor, in ea regione, quæ totius quaſi regni lapidei compendium dici meretur.

§.I. Præ-

§. I.

PRæsens lapidum species, cujus brevem jam delineationem sistere placet, varia obtinuit nomina: Plerisque enim sub denominatione *lapidis scissilis*, seu *fissilis* nota est, quod vero nomen, tamquam magis generale, omni lapidi, ex lamellis sibi invicem incumbentibus constanti, Spato nempe, Glaciei Mariæ, &c. est commune. Ab aliis vocatur *Ardosia*, seu *Ardesia*, ab *ardendo*, quod solis radios, ceu flammas, ex tectis reflectat. Nomen vero ejus proprium & speciale est *Schistus*, germanice **Schieffer.**

§. II.

Ut autem tanto melius ea lapidum species, circa quam occupati sumus, dignoscatur, adferam ex celeberrimi LINNÆI *Systemata Natura* ea, quæ ad illam pertinent, ut Schisti nostri convenientia cum aliis lapidum speciebus, & denominationum ratio eo melius pateat. Hoc etiam in posterum nobis proderit, si occasione Spati lamellati, Gypsi, Oolithi, Pisolithi & aliorum, quibus regio mihi vicina abundat, de his quoque meditationes quasdam communicavero. In *Linnaana* (a) *dispositione regni lapidei* agmen ducunt *lapides simplices*, particulis similaribus constantes, qui *Petrarum* nomine communi insigniti, classem regni

(a) Systema Naturæ CAROLI LINNÆI, sive tria regna naturæ systematice proposita, primum prodierunt Lugduni Batavorum, in charta regali maxima. Idem Systema prodiit Halæ, tempore nundinarum Lipsiensium vernalium anni 1740. in forma quadripartita majori, cum versione germanica, opera fratris mei, JOANNIS JOACHIMI LANGII, Mathematum apud Halenses Prof. Ord. Acad. Nat. Cur. Apollonii Pergæi I. Eodem tempore in forma octipartita ipse LINNÆUS Systema Naturæ Stockholmii denuo quoque edidit. Prior vero & ultima harum Editionum, cum apud nos sint rariores, hinc unice usus sum Halensi n ostra.

regni lapidei constituunt primam, in tres ordines subdivisam, *apyrorum* nempe, *calcariorum* & *vitrescentium.* Secundo ordini, *calcariorum* videlicet, qui usti & aqua rigati in farinam reducuntur, ita Schistus accensetur, ut ordinis hujus peculiare constituat genus, charactere generis a fragmentorum indole & figura desumto. Sic Schistus est lapis calcarius, constans fragmentis fissilibus, Spatum fragmentis rhomboidalibus, & Marmor fragmentis incertis. Schistus autem tamquam genus, ex recensione LINNÆI, quatuor sub se comprehendit species:

1. Fissilem (inutilem) rudem, cinereum. **Schlechter grauer Schieffer.**
2. Fissilem vulgarem nigricantem, friabilem. **Gemeiner schwärzlicher Schieffer / so sich zerreiben läßt.**
3. Fissilem lapidem nigrum duriusculum. **Schwartzer harter Tafel-Schieffer.**
4. Ardesiam tegularem, colore cum specie tertia convenientem, sed ob paulo majorem duritiem clangosam. **Schwartzer harter klingender Dach-Schieffer.** His speciebus Linnæanis addimus speciem.
5. Videlicet Massas reniformes. **Schieffer-Nieren.**
6. Schistum flavum Pappenheimensem. **Gelber Schieffer aus dem Pappenheimischen.**
7. Schistum brunni coloris, particulis squamosis micaceis refertum, Laublingensem. **Braunrother Schieffer, mit weisser gemeiner Blende von Laublingen.**

§. III.

Ex hac systematica dispositione notionum, classis, ordinis & generis, sequentem Schisti formamus definitionem, aut si mavis descriptionem: *Schistus est petra calcaria, constans fragmentis fissilibus.*

§. IV.

§. IV.

Dum Schiſtum cum LINNÆO in claſſe prima, ***Petrarum*** nempe, ad eos refero lapides, qui, quod particulis ſimilaribus conſtant, *ſimplices* audiunt, non diffiteor Schiſtum quoque reperiri, qui ad claſſem ſecundam Linnæanam, ***minerarum*** nempe, (quæ petræ ſunt, particulis peregrinis imprægnatæ,) ſit referendus. Pertinet enim huc *fiſſilis aluminaris*, ***Bitumen ſolidum in Schiſto***, ſive Lithantrax, vel Carbo foſſilis, *Schiſtus ſulphure prægnans*, pyritem oſtendens, cupro fere nativo præditus, mineram cupri cœruleam, vel violaceam, in ſe continens, *Schiſtus plumbo & argento imprægnatus*. (**Allaun-Schieffer, Stein-Kohle, Schwefel-haltiger Schieffer, Schieffer mit Schwefel-Kiesen, darin gediegen Kupffer, Kupffer-Lasur, Kupffer-Glaß, Bley-und Silber-haltiger Schieffer.**) Immo nec ex tertia regni lapidei claſſe Linnæana, *foſſilium* nempe, quæ conſtat particulis diſſimilaribus, petroſis, aut mineralibus mixtis, exulat Schiſtus: Cum enim in hac Claſſe ordo tertius *petrificata* ſiſtat, & nos in Schiſto habeamus dendritas, phycitas, pſeudo-aſtroitas, **Baum-Steine, Mooß-Steine, unächte Stern-Steine**, totque vegetabilia atque animalia in eo reperiamus, hinc merito & in ea Schiſtus potiſſimum eſt conſiderandus.

§. V.

Dum Schiſtus in claſſe prima petrarum ad ordinem ſecundum calcariorum lapidum refertur, reſpicitur ad terram calcariam in ſimplici Schiſto occurrentem. Haud mirum vero eſt, quod Schiſtus fuſione fortiore in vitrum abeat: Non enim omnis terra calcaria ſolum, vehementiſſimo igni ſpeculorum cauſticorum expoſita, in vitrum abit, ſed & heterogenea terra vitreſcibilis, ipſæque metallicæ in Schiſto occurrentes particulæ, faciliorem reddunt ejus vitrificationem, ut nihil dicam de heterogeneis reliquis, quæ

in variis metallorum fusionibus & excoctionibus adduntur Schisto. Hinc nec alienum plane ab aliquibus Schisti speciebus, quod fusionis facilitandæ causa soleant adhiberi, eaque propter etiam hi recte ad *fluores* sic dictos referuntur, & in scorias vitreas post fusionem abeunt.

§. VI.

Character Schisti genericus est, quod constet fragmentis fissilibus (**aus Stücken, die sich spalten lassen**,) quæ autem certa figura non sunt præditæ, unde differentia generica Schisti a Spato, quod non nisi fragmentis rhomboidalibus constat, & a marmore, quod fragmenta exhibet incerta, in propatulo est. Non ignotum quidem est, quod marmor & lapis calcarius in certis reperiantur stratis, plerumque parallelis; ast nunquam in tenuiores lamellas dividi possunt, & propterea Schisto accensendi minime sunt. Plura vero de spato & marmore nunc studio non adfero, quoniam ad præsentem non faciunt disquisitionem.

§. VII.

Ad *species* Schisti quod attinet, specialia quædam suppeditabo in regione mihi propinqua, agro nempe Halensi, Gibichensteinensi, Wettinensi, Rotenburgensi, Laublingensi, Mansfeldensi & Berenburgensi occurrentia.

§. VIII.

Prima species fissilis rudis, seu inutilis cinerei, occurrit potissimum in agro inter Halam & pagum Gibichenstein, cui multa reperiuntur inclusa esse vegetabilia. Ad eandem speciem refero Schistum Sachsenburgensem, cujus frustum elegantissimum, Corallio prægnans, possideo.

§. IX.

Secunda species apud nos occurrit, & ita quidem, ut stratum carbonis fossilis Wettinensis Schisto nigricante tegatur, qui non penitus quidem friabilis est, magis tamen ad hanc, quam ad tertiam speciem referri meretur. In

hoc omnia, quæ alibi solent occurrere, vegetabilia reperiuntur. In Schisto vero illo, qui in dictione Judicii metallici Rotenburgensis apud nos reperitur, itemque in Mansfeldensi, qui uterque Sulphure abundat, & cupri est feracissimus, nec argento caret, plurimi reperiuntur pisces. In eodem tamen reperiuntur aliquando vegetabilia, quorsum arista nostra est referenda. *Vid. Tab. II. Fig. I.*

§. X.

Massæ reniformes apud nos rariores occurrunt, frequentiores autem reperiuntur in fodinis Ilmenaviensibus, atque piscibus & vegetabilibus refertæ sunt. Inter rariora hujus speciei numerandum esse censeo florem nostrum, *fig. 2*, delineatum.

§. XI.

De Pappenheimensi flavo Schisto non plura adferam, quam quod in eodem pisces habeamus, ubi spinæ squamis utrinque adhuc obtectæ sunt, & alios, quorum nudæ spinæ in sceleto quasi occurrunt; item cancri & stellæ marinæ, de quibus specimina nonnulla frater meus supra nominatus possidet & in Lithophylacio suo satis instructo adservat.

§. XII.

Septima species est, quam hic locorum reperi, & propterea *Laublingensem* nominavi, licet etiam alibi occurrere possit. Colorem ex rubicundo brunnum habet ex peculiari principio martiali, quod in eadem hac nostra regione se prodit in argilla rubra, rubrica, saxo rubicundo, (unde pagus Rotenburg nomen accepit,) & terra brunna pictoria, *Umbria* dicta. Mica, particulis squamosis huic Schisto inspersa, adfinis est spato lamellato, inter lapidem calcarium atque Gypsum apud nos quoque reperiundo.

§. XIII.

Generatur Schistus in terra, cumque omnipotentia

ſummi Numinis cum terra in genere omnes etiam ejus ſpecies ſimul produxerit, ſatis eſſet, ſi hoc ſimpliciter de Schiſto adfirmaremus. Cum vero non omnes lapides, qui jam lapides ſunt, in creatione quoque tales fuerint, ſed longo abhinc tempore eam acceperint naturam, hinc facile liquet, non omnem Schiſtum hodiernum abſolute ortum ſuum creationi debere.

§. XIV.

Quamquam autem certum ſit, quod non omnis Schiſtus in creatione fuerit productus, tamen etiam probabile eſt, aliquem cum mundo fuiſſe productum. Prioris adſerti veritatem demonſtrant conditio ejus, ſtructura ac configurationes; ſiquidem etiam curioſa ejus luſtratio & conſideratio, ortum hujusque modum fiendi nobis non ſolum ob oculos ponit, ſed & clare ſatis exponit atque declarat.

§. XV.

Structura ejus nobis oſtendit ſtrata ſuper ſtrata, laminatim & foliatim fiſſilia, ita ut ſtratum ſuperius non arcte connexum ſit cum inferiori, &, quamquam adhæreat, tamen non cohæreat. Sicuti omnis Schiſtus tali modo compoſitus eſt, ita in primis Helveticus, quem laminatim effodiunt **auf dem Blattenberge**, qui mons exinde nomen accepit, hoc comprobat. Singulæ Schiſti tabulæ duabus conſtant planitiebus, quarum ſemper ſuperior duriſſima & polituræ capax, inferior autem mollior, aſperior magis, disruptior & ad polituram inepta eſt. Sagaciſſimus naturæ indagator, JOH. JAC. SCHEUCHZER, Acad. Nat. Curioſorum quondam decus, hanc Schiſti qualitatem ulteriore meditatione dignam judicat in ſua *Meteorologia & Oryctographia Helvetica p. 110.*

§. XVI.

Figuræ Schiſto impreſſæ novum ſubminiſtrant argumen-

mentum, quo probare possumus ortum ejusdem post creationem. Eo lubentius me accingo ad hanc demonstrationem, quoniam in præsentiarum de duobus Schisti fragmentis rarioribus specialius agere mecum constitui, atque jam tali in regione vitam dego, quæ Schisto varie figurato, & pisces & vegetabilia continente, abundat. Petrefacta in genere suam nequaquam debent originem ludenti nescio quali Naturæ archeo, sententia hæc communissima haud tanti est, ut anxie eam refellere adnitar. Naturæ notitia & indagatio nullum archeum, & curatior oculorum inspectio nullum lusum admittit, siquidem etiam hunc cum aliquali omnium generum petrefactorum adparatu, in meo Lithophylacio (b) occurrente, satis exacte refutare possum. Si enim lusus admittendus esset, concedendum quoque foret, lusu etiam ea in lapide perfecte posse produci, quæ ad aliud naturæ regnum simpliciter pertinent. Possideo ostream

S 3 par-

(b) Hac occasione brevibus propositum meum, in usum *Illustris Academiæ Imperialis Naturæ Curiosorum* conceptum simul exponam: Data mihi a *celeberrimo Præside* moderno, Dn. D. A. E. BUCHNERO, Promotore meo ad cineres usque omni honoris cultu prosequendo, venia visendi Museum modo nominatæ *Illustris Academiæ*, animadverti deesse adparatum naturalium & curiosorum e regno minerali & vegetabili. Hoc desiderans optavi, ut essent, qui liberali manu defectum istum, transmittendo similia specimina supplerent. Statim vero quod ab aliis ut impleatur optaram, id ipsum mihi injunxi; ast cum studium meum physicum, sepositis reliquis, ad *regnum* solum *minerale* directum sit, ideoque quoque unice ad hoc regnum pertinentia congeram, & in usum *Acad. Nat. Curios.* colligam, obnixe simul rogitans, ut omnes, quibus emolumentum hujus Academiæ curæ cordique est, me adjuvent, quo tandem aliquando *Societas nunquam otiosorum* conjunctis Collegarum viribus, collectum Lithophylacium possideat instructissimum.

parvulam, cujus valvæ diſcuſſæ ſunt, quæ matrix alterius oſtreæ minutiſſimæ eſt. Primo intuitu in exteriore ejus cortice conſpicitur naturalis & perfecta oſtrea, adeſt enim ſtructura naturalis, cum ſuis ſtriis ac colore & nitore proprio, interior vero pars nil niſi lapidem oſtendit. Si petrificationem hic quiſpiam negare vellet, ille abſolute concedere deberet, naturam ludendo & quaſi, in ſomnio per accidens miracula edere. Plura poſſem ex muſeo meo adducere ſpecimina, ſed de eo in præſentiarum prolixus eſſe nolo. Forſan favente divina gratia de petrificatione aliquando ex inſtituto agam. Interim quædam hac de materia notarunt SCHEUCHZERUS, LEMKERUS, Conrector Lüneburgenſis (in ſcripto D. *Patryck*, Revelation examin d' whit candour, translato, ſub titulo: **Aufrichtige Unterſuchung der Warheit der Offenbahrung**, p. 483. - 578.) LESSERUS, LIEBKNECHT, BUTTNERUS, &c.

§. XVII.

Ut ortus Schiſti per diluvium eo magis probetur, addam adhuc, me habere nonnulla fragmenta, quæ piſcium varias ſpecies oſtendunt. Invenies nempe in lapide duro ac nigro piſces exacte expreſſos *cum ipſis papillis nondum petrefactis & albis.* Accidit aliquando, cum malleo ubi cauda piſcis alicujus ſubtili ſtrato tegebatur, hoc ſtratum avellere contenderem, ut cum ſtrato etiam ſubjacentes ſquamæ deſilierint, & ſpinam ubi deſinebat, cum omnibus ſtriis conſpectui dederint, quæ ſpina in hoc fragmento tota ſquamis tecta & abſcondita erat. Plura intelliges ex figuris, de quibus mox mihi ſermo erit.

§. XVIII.

Ex ſupra dictis ergo patet, hunc Schiſtum ſpecialiorem & recentiorem habere originem. In hanc inquirentibus

bus nihil magis probabile occurrit, quam quod oriatur per maris & aquæ abundantem in terram excursionem, eamque vel particularem, vel universalem, seu diluvium. Sequenti vero modo Schistus generatus & ortus esse mihi videtur : Cum aqua vehementiori impetu terram suffodisset, limoque permixta deinde stagnaret, ac pedetentim particulæ heterogeneæ & terreæ, ob gravitatem deorsum labentes, se præcipitarent, atque sic subsiderent, hinc & inde strata super strata enata sunt. Hæc, defluente postea aqua, exsiccata longiori temporis decursu, vaporibus metallicis & mineralibus imprægnata, duriora reddita, & sic simul cum eo, quod includebant, petrificata & in Schistum commutata sunt, qui in tabulas dissectus, laminas sistit ad ordinem, secundum quem antea diversis vicibus limus & molle lutum per subsidentiam stratum strato superstruxerat, quod cum subjecto strato non arctius cohærere poterat, cum hoc jam majore condensatione gaudebat, quam limus, sensim delabens & subsidens. Hoc est, quod me judice de ortu Schisti cujusdam post creationem mundi, statuere possimus.

§. XIX.

Omnem vero Schistum ratione temporis eundem habere ortum adfirmare non audeo, cum contrarium, productum scilicet aliquem esse per creationem, majori si non certitudine, tamen probabilitate adfirmare queamus. Potest vero Schisti per creationem productio, cum illa per diluvium similem habere rationem, talem nimirum: Cum Deus vehementissimo tonitru & gravissima concussione ac terræ motu, in terræ massa, die tertio adhuc undiquaque limo aquoso simili circumfusa, aridum produxisset, per omnipotentiam id effecit, ut spatio unius diei

pau-

paucarumque horarum, tenerior terra eo modo laminatim ſubſideret, quali ratione dein poſt diluvium Schiſtus, etſi longiori temporis intervallo, ſubſidebat.

§. XX.

Adgredior nunc tractationem, quæ concernit bina Schiſti fragmenta ſingularia & memoria digna, quorum unum *ariſtam*, alterum *florem* ob oculos ponit. Variæ in Schiſto reperiuntur figuræ, piſces omnium ſpecierum perfecte expreſſi, quos curioſis ipſe oſtendere poſſum, cancri, vel quoad totum, vel quoad denticulatas forcipes, vel quoad caudam impreſſi, quos adſervat frater meus ſuaviſſimus, Academiæ Imperialis *Apollonius Pergæus I.* In Muſeo *Richteriano*, quod Lipſiæ eſt, inſectum, nobis ſub denominatione *Libellulæ* notum, in Schiſto albo; & in Muſeo *Linckiano* Crocodilus in Schiſto nigro adſervatur. Ex regno vegetabili Schiſtus dives conſervator exiſtit reliquiarum; in primis invenimus in eo varias herbarum & florum ſpecies. Collegi, & in Lithophylacium, quod in uſum Academiæ Imperialis adornabo, repoſui, fragmenta curatiſſime referentia non tam figuras, ſed ipſas ſpecies Filicis, Cannæ, Equiſeti, Gallii albi & Molluginis montanæ, quas herbas & flores regio, loco meo adfinis, abunde ſatis in Schiſto offert. Immo poſſideo albeſcentem & calcarium Schiſtum, de *Sachſenburg* adlatum, qui Corallium, cujus craſſities pennam anſerinam æquat, & colore fuſco gaudet, includit pulcherrimum. Præ ceteris eminent ſupra jam nominata fragmenta duo, Lithophylacium meum ornantia, *ariſtam* & *florem*, quam exactiſſime expreſſa, monſtrantia.

§. XXI.

§. XXI.

Ariſtam, cum multis aliis Schiſti fragmentis, qui piſcium varias & rariores ſpecies pulchritudine exprimunt naturali (quibus etiam adnumerandum eſt notabile duplicatum, **eine** *doublette*, quod hirundinem marinum ex utroque latere oſtendit, punctis aureis ex ſulphure ortis condecoratum) liberali manu fautor meus honorandus, Dominus *Hanevvald*, qui *Hetſtadii*, urbe argentifodinis & Schiſto figurato prædivite, reditibus regiis præeſt, mihi dono dedit. Conſpicitur illa in nigricante duriſſimo Schiſto & depicta eſt colore atro ac ſplendente. Dolendum autem eſt, alteram fragmenti tabulam, ſeu duplicaturam, deeſſe. Si ariſta, quam SCHEUCHZERI *Herbarium diluvianum* nobis ſiſtit, non picturam ſuperat, & in Schiſto non propius ad naturalem configurationem accedit, quam in tabula ænea, tunc ſane hæc mea illam longe antecellit, utpote quæ non ſolum granula in ſuis folliculis & perfectam ariſtæ ſtructuram, ſed etiam notabilem monſtrat calami particulam. Culmen ariſtæ leviter tantum & obſcurius eſt expreſſum, vel potius notatum. Addendum inſuper eſt, in Schiſto nihil, niſi figuram ariſtæ, ſupereſſe, atro depictam colore. Vid. *Fig. I. Tab. II.*

§. XXII.

Rationem Phyſicam hujus delineationis ſequentem eſſe puto: Vapor mineralis, Schiſtum penetrans, in incluſa ariſta per longius temporis intervallum commorans ſe continuit, & exinde ſecundum ariſtæ figuram lapidi inhæſit, illumque ariſtæ pictura, colore maxime atro, notavit & inſignivit. Ariſta ipſa interea, quoad naturam ſuam minus durabilis, in pulverem redacta, nil niſi terram ſuam, per vapores minerales atro colore imbutam, reliquit, ac ſecundum poſitum ſuum lapidi adſperſit. Hanc lapidis partem

fortuna conservavit, alteram vero, quæ impressionem sistere debuisset, tamquam deperditam valdopere doleo.

§. XXIII.

Schistum illum, qui florem repræsentat, ex abundantia cujusdam collectionis, permutationis (optimo in hoc studio ditescendi & acquirendi modo) jure possideo. Est ille nigricans & durissimus Schisti globulus, ex fodinis Ilmenaviensibus depromtus renis figuram forma referens, unde etiam fossoribus sub nomine **eine Schieffer-Niern** venit. Hic durissimus lapis, æqualiter in partes discurssus, in utroque latere (est enim duplicatum, **eine** doublette) atrum & splendescentem florem marinum, *Tulipæ* similem, ostendit. In latere concavo adparent tria folia, unacum impressione pistilli; in altero latere flos est præeminens & elatus, & pistillum cum partibus suis, quoad dimidiam crassitiei portionem, ex lapide, cui inclusum est, eminet. Inferior floris pars desinit in calicem, qui extrema globuli tangit, sicuti in *figura* 2. hæc hæmisphæria sistuntur. Medium floris folium, sub pistillo in lapide positum, & Spato albo flauescente obductum est, ejusdem quoque coloris spatum in inferiore calicis parte deprehenditur. Flos hic pistillum verum & folia petrefacta cum naturali uniuscujusque situ & crassitie ostendit, Hoc floris fragmentum in suo genere vere unicum, & ob distinctam figuram, omnium curiosorum notitia dignum merito a me ex latebris protractum, una cum arista publicæ describendum fuit. Optandum est, & optamus, ut plures subministrentur naturæ scrutatoribus relationes de pluribus rarioribus, quæ hinc & inde in Museis tam publicis, quam privatis, adservantur, vel potius abscondita reservantur, & sic ob desidiam & ignorantiam vel possessorum, vel custodum, non raro quoque ob invidiam

eorum

eorum, pulvere obducta & multa circumvoluta aranea latent.

§. XXIV.

Naturæ lusum fortuitum hic, qui statuit, maximam simul in historia naturali prodit ignorantiam. Nunquam petræ in arboribus crescunt, & nullibi florem lapideum & aristam petrosam ex agro videbis progerminantem. Tria na t u ræ regna, animale, minerale & vegetabile, quoad essentiam inter se differunt, & confusa ac promiscua effectuum permu tatio aperte contradictoria est, & sapientiæ Creatoris & ordini repugnans. E contrario petrificatio non solum ex principiis physicis indubitatis, sed etiam ex quotidiana experientia, immo, uti ex innumeris millibus, sic etiam ex descriptis probatur fragmentis. Et arista & flos ex intimis terræ visceribus ac tali profunditate prolata sunt, ut eorum rationem in particulari inundatione qui quæritat, nunquam inveniet. Historia fida, rerum actarum adservatrix, ejusmodi inundationem unquam in his regionibus evenisse ignorat; cataractæ etiam non tam alte se insinuant, & fluviorum excursiones haud adeo profunde suffodiunt terras. Hetstadium, Rotenburgum & Ilmenavia non adjacent mari, ita ut olim eas regiones submergere potuisset. Nihil ergo non dicam verosimilius, sed verius, immo nil certius est, quam sententia de diluvio universali, quod limum cum intermixtis piscibus, conchis, insectis, ossibus, herbis, & in specie cum his perfectam aristæ picturam, & florem & corallium petrificatum sistentibus Schisti fragmentis, in profundo terræ, saxis & terra obrutis, reliquerit, quæ deinde vaporibus metallicis im prægnata, obdurescentia in lapidem mineralem, argentum & cuprum simul continentem, commutata sunt, qui lapis,

id quod antea tamquam limus & molle lutum includebat, nunc sistit petrificatum.

§. XXV.

Cum itque omnia DEI opera, vilissimæ etiam velut herbæ, aristæ & flores, in gloriam Creatoris crescant, sic inprimis notatu dignissima diluvii rudera & reliquiæ, tamquam venerandæ antiquitatis vestigia & sacræ Scripturæ veritatem probantia testimonia, cum summi Numinis veneratione sunt consideranda. Non solum enim testimonium scriptorum profanorum veritatem scripturæ sacræ & historia & narratione de diluvio probat, prout hoc egregie demonstravit *Samuel* SCHUCKFORD in *Harmonia Scriptorum sacrorum & profanorum*, sed etiam lapidicinæ, metalli, arenæ, argillæ & limi fodinæ veritatem judicii universalis defendunt. Hic muti clamant lapides, tacentibus cum loquela præditis hominibus. Creaturæ omnipotentis, quæ tunc in glorificationem Creatoris non adhibeantur, ne sine fine adfuisse quis credat, pensitationi posteritatis adservatæ sunt, ossaque hominum, per diluvium submersorum, quæ tunc temporis cum adhuc viverent, arma & instrumenta injustitiæ erant, nunc post decursum tot annorum, ex abysso terræ eruuntur, ut justitiam DEI vindicem, hodie a multis in dubium vocatam, immo negatam, vindicent, resonent atque deprædicent. Hoc ergo studii & indagationis genus non solum jucundum, ac docens est, sed etiam *gloriam DEI* evehit. Hæc ergo, cum primaria Illustris Academiæ Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum lex sit, me impulit, ut eam primo hoc Specimine quoad vires adimplere conatus fuerim, & sic non solum Collegæ Societatis tam illustris, sed etiam Concionatoris, tanquam promotoris gloriæ divinæ, fungerer officio.

DIS-

DISQUISITIO
MEDICO-PHYSICA
DE
VERIS EFFECTIBUS
ANNORUM
CLIMACTERICORUM
IN CORPUS HUMANUM,
ILLORUMQUE CAUSIS,
ILLUSTRI ACADEMIÆ IMPERIALIS
NATURÆ CURIOSORUM
PRÆSIDI
Dn. D.
ANDR. ELIÆ BÜCHNERO,
CHYMIÆ IN ACADEMIA ERFURTENSI
PROF. PUBL. CELEBERRIMO, FACULTAT.
MED. ADSESSORI ORDINARIO
ET p. t. DECANO
STRENÆ LOCO
OBLATA
A
D. TOBIA HENRICO HÆHNE,
PHYSICO LEOBERG. SILES. ET ACADEM.
NATUR. CURIOSOR. COLLEGA.

PYTHAGORAS primus fuit, qui numeris ad divinarum naturaliumque rerum cognitionem, magnam adſcripſit efficaciam, maxime autem *numerum ſeptenarium* venerabatur. Et quanta apud omnes Philoſophos hujus fuerit æſtimatio, neminem credo eruditorum latebit. Peripatetici erant, qui hujus efficaciæ cauſam reddere nitebantur, quia ſcilicet conſtaret ex *tribus* & *quatuor*, utpote qui ambo totum eſſent ſui numeri & perfectum in ſuo genere. Perfectionem ejus inde eruere volebant, dicentes: Numerum imparem indicare *ſpirituale*, parem autem *corporeum*. Continere enim imparem unionem & indiviſibilitatem indeque durationem & æternitatem, ita, ut etiam divinæ eſſentiæ ſymbolizet; numerum vero parem, quia incipiat dividi, demonſtrare materiam & creaturarum materialium eſſentiam, cauſamque corruptionis eſſe. Adnotavit veneranda antiquitas, ipſum DEUM hoc numero uſum fuiſſe circa gubernationem rerum humanarum, tum reſpectu ſui ipſius, ubi ſeptimum diem ſanctum ſibique dicatum ſtatuebat, ſeptimum annum libertatis annum pronunciabat, &c. tum reſpectu macro- & microcoſmi. Sic luna ſeptimo die ſemiplena, ter ſeptimo ſemi deficiens, & quadriſeptimo prorſus deficiens obſeruatur. Septem planetæ & ipſe Zodiacus ſeptenario moventur numero. Septimo enim menſe a bruma evenit ſolſtitium æſtivum, & in ſeptimo ab æſtate contingit hiemale; in ſeptimo æquinoctium vernale, in ſeptimo itidem autumnale. Quoad microcoſmum jam antiquiſſima VARRONIS ſententia erat, ſeptimo die fieri conceptum, bis ſeptimo figuræ reddi capacem, ter ſeptimo ſpinam

nam, & caput formari, ter septima hebdomade observari motum infantis & animæ vim sese exerere, sexies septima tandem edi, quo etiam PLATONEM animum intendisse reor, quando in *Timæo* dicit: *DEUM animam ex septem portionibus conflasse.* HIPPOCRATE teste & experientia constantissima confirmante, septimus dies in febribus, præcipue acutis, semper est criticus, sive decretorius, quo ipso, nisi impediatur natura per incongrua medicamenta, vel inconveniens regimen, solutio fit morbi, vel in melius, vel in deterius. Ex prædictis argumentum arripuerunt, quo etiam demonstrare valerent veritatem *annorum climactericorum*, qui in annum quemque septimum cadunt, utpote quorum consideratio non Philosophis tantum, sed & inprimis Astrologis hinc inde ansam præbuit diversimode de iis sentiendi. Verum cum ultimi horum rem nimium extendant, & omne punctum absolvere conentur per astrorum influxum, materia vero hæc in medicina rationali altioris sit indaginis; hinc rationalem connexionem, quam cum corpore vivo habere, & qua illud qualitercunque alterare valeant, unacum veris horum annorum causis, accuratius perscrutari conabor.

Derivatur annus climactericus ἀπὸ τῆς κλίμακος, sive a *scala*, quod scilicet his annis vita hominis quasi per scalas & gradatim adscendat ad vigorem, & iterum a vigore suo ad plenariam usque dejectionem virium, hoc est, mortem, descendat, sicuti *PLINIUS Lib. VII. cap. 49.* hos annos adpellat *scansilem annorum occiduam legem*, id est legem mortis.

Septe-

Septenos annos notabilem mutationem inferre œconomiæ vitali, àc naturalem connexionem habere cum corpore vivo, illamque à septenario uno ad alterum manifeste sese exerere, ex sequentibus satis liquet: Septimo enim anno, & sic primo statim septenario, clauditur *Infantia*, decidunt dentes; ad decimum quartum usque annum extenditur *Pueritia*. Hic fœminis potentia generandi accedit, mammæ elevantur; menses erumpunt; in masculis separatur semen a sanguine, unde titillationes venereæ variæ. Ter septimo clauditur *Adolescentia*, barba erumpit & corpus ad longitudinem debitam extenditur. Duobus sequentibus septenariis, nempe ad trigesimum quintum usque annum *florida* accedit *ætas*, ubi membris & ossibus legitima procuratur firmitas debitaque illius producitur venustas. Post hos duplicato iterum septenario, ad septies septimum annum durat *Virilitas*, recte a *vi* & *viribus* dicta, quia tunc homo secundum animi & corporis excellentiam in summo vigore constitutus est, unde etiam *ætas consistens* vocatur. In fœminis hac annorum periodo ingens se exerit mutatio: cessat nempe potentia generandi, ordinarius mensium fluxus imminuitur, & sub tantis tumultuariis motibus plane desinit. Nunc prodromi lapsus Adamitici sensim in conspectum prodeunt, nunc indicia fragilitatis humanæ sese sistunt, & sicuti adscendimus a certis hisce gradibus ad summam perfectionem & vigorem, sic nunc iterum descendimus gradatim, seu decrescimus.

Sexta accedente ætate accedit ſimul jam *prima Senectus*, ubi incipit rugari facies, venuſtas corporis fatiſcit, muſculi languinoſa mollitie palpabiles contabeſcunt, cutis contrahitur, induratur. Uno verbo: dum duplicato hoc ſeptenario ad annum usque ſexageſimum tertium humidum radicale nutritium ſenſim ſenſimque evaneſcit & quaſi exſiccatur, ſecedit quoque, per roſcidam hujus evaporationem ſuſtentata corporis venuſta agilitas. *Altera ſenectus* ad ſepties decem, ſeu ad ſeptuageſimum annum ſeſe extendens, vitam utplurimum claudit, inde *decrepita ætas* dicta, ubi maximus corporis & animi virium defectus contingit, & ſenectus hæc ipſa morbus eſt. Obſervamus autem etiam efficaciam annorum climactericorum in corpore vivo circa obtingentes morbos. Hic firmum ordinem ſervat natura per totam vitam, ut quilibet ſeptenarius ſuos ſibi vindicet morbos. In infantia & pueritia, ſive primo ſeptenario proveniunt morbi, qui caput ejusque partes adfligunt. Sequentibus, ut in adoleſcentia & juventute, thorax gravibus adficitur pathematibus. Viri morbos abdominis varios experiuntur. Senes tandem & decrepiti de extremarum partium & artuum adfectibus gravioribus conqueruntur, hinc & *morbi ætatum* dicuntur. Præ omnibus vero illa annorum periodus, quæ continet ſepties novum climactericum annum, magnam ſane œconomiæ vitali incutit alterationem, non ſolum quoad vitalitatem, ſed & quoad moralitatem. Cum enim natura corporis ſui conſtitutionem nunc perſentit conſtrictiorem eſſe, ita ut libertas & vigor agendi incipiat fatiſcere, hinc trepidat animo & ſibi in moralibus quoque proſpicit, ut cum majori circumſpectione & intentione nunc incedere incipiat.

piat. Exempli loco sit sanguineus. Talis, cum sanguine optime fluxili sit præditus, vias etiam habeat patulas, multas & liberas, ut non solum moderato impulsu omnia facile, commode & absque ullo impedimento procedere, sed etiam rebus sic stantibus de nullo in posterum metuere queat periculo, etiam in animo suo est tranquillus, hilaris & inprimis securus, ita, ut etiam ipsius passio prædominans non voluptas sed potius *securitas* sit. Talis inquam, quando ad dictam annorum periodum pertingit plane mutatus ab illo incedit. Secundum enim corporis temperaturam strictiorem factam, temperatur & animus in moralibus; inde fit, ut nunc in omnibus suis actionibus majorem adhibeat curam, in negotiationibus majorem sollicitudinem, circa bona acquisita, vel acquirenda, majorem tenacitatem, unde non inique senes avaros & tenaces nuncupamus. Miranda hic interim provenit summi Conditoris sapientia & providentia insignis: quidquid hic deficit exteriori corporis habitui, nunc animo accedit, ita, ut hoc tempore judicium deprehendatur firmius æque ac maturius, ut recta a veteribus dicta sit hæc ætas *consiliaria*. Ratio in promptu est: in senio tanta humiditas non residet in capite sicut in juventute, memoriam quidem sustentans, non vero judicium, inde & HERACLITO aridus animus *sapientissimus* dictus; & alterum adhuc addo, quod hic summa potius Creatoris sapientia elucescat in reverentiam senectutis, ne forsan omni venustate destituta & rugosis plicis circumsepta senectus opprobrio sit juventuti, sed quod denegatum est exteriori habitui, nunc devenerandum restat in animo, quando

unum

unum ſenem millenis hominibus, immo integro regno unico ſuo judicio ſufficere obſervamus.

Perſpecta itaque connexione naturali horum annorum, quam cum corpore vivo habent, eo melius inquirere poterimus in veriſſimam horum cauſam. Vir perſpicacis ingenii, SENECA dicit, ſe exponere non poſſe per philoſophiam, quare ſeptenus quisque annus ætati ſignum imprimat. Mathematici e contrario & Aſtrologi hanc climactericorum annorum virtutem ex potentiis aſtralibus & conjunctionibus malignorum Planetarum probare conantur. Saturnum has cauſare fortunæ & humorum mutationes dicunt, propterea, quod ſingulis ſeptem annis ad quadratum & ſibi oppoſitum ſignum, una cum horoſcopi profectione, progrediatur & quod tot annos fere, quot Luna dies in uno ſigno commoretur. Aſt! cur gemelli, uno quaſi momento & puncto ſtellarum poſitu excluſi, plane diverſa temperamenta, plane diverſas actiones, immo plane diverſas fortunæ infortuniique conditiones experiuntur? Septenario numero, ut numero, cauſam efficientem adſignare velle, nimis durum eſſet. Alia ergo inquirenda eſt cauſa: Sapientiſſimum omnium rerum conditorem, ſingula creata certis quibusdam numeris, menſura, pondere, ordine & harmonia ita condonaſſe & conjunxiſſe, ut etiam inde a tota rerum corporearum œconomia omnes operationes certo tempore certoque ordine perficiantur, & S. Scriptura nos docet & quotidiana experientia confirmat. Certum requiri tempus ad formationem humani corporis in Utero, & ad exitum ejus ex Utero, certis poſthac temporum gradibus corpus ad perfectionem pervenire,

 certo

certo denique temporis progressu morbos fieri, qui & certis temporibus sanantur, iterum ex antecedentibus patet. Cum nunc omnis mutationis effectus non nisi per motum debitum, certum sufficientem & ordinatum contingat; tempus autem non nisi mensura & duratio motuum sit, facile inde patet, omnes mutationes & alterationes, quæ vitali œconomiæ septenis annis contingunt, non numero, utpote forma carenti, aut ejus naturæ aut operationi, quæ etiam nulla est, sed harmoniæ & causarum ordini, præcipue vero motui, adscribendas esse. Motus etenim est instrumentum illud generale & perfectum, quo anima & vitales & morales operationes in corpore perficit, quo totum corpus dirigit, gubernat, conservat. Et quando anima justis, ordinatis ac determinatis motibus aliquam in œconomia vitali peculiarem mutationem, seu alterationem suscipit, tunc ipsi hi motus constituunt illud tempus, quo alterari dicimus corpus. Hic motus est, cujus beneficio in statu præternaturali omnes perceptas noxas abigit natura, & præcipue in febribus citatiore & auctiore hoc motu, miasmata maligna foras expellit. Interim tamen verum est, quod hic motus, quando in climactericos annos incidit, plane peculiaris evadat motus. Et quemadmodum in febribus acutis videmus, quod natura exquisitas habeat periodos, quibus motus suos contra materiam peccantem febrilem exercet & per septenarios absolvit, dum prima periodus, qua febris quædam acuta decurrere posset, septimo die absolvitur, altera decimo quarto, tertia vicesimo primo, unde dies septimus, quo exitus salutaris febris contingere debet, a judicando & decernendo

do *dies judicatorius*, vel *decretorius*, vel etiam *criticus* dicitur: Ita etiam hunc motum circa annos climactericos contingentem mere criticum esse statuo. Unum vero adhuc restat disquirendum: cur sexagesimus tertius, & non alius annus pro periculosissimo vitæ termino habeatur? Rationes habeo sequentes: I.) Ex SOLONIS sententia post periodos septenarias animus & corpus simul alterantur; ex aliorum vero opinione corpus suas alterationes & mutationes tantummodo post periodos septenarias, animus vero novenaria qualibet periodo patitur; hinc cum anno hoc sexagesimo tertio conveniant periodi septies novem & novies septem, merito ob numerum istum duplicatum fatales judicantur. II.) Cum quolibet tali climacterico anno notabilis accidat corpori vivo mutatio, atque post septimum annorum septenarium jam fatiscere incipiat naturale robur corporis, & duplicata hac periodo plurimum jam imminuatur energia vitalis, ut propter notabilem virium defectum ab activitate sua insimul deficiat natura, majoris hinc periculi esse judicatur hic annus sexagesimus tertius. III.) Imaginationem hic quam maxime accusandam esse judico. Cum enim omnibus hominibus ex relatione notorium sit, imminere hoc anno œconomiæ vitali periculum magnum, plerumque idcirco inquieto sunt animo, tristantur, anguntur, perturbantur semperque metum fovent, quod & idem illud periculum sibi nunc immineret; sub qua perturbatione motuum moralium etiam perturbantur & confunduntur motus vitales; cumque œconomia vitalis vix unquam magis pervertatur & alteretur, quam ab animi pathematibus; hinc contingit, ut

ſub hac alteratione etiam in energia ſua gravius fatiſcat & citius ad interitum ruat.

Quid de reliquo Medicina ad evitanda & removenda annorum climactericorum *pericula* valeat, conſiſtit potius in *Præſervatione*, quam *Curatione*. Animus ergo ſibi ſemper ſit conſtans, ab omnibus pathematibus liber & hilaris, præcipue illo tempore, quo ingruunt fatales periodi. Errores quilibet circa res non - naturales vitentur quam maxime. Se - & excretiones naturales in juſto ordine conſerventur & ſi conſuetudo aliqua evacuationum artificialium deceſſerit, tunc non negligantur, ſed promoveantur ſtudioſe. Diæta ſit mollis, lubrica, eupepta, regimen vero in ſingulis moderatum.



ME-



DANIEL NEBEL,

Medicinæ Doctor et in Antiquissima Universitate Heidelbergensi Professor Primarius, Sereniss. et Potentiss. Electoris Palat. Consiliarius Intimus et Archiater, Academiæ Cæsareæ Nat. Cur. Achilles II. Dictus.

G. Lichtensteger. S.

MEMORIA
VIRI EXCELLENTISSMI, EXPERIENTISSIMI
ATQUE DOCTISSIMI
DN. DANIELIS NEBELII,
MEDICINAE DOCTORIS ET PROFESSORIS HEIDELBERGENSIS PRIMARII, SERENISS. ET POTENTISS. PRINCIPIS AC DOMINI CAROLI PHILIPPI S. R. I. ELECTORIS ET ARCHITHESAURAR. CONSILIARII INTIMI ET ARCHIATRI,
ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM
ACHILLIS SECUNDI,
JUXTA CUM
VITA AB IPSO CONSIGNATA
ET MORBI FATALIS ADJECTA HISTORIA
AB
INTIMÆ FAMILIARITATIS AMICO
POSTERITATI COMMENDATA.

D*ignum laude virum Musa vetat mori.* Virtus intaminatis honoribus fulget, atque integri & optime meriti Nomen nulla unquam oblivio involvit: Recte Judæi, quod Proverb. X. 7. dicitur: *Memoria justi in benedictione;* inter præcepta referunt, grata siquidem eorum recordatio, qui egregie factis immortalitatem consecuti, potissimum humanitatis officium est, atque unica fere, quæ inter mortales expectari potest, compensatio: *Ex omnibus enim,* uti *CICERO Orat. pro Milone* dicit, *præmiis virtutis amplissimum est præmium gloriæ, quæ vitæ brevitatem posteritatis memoria consolatur, quæ efficit, ut absentes adsimus, mortui vivamus, hujus etiam gradibus homines in cœlum videntur adscendere.* Eam tamen, quod bene feceris, mercedem haud tuleris, si chartæ sileant, quæ demum optime meritos immortales faciunt. Reipublicæ vero etiam interest, viva virtutum & gloriæ exempla ut conserventur, quæ sera posteritas admiretur, atque maximo suo emolumento imitari queat: Quare non tantum laudandi sunt, qui laudabilia patrarunt, sed &, ut alii intelligant, quibus gradibus ad honorum culmina profecerint. Vere & gloriose vixit, qui eo totam vitam direxit, ut DEO inserviat, proximo utilem se præstet, suæque saluti operetur, & ita quidem ut nullum non tempus in usus hos convertat. *Magni,* inquit *SENECA, crede mihi, & supra humanos errores eminentis viri est, nihil ex suo tempore delibari sinere;* addo vero, simul ad omnes gressus attendere, & in variis eventibus Divinam Providentiam agnoscere, atque per totum vitæ cursum observare, quo fugientem retrahere, præsentem sistere, futuram autem quasi anticipare queas. Utrumque est *numerare dies*, quod *MOSES* nos a DEO edoceri cupit, ut cor sapientiæ induamus.

Hanc vitæ rationem tenuit, quem nobis ereptum serio lugemus, vixisse tamen, & ipsi, & orbi, & Patriæ gratula-

[gr]atulamur impense, Vir Excellentissimus, Expe rientissimus atque Doctissimus, meritis & dignitate vere illustris & celeberrimus, Dn. DANIEL NEBEL, *Heidelberga Palatinus, Medicina Doctor, ejusdemque primo quidem in Academia patria Extraordinarius, deinceps in Marburgensi ordinarius, denique in Archipalatinam restauratam revocatus, Plenarius Professor, ubique clarissimus, Societatis Cæsareæ Naturæ Curiosorum Collega*, Achilles II. *dictus, Sereniss. ac Potentiss. Principis Domini* CAROLI PHILIPPI, *S. R. I. Electoris Palatini & Archithesaurarii Consiliarius intimus & Archiater meritissimus*. Vir DEO dilectus, Principi charus, Reipublicæ utilis, Patriæ & gentis suæ grande decus, amicorum columen, ægrotorum solatium, generis humani amor & deliciæ, desideratissimus omnibus. Vixit ille vere, temporis parcissimus custos, cui nihil inde incultum otiosumque jacuit, ut tota ejus vita amplissima & continua egregie factorum sit historia, & quamvis ex iis esset quos inter clientum & ægrotorum greges magna felicitas gravat, sibi tamen se etiam vivere noverat. Itaque dum morborum gradus & progressus, atque Medicinæ vires & effectus in diaria referebat, valetudinis aliorum restaurandæ mira sollicitudine studiosissimus, non tamen ad vitæ etiam suæ rationem & fata attendere neglexit sed probe gnarus *Sapientis* esse & *suos numerare dies*, eorum historiam consignavit, quod cum laudibus ejus dandum sit, quamvis virtutes panegyricos mereantur, & merita annales occupare queant, gratius tamen erit, vitæ cursum, & quid memorabile acciderit, ipsum recensentem audire. Sic autem Vir Optimus de se ipso refert.

Daniel Nebel natus sum Heidelbergæ, anno MDCLXIV. die XXIV. Septemb. patre *Conrado Daniele Nebelio*, illius loci Pharmacopola Electorali & matre *Susanna Dorothea, Adolphi Vorstii*, itidem Pharmacopoei Electoris Palatini, filia unica. Hi parentes me filium unicum 2do

Octobr. sacro baptismatis fonte ablui & Proavi prænomen imponi mihi voluerunt, susceptore *Joh. Florentio ab Eickel*, Conliario Electorali Palatino & ejus uxore *Susanna Maria de Spina*. A parte enim Patris Proavum habeo *Danielem Nebelium*, Juris Professorem Heidelbergensem, qui Festo seculari secundo illius Academiæ interfuit; Avum *Ludovicum Danielem Nebelium*, Consiliarium Palatinum, qui uxorem duxerat *Elisabetham*, *Petri de Spina*, Archiatri Palatini & Professoris quondam Med. Heidelbergensis filiam, ex qua duos filios, totidemque filias suscepit, quorum natu minor filius charissimus mihi pater fuit. Ex matris prosapia avum nactus sum præfatum *Adolphum Vorstium*, connubio junctum cum *Susanna Margaretha*, *Joh. Leurelii*, Med. Licentiati & Poliatri Heidelberg. Filia unica, ex qua itidem filia unica mater mea charissima, prognata fuit: Proavum *Theodorum Vorstium* primarium apud Mœrsenses Pastorem, qui *Ælii Everhardi Vorstii*, Profess. Med. in Acad. Lugdun. Bat. celeberrimi patruelis erat, uti avus meus maternus fuit filius lustricus *Adolphi Vorstii*, Profess. Med. Heidelb. qui filius erat prælaudati *Ælii Everhardi Vorstii*. A meis parentibus sollicite quidem educatus, sed iisdem, proh dolor! puerili in ætate orbatus fui, matre anno MDCLXVII. defuncta, & patre, post secundum cum *Anna Catharina*, D. *Mathæi Heyles*, Præfecti Baccharacensis, filia, matrimonium initum, anno MDCLXXII. præmatura morte abrepto. Ab agnatis igitur & tutoribus educatus, ac in Pædagogio patrio bonarum artium literis informatus, annoque MDCLXXIV. ex patria, ob hostium Gallorum vim imminentem, Hanoviam translatus, brevi tamen patriæ urbi redditus, in Gymnasio Heidelbergensi rursus sub *Joh. Frider. Rombergii*, *Jacobi Martini*, *Joh. Zachariæ*, *Joh. Danielis Humberti* & *Joh. Gerlaci Wilhelmi*, Rectoris Gymnasii Heidelbergensis, institutione fidelissima ita, faven-

te

te DEO in literis profeci, ut tandem anno MDCLXXX. ad publicas lectiones promotus fuerim. Noluerunt tunc quidem mei Tutores, ut studiis academicis operam navarem, quod ex patris voluntate Pharmacopolio aulico, mihi in hæreditatem cum domo, quæ Electoris Palatini feudum erat (a Majoribus jam a temporibus RUPERTI Palatini, Regis Romanorum, in me unicum devolutum) relicto, præficiendus essem; at mihi magis placuit Medicinæ studium, cui, dum adhuc in patrio Gymnasio versarer, operam utcunque navavi, simplicium medicamentorum cognitionem ex quotidiana illorum inspectione (in meo enim Pharmacopolio enutritus fui) & frequentibus excursionibus botanicis cum Pharmacopœis & Chirurgo aulico *Petro Carré*, exercitato satis Botanico, institutis, jam ante mihi comparans, quam ad lectiones publicas promoverer. Constitui igitur his studiis immorari, & licet jam ad Pharmacopœi agnati duriora servitia Manhemii per Tutores meos coactus, immo & ex albo studiosorum Academiæ Heidelbergensis (in quod jam inscriptus eram) ad Tutorum desiderium, animi a studiis abalienandi causa, per Rectorem deletus essem, feci tamen, ut impetrata ab Electore, CAROLO LUDOVICO, summo literarum Mæcenate, licentia, salvo feudo, studia prosequendi, a servitiis mox liberatus fuerim, & deinceps citra interruptionem Philosophiæ & Physices studia sub Dno. *Joh. a Leuneschlos* in Academia Patria utcunque excolere potuerim. Anno MDCLXXXI. ad Academiam Marburgensem secessi, & ibidem sub celeberr. Dn. *Joh. Jac. Waldschmidio* & D. *Henrico Majo*, Medicinæ ac Chirurgiæ fundamenta jeci per annum, & postea iterum a Curatoribus in Patriam vocatus ibidem sub Illustri *Georgio Franco* & *Frider. Christian. Wincklero*, Medicinæ studiis magis imbutus fui, & licet post aliquot annorum decursum mihi licentia summos in Medicina honores petendi ultro offer-

retur, nolui tamen Professorum admonitionibus hac in parte satisfacere, sed curtæ suppellectilis conscius, iter in Helvetiam suscepi, ubi Basileæ venerandum *Joh. Caspar. Bauhinum* & *Joh. Rud. Burcardum*, *Jacob. Rot* & *Joh. Jacob. Harderum*, Professores & Doctores Medicinæ celeberrimos, per annum audivi, & postea Scaphusium secessi, ibidemque sub candidissimi *Henrici Screta a Zworziz*, Poliatri exercitatissimi, manuductione, certiora Praxeos medicæ fundamenta jeci, simulque famigeratissimi *Joh. Conrad. Beyeri* sectionibus anatomicis accuratissimis sedulus interfui, sicque per sex menses, quos Scaphusi traduxi, tantam rerum medicarum adeptus fui notitiam, quantam alibi in Academiis per annum mihi comparare non potuissem, suavissimis tunc commilitionibus, *Joh. Jacob. Mujero*, *Lud. Lucio Screta*, *Joh. Jac. Osvvaldo*, & Joh. Jac. Meistero, Scaphusianis Medicis exercitatissimis. Incidit tunc præmatura CAROLI, Electoris Palatini, ultimi in linea Simerensi, mors, quæ me, vocantibus Curatoribus, coëgit, ut in Patriam redirem, & sequenti anno MDCLXXXVI. studiorum redderem rationem, exantlatis examinibus consuetis & habita Disputatione inaugurali, de *Malo Citreo*, lectioneque cursoria de *Scrophulis*. Eodem anno festum seculare tertium celebrante Academia patria, unacum aliis pluribus in Doctorum numerum relatus fui, & anno sequente, quo per Helvetiam, Genevam & postea in Gallias studiorum gratia profectus sum, in Academiam Naturæ Curiosorum Germanorum, ex commendatione *Georgii Franci*, receptus & *Achillis secundi* cognomine insignitus fui. Anno MDCLXXXVIII. ex Gallia redux, Patriam ab hostibus misere devastatam, meque ipsum illorum ludibriis expositum vidi, utcunque per Dei gratiam belli impedimenta eluctatus. Cœpi enim fervente bello praxi Medicæ Heidelbergæ navare operam, & simul Theoriæ studium ita excolere, ut

anno

anno MDCXCII. extraordinarius Medicinæ Professor in in Academia Professor in Academia patria constitutus fuerim, habita tunc Oratione inaugurali, de Polytrilleto illo: *Medice vivere esse pessime vivere.* Videbar mihi tunc obtinuisse stationem, in qua aliquando honeste & tranquille vivere possem: sed longe aliud placuit Divino Numini, cujus permissu factum, ut paulo post, anno MDCXCIII. Galli Heidelbergam invaderent, & ob Gubernatoris nequitiam, an timiditatem dicam? mox occuparent, incenderent, funditusque everterent. Hæsi tunc in arce Heidelbergensi, omnibus fere honeste vivendi adminiculis, exusto feudo & destructo Pharmacopolio, præcipuo redituum meorum privatus, & ex hac arce hosti tradita cum ingenti Profugorum Palatinorum numero per sylvam Ottonicam Francofurtum me contuli, unde suasu celeberrimi D. *J. L. Fabritii* & D. *J. C. Brunneri*, Professor. Heidelbergensium & insignium meorum Fautorum, Marburgum concessi, ubi post aliquot menses Professor Medicinæ primo extraordinarius, & quæ fuit Serenissimi Cattorum Principis erga exules clementia, anno MDCXCV. ordinarius constitutus sum, anno sequenti Decanatu Facultatis Medicæ & anno MDCXCVII. Rectoratu Academiæ functus. Anno sequenti uxorem duxi ornatissimam virginem, *Saram Catharinam*, Dn. *Joh. de Spina*, J. V. D. & Profess. in Academia Heidelbergensi, ut & Consiliarii Ecclesiastici Archi-Palatini b. m. filiam natu majorem. Anno eodem Decanus Facultatis Medicæ fui constitutus & Ærarii vidualis Academiæ Marburgens. Curator. Anno MDCXCIX. d. 3. Julii filium ex dilectissima uxore suscepi, *Wilhelmum Bernhardum*, cujus d. VI. ejusdem mensis susceptores ex sacro Baptismatis fonte fuerunt D. *Wilhelmus Fuchs*, Consiliarius Elect. Brandenburg. & ejusdem Residens in Imperiali urbe Francofurto, ut & D. *Bernhard Melchior*, Consiliarius intimus Serenissimi

Principis Naſſovio - Idſteinenſis. In matrimonio per DEI gratiam cum uxore dilectiſſima vitam pro voto placide traduxi, ſæpeque mediis in caſtigationibus divinis & adverſitatibus Summi Numinis gratiam & ſaluberrimæ crucis fructum ſenſi. Anno MDCCI. cum Comite Lippiaco, ***Augusto***, copiarum Haſſo - Caſſellanarum ſupremo Duce, cujus valetudinem Marburgi curavi, per aliquot menſes in Belgium profectus fui, & domum reverſus d. XVII. Junii ſecundum ex uxore filium accepi, ***Paulum***, quem d. XXI. Junii ex ſacro fonte lotum ſuſcepit ***Paulus von der Lahr***, Mercator Francofurtenſis integerrimus, uxoris agnatus. Hic magnæ ſpei filiolus dum bonæ mentis indolem Parentibus prodere cœperat, Anno MDCCIII. d. XX. Aprilis ſubito ex dentitione difficili, magno cum meo mœrore, mortuus eſt. Anno MDCCIV. d. XXIII. Martii tertium ex uxore filiolum ***Joh. Conradum***, ſuſceptore D. ***Rumpel***, Cameræ Conſiliario Caſſelano, Divinum Numen dedit. Anno MDCCV. Rectoris in Academ. Marburgenſi munus iterum geſſi, & circa finem anni, quinto ſcilicet Decembris, filia ***Maria Catharina*** mihi ex uxore nata fuit. Anno MDCCVI. poſt mortem Collegæ mei, D. ***Dorſtenii***, a Sereniſſimo Principe noſtro primarius Med. Prof. conſtitutus ſum, & anno ſequ. d. XII. Aprilis ſecundam filiolam ***Ameliam Suſannam***, uxor feliciter peperit. Sed ſequ. anno MDCCVIII. d. X. menſis Februar. filiolus ***Joh. Conradus***, variolis epidemicis extinctus obiit; ſequente menſe Martio valedixi Muſis Marburgenſibus & vocatus in Patriam redii, ubi Profeſſ. Med. Primarius & Medicus Electoralis nunc ſtudioſæ juventuti ac civibus meis, ea, qua poſſum, opera, inſervio; DEUS conationibus meis clementer benedicat! Anno eodem d. XXVI. Sept. uxor filiolam peperit, ***Catharinam Louyſam***, quam ex ſacro Baptiſmatis fonte ſuſcepit D. ***Lud. Chriſtianus Mieg***, Theol. Prof. Primar. & Conſiliar. Eccle-

ſiaſt.

ſiaſt. cum uxore, ſed brevi poſt mors eam e viventium numero ſuſtulit. Anno ſequ. tuſſi convulſiva confecta filiola, *Amelia Suſanna*, obiit. Anno MDCCX. quo Rectoratum Academ. geſſi, ex uxore d. II. Iunii mihi nata filiola, *Anna Louyſa*, quam e ſacro Baptiſmatis fonte ſuſcepit D. *Lud. de Bolzing*, & ejus uxor, *Anna Paſquai.* Anno MDCCXI. poſt autumnum ad Sereniſſimum Electorem Palat. Suezingæ periculoſe decumbentem, vocatus, una cum Illuſtri D. *de Brunn*, Archiatro Palat. medicinam feliciter, per DEI gratiam, feci & poſtea ſingularem gratiam & munificentiam Sereniſſimi ſenſi: Anno MDCCXIV. Rectoratum Academ. geſſi, & anno MDCCXV. Decanatum Facultat. Medicæ. Ab anno MDCCX. ad annum MDCCXVIII. quo morbo periculoſo correptus, per DEI gratiam, convalui, Archiatrum Epiſcopi Spirenſis egi, & multis itineribus ad Primates & alios defatigatus, ſenii adpropinquantis indicia ſenſi. Circa finem MDCCXXI. filium unicum, *Wilhelmum Bernhardum*, poſtquam Facultati Medicæ Heidelbergenſi in examinibus tam publicis, quam privatis, ſatisfecit, cum ejus commilitone, filio meo luſtrico, *Daniele Fabro*, Medicinæ Doctorem creavi & publice renunciavi. Anno MDCCXXIII. filiam natu majorem D. *Behr*, Conſiliario Naſſovio-Dillenburgico & Archi-Prætori Herbornenſi deſpondi, natu vero minorem, *Annam Louyſam* MDCCXXIV. d. I. Martii febre continua anno ætatis XIV. defunctam, proh dolor! amiſi. Filius autem meus *Wilhelm Bernhardus* eodem tempore Profeſſor ordin. Matheſ. & Philoſoph. experiment. mox quoque Medicinæ conſtitutus fuit in Athenæo Herbornenſi. Anno MDCCXXVI. Rectoratum Academ. tertia vice feliciter geſſi. Anno MDCCXXVII. ad finem properante, Mannhemium vocatus Electori Palat. & Sereniſſ. ejus Filiæ medicinam feci, & ſequenti anno MDCCXXVIII. Archiater Sereniſſ. Electoris ut & Conſilia-

ſilia-

ſiliarius intimus declaratus fui, filiusque Medicinæ Profeſſor ordinar. in Acad. Heidelberg. declaratus ac mihi in officio Medici Collegii Sapientiæ, Scholæ Nicrinæ & Orphanotrophii adjunctus, gener vero meus D. *Behr*, Conſiliarius in Camera redituum Eccleſiaſticorum conſtitutus fuit.

Sic ipſe vir beatus totius vitæ rationem, & quæ ipſi ad laudem DEI potiſſimum commemoranda fuere viſa, nude & absque fuco expoſuit, morbi vero & beati exitus hiſtoriam Medicus ipſi familiaris ita refert:

Vir annorum LXVII. anno MDCCXXXI. menſe Majo de adpetitus imminutione & lenta totius corporis extenuatione conqueſtus eſt, absque tamen virium ſenſibili jactura, cujus morbi vera cauſa videbatur eſſe diſpoſitio hæreditaria ad Podagram, quam quidem, ob vitam multis itineribus & ampliſſima praxi Medica valde laborioſam, nunquam paſſus fuit, ſed ejus loco, ab anno ætatis circiter trigeſimo ad annum ætatis LXVII. ſcilicet uſque ad prædictum annum MDCCXXXI. impetigine primo quidem ſolum digitum medium alterultrius manus occupante, & quoties ob ſtudia, quibus avidiſſime incumbebat, prandio vel cœna per aliquot tempus abſtinebat, iterum evaneſcente, dein vero paulatim latius ſerpente, & utramque manum, tandemque dorſum, pectus & artus hic illic infeſtante, laboravit. Cæterum vero per totum illud tempus bene habuit, niſi quod anno ætat. LIII. febre bilioſa graviter decubuerit, qua, per DEI gratiam, ſuperata, hæmorrhoides fluentes cum euphoria ſemel, cœcas autem poſtea frequentius paſſus fuit; ſupra dicta vero impetigo, poſtquam ab anno MDCCXXXI. magis in aula, quam civium ægrotantium viſitatione occupatus, corpus minus commovit, ſenſim evaneſcere cœpit, a quo tempore adpetitum imminutum, cum corporis extenuatione, absque tamen notabili febre, ſenſit, quæ ſymptomata paulatim

latim incrementa ſumſerunt, donec diſparente magis magisque impetigine, anorexia, nauſea omnium fere ciborum, præcipue vini, ſequente interdum vomitu, nec non ptyaliſmo, quo multam ſalivam viſcidam excernebat, correptus fuit, quibus vires quidem valde debilitatas ſenſit, ſuo tamen officio fungens uſque ad finem anni MDCCXXXII. aulam frequentabat. Menſe vero Decembri hujus anni ſucceſſit ante dictis ſymptomatibus tumor pedum œdematoſus, ſenſim verſus abdomen adſcendens, illudque tandem etiam occupans, & metum Hydropis incutiens, cum urina pauca, lixivioſa, ſedimentum copioſum ac ilioſum habente. Somnus interim erat ſatis quietus & placidus, neque ſitis ægrum adfligebat, neque pulſus febrem lentam indicabat, flatus vero in inteſtinis valde moleſti, cum alvi tarditate & tandem obſtructione non niſi clyſteribus aperienda, ructus frequentes producebant; clyſteribus autem emollientibus & carminativis per plures ſeptimanas frequenter adplicatis, ſemper longe major copia fœcum, interdum conſiſtentiæ & coloris naturalis, interdum limoſarum, nunquam vero albarum, educebatur, quam quidem pauciſſima alimenta adſumta potuerunt producere, adeo, ut vix credibile fuerit viſum, inteſtina tantam fæcum copiam potuiſſe capere. Ita, liberatis primis viis a ſuo onere, tumor hydropicus paulatim fere totus evanuit; ſed circa initium anni MDCCXXXIII. vehementi tuſſi, quæ noctes inſomnes reddidit & vires valde debilitavit, adfligebatur, unde tumor pedum œdematoſus denuo rediit, paulo poſt vero in pectore & pedibus cutis multis exiguis ſquamulis albicantibus exaſperata videbatur, quæ ab impetigine priore non niſi colore in illis albo, in hac rubro, differebant. Abhinc tuſſis mitior facta & expectoratione muci flaueſcentis liberiore reddita, plane ceſſabat, tumor etiam pedum diſparebat, urina non amplius lixivioſa, ſed ſolum natura-

li paulo tinctior, & in quantitate potui adſumto proportionata, excernebatur, adpetitus quoque huc uſque plane proſtratus paulatim redire videbatur, alvus ſponte aperta multas adhuc fæces egerebat, & quamvis æger valde debilis & emaciatus fuerit, tamen extra lectum per manere, in ſella ſedere & per hypocauſtum obambulare potuit. Tandem diſparentibus etiam ſupra dictis ſquamulis albicantibus, dolores acutiſſimos ardentes modo in calcaneo, modo digito majore, modo per totam plantam alterutrius pedis, modo in cubitis ſenſit, qui ſpem futuræ ſalutaris Podagræ fecerunt, ſed fruſtra, erant enim dolores vagi, qui brevi rurſus evaneſcebant; poſtea denuo vehementi tuſſi correptus multum mucum ſubflavum rejiciebat. Varia quidem remedia, ſanguinem depurantia, leniter diaphoretica, aperientia, reſolventia, ſalina. Eſſ. alexiph. Stahl. decocta lignorum, acidulas Selteranas cum & ſine lacte, juſcula quoque incoctis viperis medicata, interpoſitis nonnunquam leniſſimis laxantibus, præcipue ex Rhabarbaro, ſumſit æger, ſed a plerisque, inprimis ſalinis, vel cum ſpiritu vini paratis, mox ardorem ventriculi, nauſeam, immo interdum vomitum ſentiebat, propterea que non niſi pauca remedia ferre poterat. Interim, omnibus non juvantibus, vires magis magisque decreſcebant, præcipue vero tempore matutino circa horam nonam maxime, fere ad lipothymiam uſque debilis erat, reliquo vero diei tempore paulo melius ſeſe habebat, adeo, ut quotidie ad antepenultimum uſque vitæ diem, per unam alteramve horam extra lectum in ſella ſederet. Tandem vero exhauſtis viribus & conſumto corpore, pio & conſtanti animo mortem exſpectavit, & poſtquam filio ſuo nonnulla poſt ipſius obitum facienda mandavit, d. XV. Mart. hora IV. matutina inter ipſius ſuorumque preces placide obdormivit, & animam DEO reddidit. Die XVII. ejusdem Mannhemii in tem-

templo Reformatorum, juxta Anteceſſorem ſuum *Lib. Bar. a* BRUNN, beatæ memoriæ Virum, ſepultus eſt. Mœſtiſſima vero ejus Conjux, Filius & Filia Ipſi ſequens monumentum exſtrui curarunt:

D. O. M. S.
Beatiſſ. Memor. Viro
DANIELI NEBELIO, Heid. Pal.
Med. D. & Prof. Marp. dein Heid. prim.
S. & P. P. CAROLI PHILIPPI
S. R. I. ELECT. & ARCHITHES.
Conſil. intimo & Archiatro
Expertiſſ. Feliciſſ.
Soc. Cæſar. Nat. Cur. Achilli II.
d. XV. Martii An. MDCCXXXIII. æt. LXIX.
Mortalitate heic depoſita
Erud. Virt. Cand. & Illuſtr. merit.
fama immortali
Sara Cathar. de Spina Conjux
& ex VII. libb. ſuperſtit. filius & filia
Mœſtiſſimi
H. M. P. C.

Hæc brevis & ſuccincta *VIRI immortalis* vitæ inter mortales exactæ, ſumma eſt. Injuriam ejus feciſſemus modeſtiæ, ſi encomiorum floribus *hiſtoriam* ab ipſo conditam interpolare & exornare tentaſſemus. Rerum delectabatur ille pulchritudine, non verborum pompa. Non indiget pigmentis, ſive ortum, ſive progreſſum, & res feliciſſime geſtas, ſive exitum ſpectemus; omnia nude relata *VIRUM optimum*, & Reipublicæ utiliſſimum; omnique laude conſummatum ſiſtunt, ac æternitati commendant. *Majorum*, quas prætulit longa ſerie *imagines*, jam diu veneratus Eruditorum Orbis, atque illa Patrum virtus in Nepote duplicata emicuit. Non *hominum*, ipſe parentibus in pueritia or-

y 2 bus,

bus, ſed DEI conſilio, & hinc ingenua indole, ad ardua, & maxima generis humani emolumenta deſtinatus, proprio inſtinctu generoſum ſtudiis artique Medicæ adplicuit animum, atque ex variis, quæ Ephebo objiciebantur, impedimentis eluctatus, non immaturos, quo in liberales artes ferebatur, ardoris, mature fructus protulit. Jactis autem feliciter ſublimiorum ſtudiorum fundamentis, Doctores quæſivit & nactus eſt clariſſimos & expertiſſimos, quorum famam ſua diligentia, atque egregiis ubique profectibus celebriorem reddidit. Sic in variis regionibus dotes & virtutes circumtulit & auxit, adeo ut illuſtrium & celeberrimorum ubique virorum amicitiam mereretur, quam & religioſe coluit, & ſemper conſervavit, ipſe omnibus charus & deſideratiſſimus. Tota vita virtutis palæſtra, atque uti egregie factorum, ſic ad altiora ſemper tendens, continuus progreſſus erat. *Honores*, quos non ambivit, fugientem quaſi ad ſupremum uſque culmen proſecuti ſunt, & maximo quidem, ſive dotes eximias, virtutumque ſplendorem, ſive factorum gloriam ſpectemus, ſuo merito, ingenio, memoria, judicio feliciſſimus, labore indefeſſo, in omni ſcientiarum genere verſatus, eruditionem conſummatam acquiſiverat. Elegantiores literas, puramque dictionem amabat, & rei literariæ hiſtoriam colebat, qui & ipſe ad ***monumenta pietatis & literaria*** Palatina multum ex theſauris ſuis contulit. *Naturæ* ſagaciſſimus erat ſcrutator, & in explorandis ejus viribus, quas variis cum ſucceſſu tentavit experimentis, ſolertiſſimus & feliciſſimus. Corpus humanum συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἀφῆς τῆς ἐπιχορηγίας penitus ut cognoſceret, propriisque & oculis & manibus ſcrutaretur, ***anatomen*** fecit ſæpiſſime, ſpectator non tantum, ſed & Profector, vel χειρουργῶν Director & interpres. Botanices incredibili flagrabat amore, ut ad rem herbariam ornandam augendamque natus & fa-

ctus

ctus videretur : Simplicium enim medicamentorum, & facultatum, quæ iis insunt, cognitionem adeo necessariam Medico, ut sine ea nemo rite mederi queat, ratus, investigationi ut mineralium, sic stirpium & plantarum se dabat exoticarum, sed & maxime domesticarum, quas patria ferebat tellus, cujus rei causa in vicinos campos montesque excurrebat, eorumque, quas natura proferebat, divitias lustrabat, ac in usus suos congerebat. Quo vero & rariores & peregrinas sibi præsto haberet, aliisque ostendere posset, easdem in hortos transplantabat, quales, ubicunque vixit, privatos instruxit, publicum vero etiam ***hortum botanicum*** Academia Heidelbergensis ejus industriæ debet. Neque ullam studii Medici partem neglexit, qui, quidquid eo pertinebat, ut artem istam certiorem, utiliorem, vel illustriorem redderet, pari cura & sollicitudine excoluit. Non ***Medicos*** tantum, eorumque medendi methodum, sed quidquid etiam eruditi & solidi in hac scientia sive antiquitas reliquit, sive recentior ætas superaddidit, in numerato habebat, propriisque experimentis & observationibus augere contendebat. Itaque ***doctrina*** & ***experientia*** consummatissimus, Medicorum suo ævo facile Princeps, Medicinam & ***docuit***, & *fecit* ubique felicissime. In ***docendo*** promptitudine, perspicuitate, industria clarissimus & celebratissimus, quod numerosi, qui ex ejus disciplina prodierunt, insignes Medici, grati profitentur; Scholam ideo habuit, pro ratione locorum & temporis, satis semper frequentem, ad ipsum confluentibus, qui & ab expertissimo & solidissimo Doctore discerent, & Medici axioma ab Eodem impetrarent, ut quinquaginta & ultra numerari facile possent, quibus ipse ***Promotor*** titulum & honores Doctoris Medicinæ, more in Academiis consueto, publice & solemni ritu contulit. Atque sic Academiis sua celebritate lumen adfudit, & splendorem dedit, discentibus veneran-

dus, & docentibus obſervandus, adeo, ut ſæpius *Rectoris Magnifici* munus ei delatum fuerit, quo in utraque Academia aliquoties ſumma cum laude, & inſigni prudentia functus eſt. Quemadmodum vero *praxis medica* ipſi viam ad functiones Academicas ſtraverat, ita *Profeſſor Medicinæ* conſtitutus, eandem cum docendi munere ſemper conjunxit, atque jam inter *Haſſos* eam *Archiatri* feliciſſimi & optimi celebritatem conſecutus fuerat, ut ubivis, cujuscunque conditionis ægri ejus operam deſiderarent, quam etiam promptiſſime & cum ſucceſſu proſpero præſtitit, omnibus hinc, ipſisque Magnatibus charus & neceſſarius viſus, non absque communi omnium mœrore amittendus. In Patriam autem reverſus, eo majori exultatione & lætitia conſpiciebatur: Soſpitatorem enim & valetudinis reſtauratorem ſalutabant, quando *anagramma*, quo vir quidam nobiliſſ. & ampliſſ. nullo neceſſitudinis vinculo ei junctus, immo nec ex facie notus, nomen NEBEL in illud LEBEN transformaverat, per ora volitabat, ac paſſim læta auſpicia dabat. Ipſe vero magnus ubique ægris auxiliator aderat, inquilinis, exteris, minimis, maximis nocturno æque ac diurno tempore, & eo quidem eventu, ut, ſi penderet a Medico, hujus Noſtri certe conſilio, æger relevaretur, quare ab omnibus, animis & ſtudiis licet disjunctis, communibus tamen votis expetebatur ejus auxilium, quod etiam cuivis præſtabat ſine diſcrimine. Semper clientum turba obſidebat atrium, ſæpe etiam evocabatur ad aulas Principum, nec unquam ei vacatio, utpote quem omnes, ſua, vel ſuorum adflicta valetudine anxii, conſulebant, vel, ſi votorum compotes fieri poſſent, præſentem ſibi adeſſe cupiebant, cujus vel ſola præſentia ſe refocillari ſentiebant. Et certe in Praxi Medica omnes, quæ in *Archiatro* deſiderari poſſunt, *dotes* demonſtravit, *virtutesque* complevit. *Facilem* ſe præbebat ſumma humanitate omnibus opem imploran-

plorantibus, etiam cum proprio incommodo, detrimento & periculo. Nihil in ipſo durum, nihil acerbum, nihil profanum, nulla timiditas, nulla jactantia; comitate vero atque modeſta in ſtatum morbi inquiſitione, ſaluberrimisque conſiliis fiduciam inſpirabat adflictis; ſimul tamen nil timide, nil temere agebat, utpote qui ſumma ſemper circumſpectione & prudentia morbos tractabat. Totus ægrorum ſaluti intentus, non modo iis præſens, ſed & abſens prodeſſe ſtudebat, quare ſollicite in diario notabat morborum incrementa & decrementa, medicamentorumque effectus, quos ut exploraret, ſæpe etiam non vocatus aderat curæ ſuæ commiſſis, atque inter alias etiam occupationes animo voluebat, ſi quo modo adjumentum ferre poſſet, præſertim ubi morbus pertinacior eſſe videbatur: Solebat enim ita adfici, ut familiares & domeſtici ex facie, & animo ſollicitudinis pleno, morbi ægrotorum momentum & difficultatem judicare potuerint, quando ſui quaſi oblitus, omnes ſenſus & cogitationes iis, quibus medicinam parabat, ne quid negligeretur, impendebat. Agnoſcebat ſolum Deum vitæ humanæ *arbitrum*, absque cujus benedictione nil valet Medicina, & cui etiam, ne temere medendo vita in diſcrimen trahatur, aut perdatur, ratio reddenda eſt, quare pharmaco non modo prudenter propinato, ſed & votis ac precibus ægros juvare ſolebat. *Pietate* enim in DEUM, quæ Medicum per conſcientiæ teneritudinem præcipue cautum & vigilem facit, eximius erat, religionisque, quam profitebatur, juxta verbum DEI, Evangelico - Reformatam, absque rixa tamen & contentione, tenaciſſimus, qui Eccleſiæ & ornamento & emolumento eſſe cupiebat, & vere erat. *Temperantiæ* & *ſobrietatis* ſtudioſiſſimus, aſotiam omnem, & voluptatum illecebras ſevere abominatus, nunquam cibo & crapula diſtentus, ut ſui ſemper compos, proximi uſibus aptus, & ad inſer-

inserviendum ægris semper paratus esset. Hæ ipsæ virtutes formabant, Medici non minus ac Christiani ornamentum & requisitum, ***animi constantiam***, quam omnibus admirabilem ubique prodidit, nunquam in prosperis successibus elatus, nunquam in adversis abjectus, in utraque fortuna semper sibi similis, qui nihil sibi, omnia providentiæ divinæ tribuebat, cujus etiam voluntati acquiescere didicerat.

Dotibus hisce & virtutibus mactus, optimi & felicissimi Medici, non minus tamen & solertissimi familiæ capitis & nobilissimi Reipublicæ membri partes abunde explevit. ***Maritum*** se exhibuit fidelissimum & conjugis dignissimæ amantissimum, ut hinc conjugium ***absque querela*** fuerit felicissimum, & laborum levamen jucundissimum. ***Patrem*** se præstitit ut indulgentissimum, sic optimum, atque & educationis liberorum in Domino, & familiæ ad avitam gloriam contendentis, providum. In omni ***conversatione*** lenissimæ consuetudinis erat, neminem vel verbo, vel facto sciens læsit unquam. In ***sermonibus*** & ***moribus*** procul fuco, procul vanitate sinceritatem amabat & testabatur. Quum omnia, ex quibus vera paratur gloria, possideret, nihil tamen ostentabat, sed occultabat modestia, ***virtutem*** solam dissimulare nescius & candorem. Amicorum, quos ipsi, præter doctrinam & merita, rara virtus conciliavit omnis ordinis plurimos, cultor erat religiosissimus, favoremque iis conservabat constantissime, ipse vicissim omnium bonorum amore, veneratione & cultu dignissimus. Quanto in pretio, quamque charus summis etiam Principibus fuerit, inde adparet, quod Sereniss. & Potentiss. Elector Palatinus ei præcipuam corporis & valetudinis suæ curam commiserit, ipsiusque virtutes & merita singularis non modo clementiæ, sed & amoris & benevolentiæ signis honoraverit.

Talem

Talem ergo se probavit iis, quibus cumconversatus, quique coram frui hoc *Doctore* & *Archiatro* potuerunt; quo vero & aliis, ipsique posteritati prodesset, egregia etiam & utilissima *Scripta* reliquit. Prodiit enim jam anno MDCC. *Pauli Ammani Character Plantarum auctior & correctior redditus, notisque illustratus a Daniele Nebelio.* Porro *Compendium Materiæ Medicæ selectum ex D. Ludovici Pharmacia*, ipse, licet anonymus, edidit. Orationem etiam inauguralem, qua Medicinæ Professionem Marburgi anno MDCXCIV. auspicatus est, de *novis hujus* (illius scilicet, quo illud scribebat) *Seculi inventis botanicis*, typis exscribi permisit. *Dissertationes* Academicas varii & plerumque nobilioris & rarioris argumenti, publicæ disquisitioni exhibuit plurimas, quas recensere & prolixum nimis, & difficile esset, quum multæ earum hinc inde dispersæ lateant, optandum tamen, ut undique collectæ recudantur. *Observationes* Medicas, quas cum eruditis communicavit, *Ephemerides Natur. Curios.* recensent. Supersunt etiam scripta egregia ad *Anatomiam*, *Botanicam*, *Materiam medicam*, *Praxin medicam*, *Aphorismos Hippocratis*, pertinentia, quæ omnia luce dignissima. Morborum etiam *historias*, *observationes practicas*, *remedia*, *earumque descriptiones & vires* accurate consignavit, literisque mandavit, quæ inter κειμήλια ejus literaria reperiuntur, sic ad ultimum usque halitum semper, quo publico prodesset, intentus, adeo, ut biduo prius, quam quod mortale erat, deponeret, binas observationes medicas ad calamum dictaret (*) cumque viribus deficeret, quo minus eo, quo vellet, ordine, absolvere posset, breviter tamen & ipsos casus, quos, quum ante annos circiter XXX. accidissent, tenaci memoria conserva-

(*) Extant illæ in præcedenti Volum. Vto Actorum Academiæ nostræ p. 388. & 389.

ſervaverat, ſuasque *obſervationes* indicaret, ne quid periret, cujus notitia poſteritati utilis eſſet. NUNQUAM itaque, ut Natur. Curioſ. fert ſymbolum, OTIOSUS, illuſtribus egregie factorum meritis *laudes* ſibi comparavit, noſtra laudatione longe majores, & nunquam ſatis celebrandas.

Neque etiam divina deerat *benedictio*, DEO ſua coronante dona: Dici poteſt, quod de *Viro beato* Pſaltes prædicat, *quidquid faciebat, proſperabatur*. Summos ipſi *honores* Medicina peperit, ſed & opes; quin immo, quod inter hujus ſeculi bona & felicitates præcipue æſtimandum, vitæ rationem inter labores tranquillam & jucundam divina clementia ipſi indulſit. Conjugem nactus proſapia, propriisque virtutibus nobiliſſimam, corporis ac animi dotibus ornatiſſimam, pietate, ſapientia, prudentia atque familiæ regendæ peritia, morum integritate & venuſtate, ſexus ſui ornamentum & decus, mariti amantiſſimam vitæque ſociam jucundiſſimam. Exoptatiſſimi hujus connubii fœcundique thalami *pignora* ſuſcepit etiam chariſſima, & quamvis quorundam, utriusque ſexus, vel in prima infantia, vel pueritia fato ereptorum, & cum primis filiæ jam addeſcentis, *Annæ Louyſæ*, virginis egregiis dotibus & virtutibus ornatiſſimæ, venuſtate & morum ſuavitate lepidiſſimæ, jacturam acerbe doluerit, in iis tamen, quos ſuperſtites habuit, quidquid in amiſſis detrimenti ſenſit, divina benedictio compenſavit. *Filiam* enim natu majorem, omnibus ſexus ſui ornamentis præſtantiſſimam, honeſtiſſimo & feliciſſimo conjugio elocatam; *Filium* autem primogenitum, avitæ virtutis hæredem, Medicinæ Doctorem & Profeſſorem celeberrimum, Med. Aulicum expertiſſimum & feliciſſimum, collegam ſibi datum, atque ex hoc pariter ac illa nepotes dulciſſimos vidit.

Quodſi

Quodſi itaque, arbitro SYRACIDE Cap. XL. v. 19. ***liberi** & **ædificatio civium ſtabiliunt nomen***; abunde ſuppetunt, quæ illuſtre NEBELII noſtri ***nomen*** immortale faciunt, quod præcipuum noſtri ex obitu ejus doloris lenimentum eſſe poterit: Equidem Ipſe Sereniſſimus & Potentiſſimus Princeps Elector cum Aula ſplendidiſſima fideliſſimi Archiatri deceſſum dolet, quem Patria, Academia, Familia, Clientes & Amici acerbe deplorant; (& inter hos plurimis licet flebilis, flebilior tamen nulli, quam mihi accidit, qui illos annos, dies, horas, quibus jucundiſſima converſatione ejus frui licuit, inter vitæ meæ delitias habeo, & ſicut ipſe morti proximus, noſtræ amicitiæ recordari dignatus, ita Ego, quem vivum colui, in ejus honeſtanda memoria, quod unicum leniendo dolori ſupereſt, nullum pietatis officium prætermittam;) Ipſe vero beatus noſter NEBELIUS inter cœlites beata tranquillitate cum gaudio ineffabili fruitur, nobisque inſimul monumentum, quod virtus ſtruxit, aere perennius reliquit. Manent ipſius virtutes & merita apud conſcios, cultus & memoria apud gratos, fama apud poſteros, atque ***Illuſtri***, quod ſibi in hac mortalitate paravit, ***Nomine*** ſuperſtes perpetuus erit & immortalis.



MEMORIA
VIRI MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI ATQUE AMPLISSIMI
DOMINI
JOANNIS CHRISTIANI LEHMANNI,

PHILOSOPHIÆ ET MEDIC. DOCTORIS, PHYSICES IN ACADEMIA LIPSIENSI PROFESSORIS PUBLICI ORD. ET MEDICARUM INSTITUTIONUM EXTRAORDINARII, ACADEMIÆ DECEMVIRI, COLLEGII MAJORIS PRINCIPUM SOCII, FACULTATIS PHILOSOPHICÆ SENIORIS,

ACADEMIÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM, ET REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARUM BORUSSICÆ SODALIS,

D. XIX. Jan. A. S. R. cIɔ Iɔ CC XXXIX.

PLACIDA MORTE EXTINCTI,

EX FUNEBRI RECTORIS ACADEMIÆ LIPSIENSIS PROGRAMMATE DECERPTA.

Budissina, celebris Lusatiæ (a) superioris urbs, haud infœcunda bonorum ingeniorum mater, quæ, ut alios viros eruditos, ibidem prognatos, taceamus, Academiæ nostræ M. *Petrum Preschevviz* A. MCCCCXLVII. M. *Joannem de Gedau* A. MCCCCLIX. & *Andream Emmenium* A. MDCVI. tres Rectores, atque eodem sæculo *Joannem Ottonem Taborem*, Academiæ Giessensis Cancellarium, JCtum magni nominis, dedit, LEHMANNUM etiam nostrum in lucem edidit d. XVI. Junii A. MDCLXXV. Renatus est statim puerulus ex aqua & Spiritu, & JOANNES CHRISTIANUS nominatus fuit. Patrem coluit *Eliam Lehmannum*, Philosophiæ & Medicinæ Doctorem, Hereditarium Zschieschitzii, Baschitztii & Nieder-Keynæ, Serenissimorum & Potentissimorum Saxoniæ Electorum JOANNIS GEORGII II. & JOANNIS GEORGII III. Archiatrum, matrem autem, *Annam Magdalenam*, *Joachimi Westphali*, Consulis Budissinensis, per triginta quinque annos, bene meriti, filiam unicam. Avus paternus fuit *Elias Lehmannus*, Consul Budissinensis, & avia paterna *Cunigunda Kelleria*. Proavus paternus fuit *Elias Lehmannus*, JCtus, & proavia paterna, *Catharina*, *Wenceslai Agricolæ*, Con-Rectoris Budissinensis relicta filia. Abavus paternus fuit *Adamus Lehmannus* & atavus *Blasius Lehmannus*, Invictissimorum Imperatorum, MAXIMILIANI II. & RUDOLPHI II. tribunus militum vicarius. Abavia paterna fuit *Gerdrudis*, Nobilis a Planitz. Hic *Blasius* ob virtutem bellicam, Imperatori RUDOLPHO II. probatam, A. MDXCIX. singularia pro se posterisque suis insignia est consecutus. Hæc est series majorum nostri LEHMANNI, quos in gente sua coluit, & quorum exempla, in primis autem splendi-

 dissime

a) Conspectum Lusatiæ Litteatae tribus dissertationibus Vittenbergæ A. 1703. exhibuit M. *Petrus Janichen*, quæ deinde Cel. *Hoffmanni* Scriptoribus rerum Lusaticarum illatæ fuerunt. Agunt speciatim de viris eruditis Lusatiæ inferioris.

diſſimæ Parentis virtutes, ſomnum Ei excutere potuerunt. Contendit etiam noſter, a tenera ætate, ad virtutes majorum ſuorum ſe componere, tum pietatis, tum bonarum literarum cultura. Uſus eſt præceptoribus domeſticis, *Auguſtino Holtzhammero*, & M. *Joanne Caſpare Wagnero*, qui noſtrum JOANNEM CHRISTIANUM Chriſtianæ fidei principia & litterarum elementa docuerunt, eo ſucceſſu, ut in Ludum Biſchoffswerdenſem ablegari, fideique Rectoris illius Scholæ, *Valentini Schultzii*, concredi potuerit, qui domi pariter ac in Schola in fundamenta, Budiſſæ jacta, inædificaret. Inde in Gymnaſium Zittavienſe d. XI. Nov. MDCXC. ſe contulit, & domeſticus *Chriſtiani Weiſſii*, celebris tunc hujus Scholæ Rectoris, factus, ab ejus, & aliorum doctorum ore pependit, atque ex eorum inſtitutione, uti tum erat, pro virili ſua, profecit. D. XIX. April. A. MDCCXXXVII. in noſtra Academia in numerum diſcentium, & d. Maji A. MDCXCIV. numerum civium eſt receptus. In Philoſophia auſcultavit *Joanni Cypriano, Ottoni Menckenio, Joanni Henrico Erneſti, Joanni Schmidio, Joanni Gottlieb Hardtio* & *Joanni Hübnero*, Magiſtro tunc apud nos legenti. In arte medica excolenda duces ſibi elegit, *Joannem Bohnium*, quem in oratione ſua auſpicali, infra citanda, *Virum incomparabilem & vere Magnificum, ac præceptorem ſuum ad cineres usque colendum*, vocat, *Martinum Fridericum Friſium, Auguſtum Quirinum Rivinum, Joannem Guilielmum Pauli, Joannem Fridericum Ortlobium, Joannem Chriſtianum Schambergium* & *Chriſtianum Joannem Langium*, excellentes artis ſalutaris conſultos. A. MDCXCV. ab inclyto Philoſophorum & Medicorum Ordine prima diligentiæ ſuæ præmia reportavit, ab illo d. XXX. Nov. Philoſophiæ, ab hoc d. XXX. Dec. ejusdem anni Medicinæ Baccalaureus creatus. D. XXX. Jan. MDCXCVI. ſummos in Philoſophia honores obtinuit, quorum privilegia anno ſequenti d. XXII. Junii diſputatione publica, An. MDCXCVII. de *transmutationibus corporum*

extra-

extraordinariis, ventilata, ſibi adſcivit. D. I. Jul. A. MDCXCVIII. defenſa a ſe, ſub Præſidio *Jo. Chriſt. Schambergii*, diſſertatione, de *Peripneumonia*, Medicinæ Licentiatus, & tandem d. XX. April. MDCXCIX. Medicinæ Doctor hic fuit renuntiatus. D. XXII. Martii A. MDCCVII. Profeſſor Medicarum Inſtitutionum Extraordinarius conſtitutus, hoc munus auſpicatus eſt oratione publica de *requiſitis Philiatri, quoad naturam, doctrinam & uſum*, ad quam Programmate invitavit, quo *Arcanum catholicum adverſus quoſcunque morbos ſperari poſſe negat, & Helmontii aliorumque id adſerentium rationes confutat, Lapidem Buttleri Helmontianum & Joannis Ludovici a Frundeck Elexis arboris vitæ rejicit.* D. XI. April. ejusdem anni pro loco in Facultate Medica obtinendo, de *Balſamo Peruviano nigro* diſputavit. D. X. Sept. A. MDCCX. Profeſſio Phyſices ordinaria, quam *Joannes Cyprianus*, in Theologorum Ordinem adſumtus, depoſuerat, Ei fuit collata. Adgreſſus eſt eandem d. XXXI. ejusdem menſis oratione de *ſororio philoſophiæ naturalis & medicæ artis nexu*, atque ad eandem Programmate de *duabus naturalis philoſophiæ alis, ratiocinio & experientia*, invitavit. Commemorat in oratione citata, ſe coram Sereniſſimo ac Potentiſſimo Rege atque Electore, FRIDERICO AUGUSTO, glorioſiſſimæ memoriæ, in præſentia potentiſſimi Danorum Regis, FRIDERICI IV. & totius aulæ ſplendidiſſimæ, varia tentamina phyſica feciſſe, id quod occaſionem dediſſet, ſimilia tentamina, coram Sereniſſimo tunc Principe Regio, nunc autem Potentiſſimo Poloniarum Rege, FRIDERICO AUGUSTO II. ſuſcipiendi. b) Contigit etiam noſtro ea felicitas, ut coram Magno Ruſſorum Imperatore, PETRO I. rerum quoque naturalium longe peritiſſimo, tentamina phyſica adornarit, quam operam Imperator magna perſpicacia dijudica-

b) Typis exſcripta eſt hæc Oratio, cum Programmate auſpicali, Lipſiæ 1711, 4to plag. 6.

dicavit, & clementissime est interpretatus. D. XX. Dec. A. MDCCX. disputationem Physicam de *Siphonibus* pro Loco, in Facultate Philosophica obtinendo, publice defendit, & d. XXI. Dec. A. MDCCXI. in eandem est receptus. A. MDCCXII. d. IX. Febr. Academiæ Cæsareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curiosorum, sub nomine *Antenoris II.* & d. VII. Jun. MDCCXIII. Regiæ Borussicæ Scientiarum Societati fuit adscriptus. Ordinis Philosophorum Decanus quinquies electus est, d. XII. Octobr. A. MDCCXV. d. XI. Oct. An. MDCCXXI. d. XI. Oct. A. MDCCXXIII. d. IX. Oct. An. MDCCXXXIII. & d. XII. Oct. A. MDCCXXXVII. ne quid dicamus de Pro-Decanatu d. XV. Jan. A. MDCCXXXII. suscepto. Magistratum Academicum quater gessit, d. XVI. Oct. A. MDCCXVI. A. MDCCXXVI. A. MDCCXXXII. & A. MDCCXXXIV. eidem præfectus. In tertio Magistratu Academico cum aliis Professoribus, solemnis jurisjurandi, Serenissimo ac Potentissimo Regi atque Electori Nostro præstandi causa, in Curiam convocatus, orationem ad Clementissimum Patriæ Patrem habuit, & postea cum reliquis Collegis ad osculandam manum regiam fuit admissus. Pro-Concellarius Ordinis Philosophorum bis fuit, A. MDCCXX. & A. MDCCXXXII. atque A. MDCCXXXIV. Ordinis sui Senior est factus. A. MDCCXXIII. d. XVII. Martii in Collegio Majori Principum socius electus, d. XXVII. ejusdem in Collegium cooptatus fuit, bis ejusdem præpositus, A. MDCCXXIII. & A. MDCCXXIX. & post septem annos A. MDCCXXXVI. Præpositus Magnus. Eodem anno Director Oeconomiæ fuit, A. MDCCXXXII. d. XXVIII. Jan. Academiæ Decemvir jam electus. Quæ quidem munera omnia, magna fide & solertia, administravit, atque ad spartam suam ornandam, & doctrinam Physicam tentaminibus illustrandam, multum pecuniæ, coëmendis instrumentis & machinis impendit, sibi potius philosophandum, quam di-

tescen-

tescendum esse arbitratus. Conjunxit noster cum hoc insigni instrumentorum adparatu scientiam Chemiæ, scientiam rerum metallicarum, quam *profundam* ei fuisse judicat Cl. *Jordanus*, c) sed in nostrum simul iniquus, immo injurius. Publicavit etiam eruditionis suæ physicæ documenta, in quorum censum præcipue *sex illa specimina utilitatis physicæ veræ & XVI. Programmata*, ambo infra commemoranda d) referri possunt, quorum duo moverunt bilem *Andreæ*

c) in libro Gallico: *Histoire d'un Voyage litteraire, fait en MDCCXXXIII. en France, en Angletterre & en Hollande* &c. Hagæ Comitum A. MDCCXXXV. 12. publicato p. 16.

d) Prodierunt illa sub his inscriptionibus: Utilitatis Physicæ veræ Specimen I. de Terebra Metalloscopica, oder Beschreibung des Berg-Bohrers. Lipsiæ A. MDCCXIV. cum tab. æneis. 4.

Specimen II. vollkommene Beschreibung einiger neuen Puchwercke, ibid. A. MDCCXVI. 4 c. tab. æn.

Specimen III. de Florum maturatione media hyeme, d. i. wahre Erlangung eines vollkommenen Blumen-Gartens durch den gantzen Winter. Lipf. MDCCXVIII. 4. c. tab. æn.

Specimen IV. de Fontium medicatorum & salinorum genuina Diagnosi, d. i. gründlicher Beweiß, daß der Radeberger Gesund-Brunnen innerlich und äusserlich sicher zu gebrauchen sey, &c. Lipf. A. MDCCXXII. 4. cum tab. æn.

Continuatio I. ibid. A. MDCCXXV. 4to.

Specimen V. de Fontis soterii noviter inventi qualitate & salubritate, d. i. von der Königin Christianen Eberhardinen Brunnen bey Reibolds-Grün. Lipf. A. MDCCXXVI. 4.

Continuatio I. ibid A. MDCCXXVII 4to.

Specimen VI. Ars lucrandi lignum; d. i. Universal-Holtz-Spar-Kunst. ibid A. MDCCXXXV. c. tab. æn.

Utilitatis physicæ veræ Spec. VI. contin. I. de eodem argumento c. tab. æn. A. MDCCXXXVI. 4to.

Sachsen kan alle arme Saltz-Quellen, welche es in grosser Menge

dreæ Rüdigero, Phlosopho Lipsiensi, ut & in foro Academico,

hat, mit Nutzen und Ausbeute bauen innerhalb 2. bis 3. Jahren sich selbst mit Saltz verlegen, es widerspreche solches, wer da wolle nachdem sieben neue Verbesserungen erwiesen. Lips. A. MDCCXXI. und MDCCXXIV. 4.

Zweymalige Aufweisung einer Heitz-und Siede-Machinæ. Lips. A. MDCCXIX. 4to.

Versiedung einlöthiger Sole in Boserne. Dresdæ. MDCCXIX 4to.

Zusammen-Ordinirung derer Gradier-Häuser, Gradier-Dächer, Gradier Machinen, Gradier Röhren und Fässer, an, unter, und über denen Siede-Pfannen und ihren Rauch-Fängen. ibid. A. MDCCXX 4to.

Programmata hæc fere sunt 1.) inaugurale ad Med. Prof. Extr. Lips. A. MDCCVII. 4to pl. 1.

2.) inaugurale ad Prof. Physices. Lips. A. MDCCX. 4. pl. 1.

3.) de principiis intelligibilibus Neo-Scholasticorum circa doctrinam physicam de gravitate & levitate Lips. A. MDCCXVI. 4. pl. 2,

4.) de gravitate & levitate corporum naturalium contra D. *Andr. Rüdigerum* Lips. A. MDCCXVI. pl. 4.

5.) DEUM hominibus omnia laboribus concedere. L. A. MDCCXX. fol. pl. 1.

6.) de Principio contractivo. L. A. MDCCXXII 4to pl. 2.

7.) de hominis dominio in creaturas ex principiis physicis demonstrabili. L. A. MDCCXXII. 4. pl. 1.

8.) de materiæ capacitate formas diversas adsumendi. L. A. MDCCXXVIII. 4 pl. 2.

9.) de impenetrabilitate materiæ ad demonstr. dominium in creaturas L. A. MDCCXXVIII. 4. pl. 1,

10.) de materiæ ingenerabilitate & incorruptibilitate. Lips. A. MDCCXXXII 4. pl. 2.

11.) de nullitate divisibilitatis materiæ in infinitum. L. A. MDCCXXXII. 4. pl. 1.

12.) de forma auri, metalli pretiosissimi. L. A. MDCCXXXIII. 4. pl. 1.

13.)

mico, &, in Appendice Physices suæ, quam vocavit, Divinæ, cum nostro congrederetur.

Quod ad consanguineos nostri attinet, habuit ille tres fratres, unamque sororem. Maximus natu frater fuit *Joachimus Lehmannus*, Hereditarius Zsieschitzii & Baschitzii, Medicinæ Doctor, & Serenissimi ac Potentissimi Poloniarum Regis atque Electoris Saxoniæ Consiliarius rerum metallicarum d. XXIII. Nov. A. MDCCXXIX. Dresdæ beate defunctus. Minor natu frater *Elias Henricus Lehmannus*, & minimus natu, *Joannes Elias Lehmannus*, in tenera ætate obierunt. Soror autem ejus *Helena Margaretha* virgo illustri Viro, *Joanni Wolffgango Bevvertenio*, Serenissimo ac Potentissimo Borussorum Regi, a consiliis sanctoribus Berolini, in matrimonium collocata fuit. A. MDCCI. animum noster ad matrimonium adpulit, & d. XII. April. cum Virgine nobilissima, *Margaretha Regina*, *Friderici Benedicti Carpzovii*, Polyhistoris, Senatoris & Ædilis Lipsiensis celeberrimi, relicta filia, natu minore, nuptias celebravit. Dici non potest, quantum res litteraria nostra huic *Carpzovio* debeat. Duxerat is d. 24. Oct. MDCLXXVI. *Annam Elisabetham Jegeriam*, celeberrimi Mercatoris Lipsiensis filiam, ex qua nostra *Lehmannia* nata fuit, & non possumus non ex ejus ad *Christianum Daumium* Epistolis MSStis, quas adservamus, fragmentum Epistolæ d. XXII. Oct. anni ejusdem ad *Daumium*

13.) quid & quale Principium determinans, agens atque gignens sit, quod producit formas & differentias specificas in corporibus, & quale physici demonstrare possint. Lips. A. MDCCXXXIV. 4 pl 1.

14.) quam utilitatem situs corporum naturalium generi humano præstet. L. A. MDCCXXXIV. 4. pl. 1.

15.) de diversissimis utilitatibus generi humano per dominium creaturarum ex doctrina physica de loco accrescentibus. L. A. MDCCXXXVIII. 4. pl. 1.

16.) de Tempore L. A. MDCCXXXVIII. 4. pl. 1½.

mium exaratæ, huic ſcriptioni intexere, in quo de matrimonio ſuo & vitæ, quam iniit, ratione, quædam exponit: „Superiori menſe, *inquit*, ſtudia mea ſic partiri cœpi, ut „ex parte Mercurio ejusque filio Mercaturæ, ex parte Muſis „& literis vacarem, futura ſeptimana, & ad diem XXIV. Oct. „etiam Veneri litabo, nuptias cum Nobiliſſima virgine, „*Anna Eliſabetha Jegeria* celebraturus. Adeo jam conſortio Deorum Dearumque gaudeo.„ Eadem fere laudatus *Carpzovius* ad *Nicolaum Heinſium* perſcripſit T. V. Sylloges Epiſtolarum a Viro celeberrimo, *Petro Burmanno*, evulgatæ, qui T. IV. laudatæ Sylloges p. 401. noſtrum *Carpzovium*, *Polyhiſtorem & Mæcenatem eruditorum celeberrimum*, vocavit. Ita autem Carpzovius ad Heinſium: „Ut de privatis etiam „rebus meis aliquid ad te perſcribam, cum lectiſſima virgi„ne, *Anna Eliſabetha Jegers*, celeberrimi apud nos Merca„toris, filia, & vitæ & fortunarum contubernium facere „conſtitui, & nuptiis quidem earumque ſolemnibus dies „IX. Kal. Novembr. dicta eſt. Ambo floremus ætatibus, „& ut ſtudiis Muſisque commodius ſervire poſſim, nec mo„leſtis officiis (quæ nanciſci facile poſſem,) ab iis abſtrahar, „lautius tamen vivam, ſimul ut ipſius fortunæ me magis „ſimilem reddam, ad mercaturæ ſtudium animum adplicui: „ita Muſis & Mercurio ſimul vacare, & dies poſthac inter „eruditas & Mercuriales litteras, noctes inter ſomnum & „Cypridem partiri potero.„ Hactenus *Carpzovius*, cujus XXVII. Epiſtolæ ad *Nicolaum Heinſium* in P. V. citatæ Sylloges extant, cujus & *Heinſii* mutuas Epiſtolas *elegantiæ & & rerum*, *Hiſtoriam litterariam illuſtrantium*, *pleniſſimas* adpellat laudatus *Burmannus*. Sed redeundum eſt a laudibus Carpzovii ſoceri ad matrimonium noſtri LEHMANNI cum Carpzovia ſua, non infæcundum. Suſtulit ex ea duos filios I.) *Chriſtianum Fridericum*, natum d. XVII. Jun. A. MDCCXII. & d. *XXIX.* Oct. anni ejusdem extinctum 2.) *Joannem Gottlieb* d. *XVI.* Sept. A. MDCCXIV. Juris utriusque

Can-

Candidatum, quem illuſtria in paterna & materna gente, quæ habet exempla, ad imitationem etiam eorum invitabunt.

Hæc eſt narratio vitæ noſtri *Joannis Chriſtiani:* Vixit autem noſter ita, ut non perpetuo ſibi vivendum eſſe arbitraretur, philoſophatus eſt ita, ut, qui in Phyſices doctrina dominium hominis in creaturas ſubinde adſtruxit, etiam DEI & Creatoris & vitæ mortisque noſtræ arbitri, haud obliviſceretur, ſed optimam Chriſtianorum philoſophiam, meditationem mortis eſſe, exiſtimaret. Cenſuit cum ERASMO ROTERODAMO, e) „ non contemplationem mathematicarum formarum, a „materiis abſtractarum, aut idearum Platonicarum imagina„tionem præſtare, ut bene moriamur, ſed ſi fidei oculis „ſubinde ſpeculemur, omnem humanum ſenſum exceden„tia bona, quæ DEUS per filium ſuum, JESUM, promiſit „ipſi fidentibus, mala, quæ comminatus eſt incredulis & „ inobedientibus. „ Hinc etiam factum eſt, ut noſter LEHMANNUS frequenter oraret, oraret pro ſe, oraret pro ſuis, oraret pro Academia noſtra, quam *opus divinæ providentiæ* vocare conſuevit. His precibus etiam ad ultimum illum, qui omnibus ſubeundus eſt, conflictum, ſe præparavit, e cujus eventu vel æternus triumphus ſperatur, vel nota ſempiterna expectatur. His armis non demum lecto adfixus eſt uſus, ſed dudum iis eſt uſus, ut eo felicius pugnaret, ut eo certius victoriam reportaret. Redierat noſter, ſub finem menſis Julii anni ſuperioris, Dresda, ſed vix redierat, quum animadverteretur, Ejus animi corporisque vires admodum debilitatas eſſe, Has infractas vires, vertigo & dolor cervicis, apoplexiæ prodromi, per intervalla comitabantur. Quamquam autem Experientiſſimus D. *Jacobi* huic malo occurrere, nervoſque debilitatos confirmare tentabat; ægrotus etiam interdum meliuscule ſe habeat: illa tamen ſpes brevi evanuit, quin potius malum ulterius ſerpſit, memoria paulatim magis magisque debilitabatur, ner-

aa 3 vique

e) In libro de præparatione ad mortem, qui Pariſiis, ap. Nicol. Buſſet A. MDCCXXXV. 8. primum prodiit. p. 7.

vique latius relaxabantur, donec paralysis dextri lateris observabatur. Durante hoc diuturno & semestri fere morbo, animæ quoque Nostri curam non neglexit Ejus Confessarius, Vir plurimum Reverendus atque Amplissimus, Dominus M. *Christianus Weissius*, ad D. Nicolai Diaconus. Hic frequentius Nostrum invisit, hic verbo divino, quod animas nostras salvas facere potest, Eum corroboravit, hic sollicitam virium animi rationem Nostri habuit, & die XI. Nov. anni superioris quinque illas horas, per quas DEUS integras animi vires nostro concesserat, tam salutariter convertit, ut Eum peccata suo serio confessum, sacro illo, quod anhelabat, epulo, sacramento corporis & sanguinis Christi, recreare potuerit. Confirmat etiam laudatus *Weissius*, nostrum *JOANNEM CHRISTIANUM*, quotiescunque eum adiit, & in ultimo, quod cum illo instituit, colloquio, redemtione Christi, ejus intercessione apud Patrem, magna DEI misericordia, se consolatum, & ad quæstiones propositas confessionem edidisse præclaram. Ita præparatus noster, ita redemtioni Christi confisus, non potuit non in ultimo illo conflictu triumphare, qui apoplexia correptus, animam suam Servatori suo, *JESU CHRISTO*, reddidit, die undevicesimo mensis Januarii hujus anni, circa dimidium horæ VII. matutinæ. Vixit noster annos sexaginta tres, septem menses & tres dies. Anima ejus in illum locum evolavit, ubi erit *intellectus sine errore, memoria sine oblivione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimenta, saturitas sine fastidio & tota sanitas sine morbo*: Hæc enim *PROSPERI AQUITANICI* Verba, ex ejus L. I. C. IV. *de vita contemplativa* (f) ad felicitatem illam, quam Noster, post diuturnum conflictum, obtinuit, aliqua ex parte exprimendam, repetiisse juvabit., corporis Ejus exuviæ de XXI. Jan. tempore matutino, inter comitatum suorum, & quorundam amicorum ac familiarium, Templo Paulino fuerunt illatæ, ubi resurrectionem, novam cum anima conjunctionem, atque æterna expectant præmia. ME-

f) Vid. editionem Operum Prosperi Aquitanici Coloniensem A. MDCIX. 8. excusam p. 190.



ELIAS FRIDERICUS HEISTERUS D.
Sereniss. Duci Brunswico-Luneburg. à Consiliis
Ord. Medicorum in Acad. Julia Adjunct. Designat. Me-
dicinæ Professor. Acad. Imp. Nat. Curios. Collega Sostrates II.
Nat. d. 28 April. 1715. Denat. d. 11 Nov. 1740.

Martin Tyroff sculp. Norib.

MEMORIA VIRI PRÆNOBILISSIMI, EXPERIENTISSIMI ATQUE DOCTISSIMI DOMINI

ELIÆ FRIDERICI HEISTERI,

SEREN. DUCI BRUNSVICO - LUNEBURG.
A CONSILIIS, ARTIS MEDICÆ DOCT. ORDINISQUE
MEDICORUM ADJUNCTI, ACAD. NAT. CUR. COLLEGÆ
ET DESIGNATI MED. PROFESSORIS,

IN IPSO ÆTATIS FLORE ET MEDIO AD GLORIAM
CURSU
LUGDUNI BATAVORUM

d. XI. M. Novembr. A MDCCXL.

MAGNO REI MEDICÆ ET CIVITATIS ERUDITÆ
DAMNO
PIE DEFUNCTI,
CONSTANS EX

PANEGYRICO,

QUO
SUPREMUM HONORIS ET AMORIS OFFICIUM
EIDEM MOESTI AC LUGENTES PERSOLVEBANT
PRORECTOR ET SENATUS ACADEMIÆ JULIÆ,
INTERPRETE

JOH. LAURENTIO MOSHEMIO,

THEOLOGO JULIO, SEREN. DUCIS BRUNSV. ET
LUNEBURG. A CONSIL. RERUM SANCTIORUM, ABBATE
COENOBIOR. VALLIS S. MARIÆ ET LAPIDIS S. MI-
CHAELIS ET RELIQU.

MAgna vobis, CIVES, & triſtiſſima funera hoc anno nuntianda proh dolor! fuerunt: nullum ad lacrymas duris etiam & ferreis ciendas aptius, quam id, quod nunc in ipſo anni exitu indicere cogimur. Heu! ſpes mortalium fallaces, vanas, inanes! Heu! luctuoſa illuſtris ſcholæ hujus fata! Occidit (ipſe calamus fugere & horrere videtur dirum hoc verbum) occidit eheu! in ipſo ætatis vere unicus parentum, isque amabiliſſimus filius, unicum gentis nobiliſſimæ ſolatium & præſidium, certiſſimus univerſæ rei Medicæ amplificator, ſidus hujus Academiæ oriens quidem, ſed in ipſo jam ortu illuſtre & ſplendidum, pietatis, modeſtiæ, diligentiæ, omniumque virtutum, quæ magnos & inmortales facere ſolent homines, exemplum admirabile; Et quid laudibus opus? Ipſum nomen ad magnitudinem damni, quod lugemus, declarandam ſufficiet. Occidit Vir Ampliſſimus, Nobiliſſimus & Experientiſſimus, ELIAS FRIDERICUS HEISTERUS, Seren. & Clementiſſimi Ducis & Heri noſtri a conſiliis, artis Medicæ Doctor & Ampliſſimi Medicorum Ordinis Adſeſſor, Academiæ Naturæ Curioſorum membrum, futurus & deſignatus jam collega noſter, quem non MEIBOMIUM tantum, cujus morte nuper afflicti ſumus, ſed ipſum etiam aliquando parentem redditurum nobis eſſe, confidebamus. Diſputarunt olim in ſcholarum umbris Rhetores: utrum ſenum præclare meritorum, an juvenum ſumma quævis merita ſpondentium mors rei publicæ vehementius deploranda ſit? Et facilem habebant ad exornandum cauſſam, niſi qui tardi prorſus & pingues erant, ſive hanc, ſive illam partem amplecti mallent. At ſiluiſſent, opinamur, magiſtri etiam exercitatiſſimi, ſi quis hanc illis quæſtionem poſuiſſet: Magisne flere decet in funeribus ſenum, an juvenum, qui ſenes jam prudentia, doctrina, virtute referunt

runt & æquant ? siluissent, dicimus, sic quæsiti, aut potius, omissis litibus, omnes respondissent: Duplicandas esse bonorum omnium lacrymas, quum juvenes ejusmodi obeunt. Talis, CIVES, talis beatus HEISTERUS noster decessit, si annos numeretis, juvenis; si facta, labores, virtutes, scripta, senex, immo multis senibus, literatis etiam, major. Nolumus vos hæc nobis tantum credere, quos amor fallere potest: Credite auribus vestris & communi, quæ numquam tota decipit, famæ, immo ipsis illis credite, quibus alienæ virtutes molestæ sunt: Si ne hoc quidem satis tutum putatis, quia livor post fata quiescere solet, ipsis rerum documentis & factis, quorum veritas in clarissima luce versatur, credite. Suppeditabit ea vobis vita pie defuncti, tempore quidem brevis, at rebus longa, quam ex ipso ejus ore recitabimus. Vates nimirum imminentis obitus sui, ipse ad Batavos proficiscens Historiam suam, ut modeste ac simpliciter, ita concinne & eleganter exaratam parentibus reliquit, eo sine dubio consilio, ne posteris frustra vixisse, acceptasque a supremo Numine tam animi, quam ingenii dotes, sine fructu collocasse videretur.

Salutavit hanc lucem decimo quinto hujus sæculi anno, die mensis Aprilis vigesima octava, Altorffii Noricorum, ubi parens, LAUR. HEISTERUS, collega laudibus nostris major, tum temporis Medicinam & felicissime faciebat, & magna cum nominis sui fama docebat. Genitricem coluit sexus sui decus, EVAM MARIAM, summi quondam Jureconsulti, HENRICI HILDEBRANDI, in Academia Altorfina Prof. Juris Ordinarii, Seren. Ducis Palatino-Solisbacensis, inclytæque Noricorum Reipublicæ a Consiliis, viri in summa doctrinæ & ingenuitatis laude positi, filiam unicam: cujus squalorem & luctum in funere filii, ex tribus superstitis, is demum rite æstimaverit, qui no-

novit, quam beatam & ipſa ſemet tanto nato merito putaverit & ab omnibus judicata ſit. Sexennis puer noſter factus eſt. Vigeſimus enim ſæculi hujus annus agebatur, quum parentis gloria Potentiſſimam gentem Brunovicenſem commoveret, ut eum ad Academiam ſuam ornandam & exteris etiam commendandam arceſſerent. Qua ratione pueritiæ annos conſumſerit, referre, nihil attinet. Nec enim quemquam noſtrum fugit, quam ſancta & ſapiens ſit Heiſterianæ domus educatio. Litteras, quarum amorem ab ipſa accepiſſe natura videbatur, infans pæne adhuc non ſecus complexus eſt, acſi non in re ignota & aliena, ſed in patrimonio & hæreditate ſua verſaretur. Præter ceteras tamen artes & diſciplinas, quarum amore ducebatur, ad eas magis occulta quadam vi propendebat, quibus Medicorum ſaluberrima doctrina continetur: quas inter ſcientiam illam, quæ florum, fruticum, plantarum genera, vires, notas ſcrutatur, puerulus jam naturæ quodam inſtinctu conſectabatur. Adultior paullo factus optimorum magiſtrorum fidei & peritiæ a parente concreditus eſt, ex quibus cum linguarum & liberalium artium, tum ſeveriorum doctrinarum ſemina & rudimenta hauriret. Et horum diligentiæ ita præclara juvenis indoles & uberrimum ingenium reſpondit, ut exiguo temporis ſpatio non linguarum modo tam eruditarum, Latinæ & Græcæ, quam earum, quæ hodie inter gentes Europæas maxime florent, Gallicæ, Italicæ, Anglicæ, verum etiam utriusque eloquentiæ, Hiſtoriæ, Matheſeos & Philoſophiæ inſignem cognitionem conſequeretur. Vivit adhuc, & diu vivat optamus! locupletiſſimus & graviſſimus feliciſſimorum horum progreſſuum teſtis, Vir maxime Reverendus, JO. CHRISTIANUS ZIMMERMANNUS, facundiſſimus hodie & fideliſſimus divinæ veritatis apud Hannoveranos interpres. quo potiſſimum magiſtro uſus eſt. Noluit beatus poſteros optimi

mi hujus & ingeniosissimi præceptoris in se merita ignorare: in narratione enim de vita sua, quam discedens consignavit, luculentam gratissimæ voluntatis suæ erga virum eximium significationem reliquit. Hic vicissim non sine lacrymis confirmat, vix sese molestias illas, quæ juvenum institutioni plerumque adjunctæ sunt, in formando discipulo sensisse, immo maximam ex inopinatis ejus in omni eruditionis genere incrementis lætitiam percepisse.

Parens interea, etsi filii alacritate & profectibus maximopere delectabatur, pro prudentia tamen sua statuit, temperandum esse nonnihil ardorem istum, ne vim valetudini afferret. Quocirca comitem sibi illum in nonnullis, quæ vel officium, vel negotia imperabant, itineribus adscivit, quo mens tota in litteras defixa variarum rerum & hominum aspectu paullulum a contentione sua sevocaretur, & ad graviores curas & meditationes firmaretur. Primum A. MDCCXXVI. mense Junio Francofurtum ad Mœnum, ubi nasci ipsi contigit, juvenem duxit, hinc ad fontes Embsenses, quorum usum majori natu filio, maximæ pariter spei juveni, ex tabe tum laboranti & anno consequenti pie defuncto, salutarem fore sperabat. Hoc in itinere beatus Cassellas, Marpurgum, Giessam, Moguntiam, Wisbadam, Swalbacum, Confluentes ad Rhenum, castrum, quod ipsa natura inaccessum hostibus reddidit, Ehrenbreitstein, aliasque clarissimas urbes & quæ in eis notatu digna sunt, accurate lustravit. Biennio post Saxoniam, amœnissimam Germaniæ provinciam, spectandi & percurrendi opportunitas ipsi nata est. Parens enim ab illustri ægroto in illis oris invitatus, occasionem hanc amplexus est filio præstantiores Saxoniæ urbes & quidquid in illis pulcrum & memorabile est, Dresdam, ubi & Potentissimum Poloniarum Regem, Saxoniæque Novemvirum venerari licuit, Lipsiam, Servestam, Torgaviam, Magdeburgum, aliasque monstran-

di. Sequenti anno, qui vigesimus nonus sæculi erat, negotia domestica HEISTERUM nostrum Norimbergam & Altorffium vocabant. Aderat ei rursus gnatus & præter multas alias urbes in via occurrentes Altorffium, dulcissimam patriam, qua puer egressus erat, non sine insigni voluptatis sensu salutabat.

Ex hoc quum itinere rediisset, maturus omnibus, quibus dotes ejus perspectæ erant, videbatur ad vitam Academicam inchoandam. Nam & moribus & tota ratione virum magis referebat usu rerum edoctum, quam juvenem alienis præceptis erudiendum & fingendum. Sed parens nil temere agendum esse ratus, rerum testimoniis malebat, quam suo & aliorum judicio, certus reddi, ad interiora litterarum mysteria filium admitti posse. Neque in hoc ulla mora erat, quo minus desiderio genitoris satisfaceret. Primum scilicet A. MDCCXXX. venustam Oratiunculam *de utilitat. litterarum elegantiorum in Medicina* plaudentibus, quotquot audiebant, recitabat & formis deinde describi curabat. Nihil in ea jejunum, nihil fractum & humile, nihil juvenile: sana omnia, solida & ex ipsis rerum visceribus depromta. Paullo post, quo Græcis etiam Medicis legendis sese parem ostenderet, (his enim haud parum a parente tribui non ignorabat) PLUTARCHI *de educatione puerorum* libellum, Germanice, stylo facili & naturæ rei accommodato, convertebat. Accedebat binis his speciminibus oratio numeris poeticis illigata *de studii Botanici*, cujus innatus ipsi amor erat, *utilitate & jucunditate*. Victus tot argumentis parens, non resistebat diutius, ne inter cives Academiæ nostræ cooptaretur: receptus igitur est A. MDCCXXXI. mense Octobri, fasces tum vice Rectoris gerente Venerabili nunc Sene, RUDOLPHO CHRIST. WAGNERO, Physices & Matheseos doctore publico longe celeberrimo.

Ab hoc tempore quanta induſtria & labore ad perficiendum ſagacem animum, quanto ſtudio ad limandum & ornandum felix ingenium incubuerit, plerique noſtrum non tam recordantur, quam cernere ſibi adhuc videntur. Principio, quod Medicum Philoſophiæ ignarum altero veluti oculo captum eſſe putabat, tam avide Philoſophorum ſeſe ſcholis committebat, acſi conſeneſcere in illis cuperet. Utebatur vero in primis inſtitutione præſtantiſſimorum virorum, GOTTL. SAM. TREUERI, noſtræ quondam, nunc almæ Georgio-Auguſtæ gloriæ, & IO. NICOL. FROBESII, collegæ nunc conjunctiſſimi, cujus ſingularem facultatem abſtruſa philoſophorum dogmata perſpicue explicandi innumeri celebrant. Orbem Medicum univerſum quo duce peragraverit, vix dicere neceſſe eſt. Illuſtrem nimirum parentem, cujus ex copia tot alii diteſcunt, ſtrenue ſequutus eſt: quod quanto cum fructu & ſucceſſu fecerit, ſentient facile, qui paternum amorem, filii virtutem & diſcendi cupiditatem cogitabunt. Neque diu publica, ex quibus hoc intelligi præclare poterat, monumenta deſiderabantur. Annum enim vix inter cives Academiæ conſumſerat, quum cathedram parente comitante conſcenderet atque commentationem *de foliorum utilitate in conſtituendis plantarum generibus*, mirabili facilitate defenderet. Sequenti anno, qui trigeſimus tertius ſæculi noſtri erat, quanta artis illius, quæ corpora diſſecare, partiumque ſitum, nexum & uſum dignoſcere docet, peritia valeret, oſtendit. Nam JACOBI DOUGLASSII, excellentiſſimi Anglorum Anatomici & Medici, *deſcriptionem anatomicam peritonæi*, libellum eximium, ex Anglico ſermone Latine convertit & pereruditis obſervationibus locupletatum, duodeviginti annorum adoleſcens edidit. Neque has graviores inter curas amœniores artes & diſciplinas neglexit. Teſtis eſt luculentum & elegans carmen, quo eodem anno

Salisburgensium, religionis melioris caussa patriam magno animo linquentium, quorum magna pars nostras in itinere regiones attingebat, pietatem & fortitudinem cecinit: quod quidem amicus Hanoveranus, ipso inscio, venustatis caussa formis exprimi curavit.

Necessaria animo tot arduis contemplationibus per aliquot annos distracto & fatigato requies erat, ne cum corpore succumberet. Consenserunt igitur parentes, ut itinere per inferiorem Saxoniam instituto sibi succurreret. Id cum amicis quibusdam A. MDCCXXXIV. ingressus, sic more suo obiit, ut partis jam eruditionis opibus novas non contemnendas adjiceret. Nec enim tantum celebriores tractus nostri urbes, Brunsvicum, Guelpherbytum, Cellas, Hanoveram, Lüneburgum, Hamburgum, Altonaviam, ubi tum Potentissimus Danorum Rex forte degebat, curiosissimis oculis spectavit, nihil prætermittens eorum, quæ vel oblectare in illis, vel prodesse possunt, verum etiam viros doctrinæ & ingenii laude claros ubique adiit, quorum ex colloquiis ac museis uberrimos sese fructus ad culturam animi percepisse, ipse gratissimus memorat. Ædibus paternis redditus, precibus nonnullorum id dedit, ut discipuli personam cum doctoris munere aliquamdiu commutaret. Poscebat Illustrissimus Comes, CHRISTIANUS ÆMILIUS de RANZAU-RASTORF, qui paternas tum ædes incolebat, pro incredibili, quo in omne litterarum genus ferebatur, studio hominem, qui viam sibi ad scientiæ salutaris recessus aperiret: commilitonum præterea aliqui, qui alterum in filio parentem colebant, certissimam sibi ex ejus institutione utilitatem pollicebantur. Illi igitur parentis *Institutiones Medicas breviores* interpretatus est: his *Osteologiæ*, quam vocant Medici, & *Anatomiæ* accuratius cognoscendæ princeps & auctor extitit. Nemo erat horum, quin plenissime satis sibi factum esse fateretur.

Ipse

Ipſe doctor ſolus longius ſibi abeſſe adhuc a perfectione, quam appetebat, videbatur, nec ad diſcipulorum ſubſellia redire, quo glorioſius cathedram aliquando occuparet, recuſabat.

Favebat præclaræ juvenis ſupra ætatem prudentis modeſtiæ voluntas parentis. Et qua ratione adverſari potuiſſet, quo nemo unus cognitum magis habet, poſſe quidem præceptis & meditatione belle inſtrui futurum artis magiſtrum, at eumdem, ſi exercitationem, ſi obſervationem, ſi alienam virorum peritiſſimorum experientiam, ſi exterorum inventa præceptis addat, multo excellentiorem & ad corporum noſtrorum mala pellenda aptiorem fore? Placuit igitur filium Berolinum A. MDCCXXXV. mittere, quo in nobili, quam ibi magni quondam Regis providentia non ita pridem tyronibus Medicis conſtruxit, palæſtra & majorem cadaverum diſſecandorum facultatem, & ſimul in ampliſſimæ urbis noſocomio morborum varii generis accuratiorem notitiam ſibi pararet. Hic meſſem beatus invenit copioſiſſimam: in quam tanta cupiditate ingreſſus eſt, ut doctores certatim inſoliti exempli diſcipulo favere & obſequi ſtuderent. Comitabatur ſæpe Excell. SPROEGELIUM, primarium noſocomii Medicum, ad ægrotos adeuntem: Et hic tam erudito comite & virtutis ſuæ non inepto exiſtimatore gaudebat. Aderat fere ſemper SENFFIO, Chirurgo tunc illius magni noſocomii & dexterrimo & feliciſſimo, quoties curatio difficilior & rarior incidebat, & peritiſſimam viri manum in *Operationibus*, ut vocant artis conſulti, valde periculoſis admirabatur: Hic viciſſim tantum aberat, ut ſpectatorem hunc repudiaret, ut dignum potius haberet, quocum operas ſæpenumero partiretur, quemque in auxilium vocaret. In Chymicis ſtudiis magnum virum, CASP. NEUMANNUM, diligentiſſime conſectabatur: quem virtute, modeſtia & docili-

tate eo usque capiebat, ut ſponte copiam ipſi faceret ſplendidum pharmacopolium Regium & incomparabile, quod ei junctum eſt, *Laboratorium* pro lubitu adeundi & explorandi. Anatomicam ſcientiam firmaturo & amplificaturo adjutorem ſeſe liberaliſſime præbebat Excell. BUDDEUS, cujus perpetuis demonſtrationibus aſſiduus interfuit. Quamquam aviditati ejus tanti nominis præceptor haud ſufficiebat: ipſe potius virium ſuarum periculum facturus, in varii generis cadaveribus diſſolvendis, inſpiciendis inter ſe conferendis, magnam hyemis partem tam ſtudioſe collocabat, ut noctes ſæpe inſomnes duceret. Anxie interim, quorſum immoderata hæc animi contentio evaſura eſſet, familiares & fautores expectabant, maleque ſæpius induſtriæ ejus ominabantur. Nec fefellit metus ſollicitos, Invadit nimirum morbus acutus & valde formidoloſus ſubito inter mortuos verſantem, quum in exitu annus eſſet, injurias corpori illatas ulturus veluti, & juvenem Medicum, quemadmodum aliis aliquando conſuleret, unice quærentem, ſibimet ipſum conſulere jubet. Colluctandum ipſi cum hoc & vitæ & ſtudiorum ſuorum pertinace adverſario per aliquot dierum hebdomades fuit: fracto nempe malo, cauſſæ ex quibus natum erat, moroſius aliquandiu reſiſtebant: ſed recens tamen adhuc naturæ robur, virtuti optimorum remediorum junctum, moleſtias omnes poſtremo diſſipavit.

Utinam gravi hoc periculo cautior & valetudinis amantior redditus fuiſſet! Atqui rapiebat convaleſcentem & imbecillem adhuc vis animi ignea & publici commodi deſiderium, nec inter ipſos diſcedentis morbi languidiores licet impetus quieſcere patiebatur. Repleverat tum temporis maximam Europæ partem nominis & inventorum ſuorum fama, TAYLORUS, Anglus, qui ſe unum poſt hominum memoriam cunctis oculorum morbis, Medicum divinitus

vinitus datum esse gloriabatur & plurimis magno eorum malo persuadebat. Pervenerant autem ad nostrum certissima documenta, ex quibus constabat, longe minus in hoc homine fidei & virtutis esse, quam credi sibi volebat, & innumeri credebant: tristissimum maxime amici exemplum in manibus habebat, quem cataracta laborantem crudelis Medicus misere primum satis diu vexaverat, ad extremum omni plane luminis usu privaverat. Ne qui igitur in posterum imprudentes aut mediocris aut dubiæ facultatis viro male affectos oculos committerent, *narrationem* sermone patrio *de vita & factis* ejus, nondum prorsus confirmatus & pristinæ valetudinis cum vere reditum expectans, conscribebat & apud nos edi curabat. Exiguæ molis libellus apertissime noxias Angli artes, ne dolos dicamus, in lucem profert, legentesque, in argumento licet parum jucundo versetur, voluptatis tamen quodam sensu accendit.

Berolino mense Aprili A. MDCCXXXVI. recuperato prorsus vigore corporis, Lipsiam, præcipuum illud in Germania omnium fere litterarum domicilium, commeaturus, sic iter instituebat, ut inclytas antea Academias, Viadrinam, Vitembergensem, Fridericianam Halensem, inviseret, magnorumque, quorum ore & scriptis illustrantur, virorum benevolentiam sibi acquireret. Francofurti profuerunt ipsi maxime celeberrimorum Medicorum, GOELICKII & BERGENII, colloquia: Vitembergæ ex BERGERI, VATERI, STENZELII, quos nominasse, idem est, quod laudasse, favore & sermonibus haud parum fructus cepit: Halæ quanta, quamque utili delectatione imbutus fuerit, quum æternum illud scholæ Medicæ decus, Venerabilis Ordinis Germanorum Medici pater, FRID. HOFMANNUS, litteratissimus SCHULZIUS, sagacissimus CASSEBOMIUS compellandi se & de rebus maximi momenti

consulendi copiam ipsi liberalissime suppeditarent, ex suo quisque sensu haud difficulter existimabit. Nulla vero re, quod ipse testatum reliquit, magis & efficacius in erudito hoc itinere exhilaratus fuit, quam locupletissimo & simul nitidissimo *præparatorum Anatomicorum* thesauro, quem Summus Vir, ABRAH. VATERUS, partim sua sibi industria paravit, partim ex FRID. RUYSCHII incomparabili supellectile congessit.

Lipsiæ, ubi optime valebat, dimidium annum in audiendis hujus loci celeberrimis artis Medicæ doctoribus, aliisque exercitationibus & laboribus conterebat. Operam nempe assidue dabat SCHACHERO, WALTHERO, PLATNERO. Et WALTHERUS quidem hortum suum rarioribus plantis divitem numquam ei non patere volebat, ex PLATNERO autem multum in rebus anatomicis & chirurgicis profecit. Præter hos præstantissimum HEBENSTREITIUM, ex Africano itinere, totque magni & cultissimi ingenii monumentis illustrem, horti & musei Bosiani splendidissimi, Linckianarum item & Richterianarum gazarum præfectum, maximopere observavit, quem multa sibi nuda & aperta naturæ rerum arcana monstrasse, quæ valde antea obscura & involuta visa fuerant, non dissimulavit. Adscribi etiam sese voluit collegio eorum, qui a multis jam annis Lipsiæ de variis rebus, ingenii alendi & limandi caussa, statis inter se diebus amice disputant, alternisque vicibus nunc defendentis, nunc oppugnantis partes in eo frequentissime sustinuit. Moderabatur sodalitium hoc Celeb. PLATZIUS insigni prudentia, qui, ut ceteri doctores Lipsienses, nullam prudens perdebat occasionem nostro, cui grave videbatur circa ima & humilia subsistere, facilem & b nevolum sese præstandi. Ex hac exercitatione duplex ad se beneficium, utrumque eximium, pervenisse, ipse noster in vitæ Historia prædicat. Primum non medio-

crem

crem consequutus est facultatem de variis quæstionibus ad rem Medicam & Philosophicam pertinentibus scienter & justa lege differendi, & quæ in veritatem animo comprehensam ingeniorum subtilitas commovere potest dubia perite disjiciendi: Deinde amicum inter commilitones in erudito isto pulvere reperit ut doctissimum, ita sanctissimum, Celeb. LUDWIGIUM, Philosophiæ tunc, nunc & Medicæ artis Doctorem & in alma Lipsiensi publicum Professorem, qui HEISTERI olim sui præmatura fata flebilibus & concinnis modis pro amoris sui copia his ipsis diebus prosequutus est. Junxit vero hos animos studiorum communitas: Est enim celeberrimus LUDWIGIUS ut omnium illarum rerum, quæ Medicum absolvunt & commendant, sic earum maxime disciplinarum, quæ in corporis humani fabrica & herbarum potestatibus & formis cognoscendis versantur, id est, deliciarum HEISTERI nostri, & amantissimus & peritissimus. Hæc publice & in conspectu omnium Lipsiæ a nostro acta sunt: privatim horas, quotquot occupationes & necessitates corporis vacuas relinquebant, *Apologiæ*, quam ante biennium jam meditatus erat, cujusque maximam partem hic Helmstadii jam consignaverat, *pro Medicis cum summæ erga Deum impietatis, tum gravissimorum in religione errorum temere incusatis*, perficiendæ & expoliendæ impendebat. Prodiit libellus elegans & tam sententiis, quam orationis cultu atque amœnitate nitens, hoc ipso anno Amstelodami, neque auctoris sui nomen, dum litteris honos suus constabit, mori patietur. Semel Lipsiæ degentem cupido incessit experiundi, num ex vicinis, quas nondum viderat, Academiis partas jam opes animi & ingenii augere posset. Quare opportuno tempore dato, Jenam & Erfurtum excurrendum sibi esse putavit. Hic illustris BUCHNERI, cui spectatissima virtus Præsidis Academiæ Naturæ Curiosorum dignitatem peperit, item-

que JUCHII, variorum Principum Archiatri celeberrimi, mirifica prorſus humanitate & erga ſe benevolentia, illic excellentiſſimorum virorum, WEDELII, TEICHMEYERI & HAMBERGERI, amore & promtiſſima commodis ſuis inſerviendi voluntate maximopere gaviſus eſt.

Occidente anno paternis ædibus reſtitutus eſt. Iamque res ipſa monebat, in humani generis ſolatium & utilitatem expromenda eſſe bona illa, quæ tot vigiliis tamque pertinaci labore conquiſiverat. Proinde totum, qui ſequebatur, annum in utraque Medicina, tam illa, quæ manu, quam quæ conſilio malis hominum ſuccurrit, parente viam deſignante & providum, hærentemque interdum impellente, facienda poſuit. At bis tamen quo citius & facilius mens inſuetum hoc curarum genus ferre diſceret, ſolum & aerem mutandum eſſe cenſuit: quod ea quidem ratione fecit, ut ſimnl inſtituti & officii, quod ſuſceperat, rationem haberet. Etenim A. MDCCXXXVII. æſtate ad *Pyrmontanas* primum cum parente aquas profectus eſt, quo fontium iſtorum naturam, quorum ope deſperati ſæpe ægroti convaleſcunt, ipſo uſu penitius cognoſceret: Autumno poſtea Goettingam properavit, non ea tantum re, ut novæ Academiæ a Potentiſſimo Magnæ Britanniæ Rege ibi conditæ ſolemni inaugurationi intereſſet, verum etiam ut clariſſima ejus lumina, Medicos maxime, ſibi, litteriſque ſuis conciliaret.

Nihil deerat ad fiduciam facultatis ejus in laborantibus conſummandam, quam publicum teſtimonium ſummorum in arte quam profitebatur virorum. Id An. MDCCXXXVIII. modeſtiſſime a Gratioſiſſimo Medicorum apud nos Ordine petiit. Exploratus, num eo dignus eſſet, tantam cunctorum animis de ſe opinionem promte reſpondendo & objectos nodos expediendo injecit, ut in defendendo, quod leges poſcunt, eruditionis Medicæ ſpecimine adjutoris haud indigere judicaretur. Solus ergo

d. XXVIII.

d. XXVIII. qui natalis ipsi erat XXIV. Aprilis certamen eruditum viriliter sustinuit atque commentationem non polite minus, quam accurate conscriptam *de princcipum cura circa sanitatem civium sive subditorum* facundissime ab eorum, qui vel vere, vel simulate dissentiebant, rationibus vindicavit. Quo superato labore, Medicinæ Doctor, parente Decani, quem nominant, munus administrante, propitiis omnibus, creatus est. Has inter molitiones & meditationes, quas persona Medici, quam sumserat, desiderabat, ad philosophorum tamen præcepta & demonstrationes divertere sæpe solebat, quibus nullam eruditionis humanæ partem carere posse, dudum animadverterat. Cujus moris, omnibus, qui sapere volunt, commendandi, brevi tempore interjecto non spernendum prodiit indicium, quum *mentem a corpore humano ipsa natura sua non posse non differre*, ex sublimioris philosophiæ decretis nervose ac subtiliter ostenderet. Gratulabatur hac commentatione amico a teneris conjunctissimo & suavissimo, CHRISTOPH. AUGUSTO HENNINGES, provinciam, quam acceperat, sacras veritates apud nos docendi. Hic, vir certe optimus & in ipsa jam juventute ob morum sanctimoniam & doctrinæ copiam venerandus, vicissim sequenti anno Dissertatione *de officio Medici circa animam ægrotantium* magnos, quos jam jam memorabimus, honores in necessarium ab Optimo & Clementissimo Principe collatus prosequebatur. Utriusque gratulationis vim divina fata interceperunt, quæ egregium hoc amicorum par, quod animorum & ingeniorum similitudo, educatio, studiorum societas arctissime copulaverat, eodem fere tempore ex turba & colluvione nostra ad meliorum & perfectiorum animarum concilium proficisci voluerunt.

Fatigato continuis, quos diximus, laboribus Serenissimi Ducis & Heri nostri mandata opportune ineunte autumno levationem afferebant. Vir amplissimus & fortunatus, JO.

HENR. a SPREKELSEN, Hamburgi in celebritate & luce hominum vivens, ingenti plantarum rariorum & præstantissimarum numero, quas sollicite adhuc foverat, jam negligere paullulum a mole negotiorum graviorum cogebatur, hortum nostrum Medicum, magni Principis immortali liberalitate haud ita pridem magnifice instauratum & amplificatum, commodi publici amore ductus, ditare constituerat. Quærebatur vir rerum istarum peritus, qui thesaurum hunc & ex Domini manu recipere, & salvum ad nos perferre posset. Delectus est noster: qui Hamburgum mense Septembri profectus, quæ in mandatis habebat, tam fideliter, quam feliciter exsequutus est.

Hactenus prospere satis & ex voto cuncta fluxerant: nec enim pauca, quæ senserat, incommoda, quæ ne beatissimus quidem mortalium effugit, in malis numerare fas est. Nunc vero atram illam scenam cum luctu & horrore ingredimur, quæ spes omnes parentum, Academiæ, reipublicæ litterariæ, tanto majori cum omnium tristitia, quanto minus illæ dubitationis habere videbantur, evertit. Belle satis valebat ex Hamburgensi itinere domum reversus: verum novos jam fœcundissimæ mentis fœtus parantem, sævissimus morbus, quem *cardialgiam*, Medici nominant, acerbissimi scilicet ventriculi dolores, die XXVII. Octobris post prandium subito, tantoque impetu aggrediebantur, & una cum alvo obstructa per aliquot dies tantopere excruciabant, ut mera mortis imago cum ejus, tum parentum oculis obversaretur. Hoc sequentium calamitatum initium, hæc immaturi funeris origo. Caussa mali atrocissimi in corpore si minus robusto, at sicut parentis, vegeto tamen & sano, incerta est. Ipse beatus cuspidi cultri, quam imprudens aliquot antea diebus inter cœnandum cum cibo deglutivisse sibi visus est, adscribit: quia mox ab eo die, in ea ventriculi regione, quæ sic dicto scrobiculo cordis subjacet, dolores

sensit,

ſenſit, quamvis obtuſos. Utcumque eſt, reſtabat, victis primis doloribus, per menſes aliquot ſumma corporis infirmitas, quæ incredibili obſtinatione vigilantiſſimo parentis amori, remediorumque efficaciſſimorum virtuti adeo reſiſtebat, ut per aliquot hebdomades vix e lecto ſurgere aut cibum capere poſſet: quæ inedia totum fere corpus depaſcebat. Nihilo tamen minus, conclamata quum omnia jam viderentur, revixit veluti: quod magis eſt, ſic revixit, ut vivacem fore, ſignis minime fallacibus ſperari poſſet.

Recreatus igitur ad intermiſſa ſtudia ſecurus ſeſe referebat, nec multo poſt novo animi ſaluti generis humani unice intenti documento DEO Servatori gratias veluti agebat. Menſe enim Martio remittente aliquo modo frigore, A. MDCCXXXIX. *novam brachium amputandi rationem*, a parente quidem excogitatam, ipſo tamen præſente & negotium dirigente inſtitutam publice doctioribus examinandam exhibebat. Ipſe conflictum eruditum ex ſuperiori cathedra moderabatur: tela contra venientium ornatiſſimus juvenis, RUD. HENR. ZEIDLERUS, Verdenſis, excipiebat. Sed inducias tantum fecerat infauſtus morbus, viſceribus ipſis reconditus. Extremo nempe menſe Aprili, eadem, qua antea, vehementia præſentiam ſuam demonſtrabat, totiusque corporis, ſtomachi maxime, vires denuo haud leviter labefactabat. Mora paullo brevior erat: arte enim, triſti experienta, firmata, conſtantiſſime oppugnatus, modico intervallo elapſo, prorſus cedebat. Relinquebat quidem furoris ſui in illo ventriculi loco, quem diximus, veſtigia: verum tolerabilia & quæ temperata vivendi ratione & medicamentorum virtute ſenſim extingui poſſe videbantur. Cui ſpei dies ipſe pondus adjiciebat, quum beatus, dum apud nos erat, per integri anni ſpatium non omni quidem infirmitate, moleſtiarumque circa ventriculum ſenſu vacaret,

ret,

ret, at labores tamen tam litteratos, quam Medicos facile ferret, itineribus nonnullis commode defungeretur, equitatione& ambulatione sæpius corpus exerceret, reliqua item humanæ vitæ officia sine magna difficultate obiret.

Labebatur spatium hoc boni plenum augurii inter laborum quibus impigre instabat, & honorum, quibus nemini bono indignus videbatur, catenatas vicissitudines. Illustris BUCHNERUS, quo Præside celeberrimum Naturæ Curiosorum collegium merito sese effert, faustum veluti omen futuris meritorum præmiis præbebat. Suis enim sociis virum, quem magnum aliquando fore nil dubitabat, *Sostrati secundi* nomine, adscribebat: quod perhonorificum sibi judicium quo mature latum esse doceret, non modo commentationem supra indicatam *de nova brachium amputandi ratione*, verum etiam singularem *de Phellandrio*, *ejusque seminis virtute traumatica* observationem, Commentariis, quos edere solet Academia, inserendam, ad patronum mittebat. Potentissima deinde domus Brunsvicensis, indulgentissima nutrix nostra, quæ recta via ad verum decus properantibus numquam deesse solet, Medicorum in hac Academia ordini *Adjuncti* titulo eum aggregavit: quod munus solemni Oratione *de secta Methodicorum antiquorum hodie reviviscente* aggressus est. Huic honori per se luculento eodem fere tempore, & insigne decus & magna auctoritas accedebat, quum a Serenissimo Duce & Hero nostro nulli beneficentia secundo, *Consiliarii* dignitate & munere honestaretur. Ipse sic interea vitam omnem & actiones ea lege componebat, acsi non præmia rei bene & laudabiliter gestæ, sed rei præclare gerendæ incitamenta accepisset. Hinc & Medicinam tam facere, quam discentibus tradere, utrumque secundissima fortuna, diligentissime pergebat, & in materia operum, quæ animo conceperat, variorum, laboriosissimorum partim & amplissimorum,

con-

convehenda & diſponenda occupatiſſimum ſeſe præbebat. Menſe Auguſto Orationem *de hortorum Academicorum utilitate*, publice recitavit, partim ut magnitudinem beneficii, quo Celſiſſimus Dux noſter Academiam ſuam affecit, hortum noſtrum inſtaurando, demonſtraret, partim ut liberaliſſimo ejus patrono, Illuſtri SPRECKELSENIO, verbis Academiæ gratias, quas meretur ampliſſimas, ageret. Extat & hæc noſtris formis deſcripta oratio: quam qui legerit, eundem oportebit fateri, ingenioſam ſtyli elegantiam rerum gravitati & dignitati reſpondere.

Menſe Septembri HEISTERO parenti ad ægrotum juxta Hercyniæ montes commorantem proficiſcendum erat. Opportune hoc iter filio accidit, qui jamdudum rei metallicæ inſpiciendæ & accuratius cognoſcendæ deſiderio flagraverat. Adjunxit igitur ſe lateri parentis atque una cum ipſo in antra illa ſubterranea, ex quibus omnis generis metalla eruuntur, cupidiſſime ſeſe demiſit, ut qua ratione opes, quarum amore immodico mortales ardent, a natura fingantur, qua arte & induſtria extrahantur, intelligeret: hac re perſpecta, totum etiam illud artificium, quo æs omnis generis a fæcibus ſuis ſecernitur & purgatur, & quæ præterea in regionibus illis admirationem quandam & utilitatem habent, particulatim oſtendi ſibi & explanari voluit. Sequenti menſe, alio amœniſſimo ſpectaculo Sereniſſima Dux Brunſvicenſis, quam viduam perennis memoriæ Princeps, AUGUSTUS GUILIELMUS, reliquit, naturæ indefeſſum ſpeculatorem perfrui voluit. Invitavit nimirum generoſiſſima Princeps pro ſingulari, qua dudum in patrem & filium fuerat, clementia, utrumque ad rariſſimam & ſplendidiſſimam arborem *Muſam*, in horto ejus Brunſvicenſi non floſculos tantum, ſed & certos, deformatosque fructus oſtendentem, contemplandam: cujus mandatis quanta cum alacritate & voluptate paruerint illi, nemo difficulter

conjicit. Reliquum hyemis tempus in erudiendis rei Mexdicæ studiosis, & ægrotis consilio & auxilio solandis consumtum est.

Inter reliquos, qui opem ejus implorabant, ægrotos juvenis forte quidam erat hydrope, ex febri quartana nata, miserandum in modum laborans. In hoc desperatæ salutis homine experiundum sibi esse ratus est, quousque celebri illi *cortici Peruviano*, in cujus alios virtutibus, alios vitiis enumerandis facundissimos esse constat, Medico confidere liceat. Exitus experimenti hic fuit, ut mirificam in eo potestatem esse ad utrumque contumacissimum hoc malum expugnandum disceret: Infelix nempe juvenis sibi & sanitati restitutus est. Lætus tam felici successu, censuit pro suo erga genus humanum amore illustre hoc exemplum ad communem usum transferri debere, ideoque die IX. Aprilis A. MDCXL. singulari Dissertatione *de quartana & hydrope per corticem Peruvianum curatis*, quam publice defendendam juvenis egregius & simul affinis auctoris suavissimus, CHRIST. FRIDER. GOECKELIUS, Norimbergensis, nunc Doctor Medicinæ, defendendam suscepit, exposuit & declaravit.

Unum virtuti tot documentis probatæ deesse videbatur: & ipse hoc sibi deesse putabat: consuetudo nimirum cum magnis hominibus illis, qui per Belgium, Galliam, Angliam rei Medicæ & Chirurgicæ tam decori, quam præsidio sunt. Neque hoc commodo tam diu carere eum insitus mentis ardor sivisset, nisi corporis ex atrocibus, quos sustinuerat, morbis nondum prorsus refecti debilitas currentem retraxisset. Atqui hoc, quem vivimus, anno, quoniam asperrimæ hyemis vim feliciter superaverat, nec a multo tempore vehementioris aliquid doloris perceperat, ceterumque haud male valebat, robustum sese satis fore ad perferenda itineris incommoda opinabatur. Confirmabant,

bant consilium hoc & ipse parens, & fautorum plurimi; neque temere & inconsulto. Nam & aberant a corpore, infirmiori licet, signa illa, quæ gravioris periculi præsentiam nuntiant, & spes minime vana affulgebat, fore, ut ipsa jactatio, frequens corporis motus, rerum, morum, hominumque grata oculis & auribus varietas, cœli mutatio, animus a cogitationibus severioribus avocatus, & reliqua, quæ peregrinantes sequuntur, veterum malorum reliquias plane fugarent, corpusque affectum novis tamquam nervis, quod sæpissime fit & ipse parens in se olim expertus erat, instruerent. a) Optimæ igitur spei plenus die XIIII. mensis Maji in viam sese dabat, Belgas primum salutaturus, ab his, si valetudo ferret, ad alias gentes abiturus.

Quæ absenti potiora evenerunt, ipse sedulo parenti per epistolas narravit: ex quibus nos præcipua repetemus. Bremam primo via consueta delatus, aliquot dies nobilissimæ urbis deliciis & ornamentis spectandis impendit, maxime nosocomium, quod ea optime instructum alit, & Theatrum Anatomicum, cum melioribus comparandum, accuratissime lustravit. Mystagogum, ut ita dicamus, ad hæc sacra habebat Cel. RUNGIUM, Chirurgum nobilissimum & in primis solertem. Hinc per Comitatum Oldenburgensem in Academias, quæ Gröningæ & Franeckeræ florent, sese contulit, in quibus cum omnia, quæ visu & memoratu digna habent, ostendi & demonstrari sibi curavit, tum summorum virorum, JO. BARBEYRACII, CROESERI, TIB. HEMSTERHUISII, BURMANNI, DU BOIS, quem Franeckeræ in Anatomia occupatum invenit, favorem & amicitiam sibi comparavit. Per mare porro, quod ab Austro nomen accepit, Amstelodamum secundo cursu navigavit, in quo & mercaturæ & variarum artium, scientiarumque splendido & simul jucundo theatro consistere aliquamdiu constituerat. Com-

a) Frid. HOFFMANNI diss. de perigrinationibus sanitatis caussa instituendis.

Commendatus erat per epiſtolas a parente celebrioribus urbis ampliſſimæ tam Medicis, quam Chirurgis: qui locum ſibi datum eſſe tanto viro in filio gratificandi, gaudentes, ipſis etiam advenæ moribus & quam modeſtia occultare nullo modo poterat, doctrina incitati, nullum in ſe officium deſiderari ab eo patiebantur. Superarunt ceteros humanitate & bene de eo merendi voluntate ex Medicis JO. BURMANNUS, horti Medici Amſtelodamenſis præfectus & Botanices in illuſtri ſchola Profeſſor longe celeberrimus, GRASHUSIUS & EILERMANNUS, quorum in Medicina facienda felicitas omnium merito in ore verſatur; ex Chirurgis VERDUINIUS, ULHORNIUS & MAJERUS, viri univerſæ artis ſuæ inter primos gnari, & ſingulari potiſſimum calculos ex humano corpore extrahendi facultate valentes. Ab utrisque ad ægrotos, ex inſignioribus morbis & malis decumbentes, deducebatur, quumque aliquid in corporibus male affectis, præſertim manu ac ferro, tentandum eſſet, ſpectatum admittebatur. Poſuit hanc benevolentiam, quod debebat, in maximi beneficii loco, patrique in omnibus fere litteris prædicavit: cui etiam quæ a tantis viris dextre & feliciter effici viderat: copioſe & perite referre ſolebat. In noſocomio præterea frequens & aſſiduus erat, nec ſegnior in horto reipublicæ Medico, in quo inclytum, quem jam pro merito laudavimus, BURMANNUM plantarum paucis cognitarum naturam & vires demonſtrantem, attentiſſimus audiebat. Nonnunquam vicinas etiam urbes & vicos, quæ adjumenta ſcientiæ promittebant, petebat, Harlemum maxime, Hartecampum, Lugdunum Batavorum, ubi ALBINO, ROYENO, GAUBIO, GRONOVIO, magni nominis viris, ſeſe, ſtudiaque ſua probabat, nihil ſibi reliqui faciens eorum, quæ ſuſcipere oportet Medicæ cathedræ candidatum. Hartecampi mentio monet nos, ne ſingularem prorſus benevolentiam ſileamus, qua Illuſtris

ſtris CLIFFORTIUS, inter lumina & delicias ævi noſtri jure ſummo referendus, eum excepit. Bis tantum virum compellare ipſi licuit Hartecampi, ubi ſedem ſibi vixit ſplendidiſſimam: toties admiratione incomparabilis ejus favoris elatus quodammodo & ſtupens inde diſceſſit. Nec enim grave ei erat, cum erudito hoſpite per omnes horti, quem regiis ſumtibus conſtruxit, angulos exſpatiari, & quidquid ille ſelectum, præclarum & inuſitatum habet, cum cura deſignare, reliquas etiam copias ſuas, quas in arce magnifica ſervat, ex omnibus tribus naturæ, quæ dicuntur, regnis incredibili labore & ſolertia conquiſitas, fidemque fere & expectationem omnem ſuperantes, particulatim luſtrare. Addebat his, aliisque beneficiis, numquam ſatis laudandis, munera jucundiſſima, plantas nimirum paucis viſas, & in his nobilem illam *Muſam*, quas ad parentem ſtudii ſui teſtandi cauſſa mitti jubebat. Beatas terras, quibus tanti, tamque copioſi & divites Maecenates obtingunt!

Inter has occupationes, & amœnas, & utiles, bini abibant menſes, neque corpus majoris aliquid impedimenti objiciebat quotidie proficienti, & longas ad parentem litteras, quibus exquiſitas ſubinde plantas jungebat, futura horti noſtri ornamenta, ſæpenumero danti. Die vero XXVI. menſis Julii repente priſtinus ille cardialgiæ morbus, quem aut necatum, aut ſaltim fractum putabat, denuo eum proſternebat. Concurrebant ad profligandum vitæ cariſſimæ inimicum omnes fere, quos antea memoravimus, Medici & Chirurgi, officio non minus, quam amore ducti: & is quidem diu ſociatis hiſce viribus haud reſtitit, ſed repreſſus, corpus magna roboris ſui parte exhauſtum & inerme reliquit. Triſti hoc nuntio accepto, parens, qui ad Gallos eum, leniori cœlo utentes, autumno imminente abire volebat, conſilium mutabat, reditumque ad ſuos maturare filium jubebat: nec alienus a decreto parentis filius erat,

 qui

qui ex ſenſu ſuo vires prudenter æſtimans, novum illud iter vix ſine vitæ periculo ſuſcipi, nec hibernum tempus apud Belgas tuto a ſe tranſigi poſſe, judicabat. Verum ut augendæ eruditionis cupidior fere ſemper ſolebat eſſe, quam ſalutis, ita nefas exiſtimabat, Bataviam deſerere, niſi celebriores ejus urbes, quas nondum ſpectaverat, Hagam Comitis, Roterodamum, Trajectum & alias antea contemplatus eſſet. Ad has ergo videndas & perſcrutandas Septembri menſe Amſtelodamo proficiſcebatur.

Haga Comitis luſtrata, Lugdunum Batavorum pergebat, ut fautoribus & amicis ſupremum vale diceret; hinc Amſtelodamum reverti & ſub hyemis ingreſſum patriam repetere conſtituerat. Secus fatis, aut DEO potius, fatorum Domino, viſum eſt. Dum Lugduni per dies aliquot agit, ſplendor Academiæ, diſcendi ſumma opportunitas, Profeſſorum favor & præſtans eruditio, animum mirabiliter allicit & reditum potentiſſime diſſuadet. Corpus, utrum manendi conſilium probet, an reſpuat, conſulenti etiam hoc favere videtur. Rectene judicaverit, an ſpes Lugduni mentem ditandi explorantem fefellerit, difficile dictu eſt; Hoc certum, de creſcente corporis ſanitate, renovatisque viribus minime ab eo dubitatum fuiſſe. Hinc litteris obnixe a parente petit, veniam ſibi largiatur hyemem inter Muſas Lugdunenſes conſumendi.

Epiſtola hæc menſe Octobri demum parenti, non litteras filii, ſed filium ipſum ſingulis diebus expectanti, redditur. Huic vero, quem amor tenerrimus metuere cogebat, ne cœli ipſius, quod aſperius Lugduni, quam hic, non ignorabat eſſe, conditio, latens malum irritaret, vehementer iſtud gnati, conſilium diſplicet: graviter igitur, ne reditum differat, exhortatur. Hic, leviorem licet iterum conſueti morbi impetum perpeſſus, modeſtiſſime obnititur & per omnia, quæ ſacra & cara parenti noverat, rogat, ne in colligendis fortunæ

tunæ suæ & salutis alienæ præsidiis occupatissimum impediat : demonstrat, oblatam sibi Lugduni opinione omni majorem copiam esse doctrinam suam locupletandi : præter viros utriusque Medicinæ peritissimos ingentem ibi earum rerum affluentiam esse, quæ naturæ, maxime humanæ, exploratorem juvare & erudire queant : licuisse sibi magno suo commodo in familiaritatem pervenire clarissimi DIONYSII, (belgice Denys) qui celeb. RAVII discipulus est, nec temere se sperare, futurum, ut hæc amicitia summam sibi in rebus chirurgicis utilitatem afferat : singularem in primis in hoc viro facultatem esse calculos, qui in humanis sæpe gignuntur corporibus, ex latebris suis protrahendi : vidisse se insigne hujus artis specimen in puero, quem Roterodami felicissime sectione, ex RAVII lege instituta, importunissimo calculo liberaverit. Parens, rebus his omnibus bene ponderatis, nihil sibi decernendum, (in utramque enim partem peccari posse præclare intelligebat) filiique prudentiæ, sensui & arbitrio committendum esse statuebat, utrum ad suos reverti, an Lugduni per hyemem consistere vellet. Filii rationes hoc forte decretum patri timido & unici nati supra modum amanti haud expressissent : at valde movebat animum ejus inclinatus annus & hyems Octobri jam mense solito vehementius sæviens. Verebatur nimirum, & rectissime verebatur, ne corpus, iteratis aliquoties exquisitis doloribus enervatum & frigoris ipsa natura sua non admodum patiens, in via, illa maxime, quæ per Westphaliam domum ducit, ista tempestate vehementer molesta & laboriosa, graviter offenderetur & in locis, ubi & Medicus & salutaris ægrotanti victus desideratur, sine auxilio concideret. Filius optione sibi data, eam, in quam animo propendebat, partem eligit, hybernumque sibi Lugduni domicilium constituit.

Diximus jam, morbum, qui vitæ ejus insidiabatur, gravissimum Lugduni, incertum adhuc manendumne esset, an abeundum, denuo tentasse. Sed tolerabili is tum sævitia accesserat, nec summi in arte sua viri, GERARDI van SWIETEN, quem in auxilium vocari jusserat, studium & vigilantiam diu fatigaverat. Facilis hæc victoria securum fecerat liberatum & propositum illud in Batavia commorandi pepererat. Conveniebat, (ex magni viri epistola ad parentem data hæc recitamus) hilaris & mente prorsus confirmata Æsculapium suum, cui & gratias, quas debebat, persolvebat, & magnam sibi ortam esse fiduciam significabat, fore, ut in posterum meliori corporis habitu uteretur. Atqui hic vir prudentissimus, & præterea HEISTERI & patris, & filii, cujus in ipso morbo ingenium & doctrinam accuratius cognoverat, studiosissimus, quoniam & debile, deficiensque corpusculum esse videbat, & ex antegressis malis reditum morbi vaticinabatur, monebat, non esse nimis præsenti tranquillitati fidendum, optimis potius remediis, quæ & præscribebat, imminentibus periculis continuo occurendum, corpus denique modice exercendum, menti plane parcendum esse: ad extremum iter in patriam suadebat. *Promisit*, ipsa hic præclari viri verba damus, *quidem beatus, sed studiis nimis delectatus, postea dixit, se statuisse hyemem Lugduni transigere.* Eheu! quam durum & luctuosum est, mortes eorum referre, quos ipsa aliorum vitæ & saluti consulendi cupiditas vita exuit!

Non negligebat plane præcepta Medici noster: postremo vero num morem gesserit, judicent, qui caussas intellexerunt, a quibus Lugduni detentus fuit. Hinc quæ ille formidaverat evenere. Mensem annus Novembrem attigerat, quum inveteratus jam morbus, vehementissimis, nec antea perceptis malis terribiliter armatus summum vitæ discrimen nuntiaret. Objiciebat sese grassanti cum residua

natu-

naturæ haud male constitutæ vis, tum excellentissimi van SWIETEN probatissima solertia & experientia. At quæ tanta est hominum cura & ratio, ut decreta divina morari valeat! Novem inter spem & metum transierant dies, quum ingravescentes ærumnæ omnes & nostras & litterarum spes decerperent, animamque pulcherrimam & sanctissimam ex attrito dudum domicilio suo expellerent. Decessit felix, inter carorum sodalium & amicorum preces & lacrymas, die XI. Novembris post horam secundam pomeridanam, natus annos viginti quinque, menses septem, dies quatuordecim. Expectabat ad superos abeuntem tertia Medicorum apud nos cathedra, illustris MEIBOMII morte patefacta: huic enim Potentissima & Serenissima domus Brunsvicensis virum tot meritis & dotibus condecoratum imponendum esse, jam censuerat & decreverat. Defuncto Academia & urbs Lugdunensis, quo & studium suum erga hospitem inter ceteros eminentem testaretur & mœstissimis parentibus fomentum, quod poterat, doloris adhiberet, tantum honoris haberi voluit, quantum ibi primi ordinis viris post fata haberi solet. Venerabile collegium illud, cui rerum sacrarum in cœtu Lutherano procuratio commissa est, exanime corpus sepulcro illi, quod nullis ceteroquin patet, nisi divinæ veritatis publicis doctoribus, eorumque uxoribus, in primaria æde S. Petro dicata, inferri permisit. Deportandi officio sedecim juvenes nobilissimi ex natione Germanorum, pullis vestimentis dolorem animi ex socii obitu conceptum declarantes, fungebantur. Parentum & cognatorum absensentium personam sustinebant egregii juvens, quorum consuetudinem in primis beatus amaverat, HOFFMEISTERI fratres, Hildesienses, atris stolis amicti, vultuque lacrymis madente acerbo funeri proximi. Consequebatur universus Academiæ Senatus, cunctique aut muneribus, aut eruditis titulis ab inferioribus civibus sejuncti: quod

ſplendidiſſimum agmen miniſtri Academiæ ducebant, ſceptra nigro velo obducta demiſſe geſtantes. Excipiebant hos oraculorum ſacrorum in cœtu Lutherano interpretes cum ſenioribus ſive *presbyteris*, pauperum curatoribus ſeu *Diaconis*, ceterisque rerum ad religionem pertinentium adminiſtris. Venerandi Ordinis veſtigia premebat tota fere juvenum ſtudioſorum, quos Lugdunum fovebat, concio: nec enim quisquam fere horum erat, quin tanto commilitoni ſupremum præſtare amoris officium cuperet. Claudebant lugubrem pompam multi ex præcipuis urbis civibus: nam & horum partem non modicam publici fere luctus ſenſus quidam occupaverat.

Habetis, CIVES, ut vixerit, quas, quantasque res brevi ſpatio egerit, quemadmodum obierit HEISTERUS noſter. Jam facile VOBIS erit conſtituere, quantas omnes lugendi cauſſas habeamus, quam juſtus maxime parentum, ſororum, totiusque nobiliſſimæ gentis, cui decori & gaudio fuit, dolor ſit. Erat in eo excellens ingenium & ad magna audenda & perficienda natum, memoria felix, quæ & facile percipiebat, quæ offerebantur, & percepta fideliter cuſtodiebat, animus naturali quodam veri, boni, rectique ſenſu præditus & vel ipſam turpitudinis umbram horrens. Neque deerant, quæ fortuita veteres, parum licet apte, vocant, quia non arte & conſilio parantur, ſed in ipſa hominis natura veluti inſunt, decens nimirum corporis & oris habitus, vox ſuavis, ſonora & in aures jucunde influens, lingua facilis & prompta, nativa quædam humanitas & modeſtia, mores placidi & ad benevolentiam ab invitis etiam impetrandam comparati. Diſcendi ſtudium habebat tantum, quantum pauciſſimi, nec minorem in tolerandis laboribus conſtantiam & patientiam. Quibus ſi quis jungat ſagacitatem, qua valebat, in abditiſſima quævis ſeſe inſinuandi, conſtabit, unde tantam maturitatem, quantam

ſcripta

ſcripta & edita & latentia oſtendunt, tam exiguo vitæ ſpatio conſequi potuerit.

Deum, ſi quis alius, ſanctiſſime colebat, neque hoc mente tantum & verbis, verum etiam tota vita & actionibus. In primis præcipuum illud Chriſtianæ religionis officium, quod amore humani generis & ingenuo omnes pro viribus juvandi deſiderio continetur, diligentiſſime ſervabat. Quod ſi nobis teſtibus firmandum eſſet, turba nobis pauperum & miſerorum cum ex hac urbe, tum vicinis locis præſto foret, qui ſe & conſilio & auxilio ejus ex morbis, egeſtate & calamitatibus ereptos eſſe, non ſine gemitu fatentur. Nec obſcurum inter nos eſt, quanto animi dolore triſtiſſimum de morte ejus nuntium plurimi hujus generis apud nos homines exceperint: quorum quidem alii Medicum ſibi liberaliſſimum, alii patronum & amicum periiſſe, cum lacrymis ſignificabant. Verbo: ſi cui placebit in poſterum (nec ſterilis & inanis labor hic erit) *Apologiam*, quam pro Medicis impietatis ſuſpicione immerito oneratis conſcripſit, exemplis illuſtrare, illi auctoris nomen in prima collocare claſſe integrum erit. Quam inſigni in parentes pietate fuerit, copioſe dicere nolumus, ne lacrymarum, quas minuere officii noſtri eſt, cauſſas auxiſſe videamur. Et loquitur id, quod ſilendum ducimus, inexhauſtus ille parentum mœror, ſignis pæne innumeris expreſſus, qui utrique civitati noſtræ commiſerationem minime fictam objecit. Eruditionem ſcripta, quorum indicem infra dabimus, commendant. Comprehenderat omnes, quibus Medicorum ars & ratio conſtat, diſciplinas, nec facile fugiebat eum aliquid eorum, quæ ad ſingulas vel dilatandas, vel emendandas & antiquorum & recentiorum induſtria & uſus invenerunt. Ceteris tamen naturæ quodam impulſu Botanicam, Anatomiam & Chirurgiam præferre videbatur: quarum ſcientiarum fines, ſi vitæ ſpatium divina pro-

videntia prorogasset, sine controversia insigniter prolaturus fuisset. In his rebus maximam licet partem versaretur; haud tamen a philosophia sese plane abstrahi patiebatur, nec indecorum existimabat, graviores curas amoenioribus litteris distinguere. Nam & facili vena carmina ludebat haud inficeta, & commodis, apteque cadentibus verbis sententias eleganter vestire noverat.

Sed quid agimus? Imprudentes commemorandis virtutibus & ornamentis, quibus in uno homine privati sumus, dolorem, quem religio cum ratione restinguere jubet, accendimus. Colligamus nos potius & divinorum decretorum sanctitatem & sapientiam in hoc etiam luctuoso casu veneremur. Nos, OPTIMI CIVES, agemus id, quod nostrum est, nec solatio parentibus supra omnem modum dejectis & afflictis deerimus: praepotenti etiam Deo supplicabimus, ut, quod fecimus, insigne damnum pro infinito amore suo cum aliis compenset beneficiis. VOS vicissim officii vestri memores estote. Ostenderunt hunc fata tantum orbi: At quis, nisi excors, sine caussa ostensum esse dixerit? Sumite igitur ab hoc funere primum fragilitatis nostrae testimonium, & quam infirmo spes omnes humanae, optimae etiam & in primis probabiles, fundamento nitantur, discite. Rapitur ex improviso, cui longum aevum ipsa virtus pollicebatur, boni omnes votis decernebant, obituque suo magnum gaudiorum proventum, maturum jam & florentem, enecat. Quid ceteri minores exspectent? In vitam deinde HEISTERI quondam nostri, tamquam in speculum quoddam, intuentes, accipite, quid deceat homines bonis artibus & litteris deditos, qua cura reprimendae sint, quae juventuti insidiantur & plurimos corrumpunt, libidines, quem cursum tenere oporteat, qui feliciter in portum, quem omnes optatis, invehi cupiunt. Demite, si vultis, ex beato nostro immensum illud, quod vale-

valetudini forte vim attulit, sciendi & proficiendi desiderium, in se tamen laudabile, nec exilibus & parvis animis innatum: nec majus & illustrius, ad quod fingere vos queatis, exemplum proponi vobis poterit. P. P. in Acad. Julia d. VIII. Decembris, A. MDCCXL.

INDEX

SCRIPTORUM

B. ELIÆ FRIDER. HEISTERI.

I. Oratio de *utilitate litterarum humaniorum in Medicina*, Helmstadii 1730. 4.

II. Dissertatio Botanica de *foliorum utilitate in constituendis plantarum generibus*, eisque facile distinguendis, Præsidente parente defensa. Helmstadii 1732. 4.

III. JACOBI DOUGLASSII *Descriptio anatomica peritonæi*, ex Anglio sermone Latine conversa & observationibus aucta. Helmstadii 1733. 8.

Hunc libellum quidam *Lugduni Batavorum* 1737. 8. iterum edi curavit, interpretis non modo nomine, sed etiam animadversionibus omissis, paucisque verbis, at sæpe satis imperite, in ipsa interpretatione mutatis.

IV. Narratio de *fatis & factis celeberrimi tum temporis ex Anglis oculorum Medici*, TAYLORII: qua sigillatim exponitur, quam imprudenter & infeliciter cataractam sanandam sibi sumserit. Germanice. Helmstadii 1736. 8.

V. *Apologia pro Medicis*, qua eorum depellitur cavillatio:

qui Medicinam ad Atheiſmum, aliosque in Theologia errores abducere perhibent. Amſtelodami 1736. 8. Hanc multo auctiorem & locupletiorem edere aliquando conſtituerat, quod ex variis, quas exemplo ſuo magno numero adſcripſit, acceſſionibus manifeſtum eſt.

VI. Diſſertatio inauguralis *de Principium cura circa ſanitatem ſubditorum*, ſine Præſide defenſa. Helmſtadii 1738. 4. Et hanc pariter non ſecus, ac reliquas commentationes ſuas, multis modis locupletatam reliquit.

VII. Epiſtola *de mente a corpore humano natura ſua longe diverſa.* Helmſtadii 1738. 4.

VIII. Diſſertatio Chirurgica *de nova brachium amputandi ratione*, Reſpondente RUD. HENR. ZEIDLERO, Verdenſi. Helmſtadii 1739. 4. cum fig.

IX. Oratio *de hortorum Meditorum in Academiis utilitate*, occaſione doni Sprekelſeniani & conſtructi novi a Seren. Duce Brunsv. & Lüneburgenſi, Hero noſtro hodie feliciter regnante, horti Academici recitata. Helmſtadii 1739. 4.

X. Diſſertatio Medica *de Quartana & Hydrope per corticem Peruvianum curatis*, pro loco in Ordine Medicorum obtinendo, a CHRIST. FRID. GOEKELIO, Norimbergenſi, nunc Medicinæ Doctore, defenſa. Helmſtadii 1740. 4.

XI. **Poetiſche Beſchreibung der Saltzburgiſchen Emigration. Hannover** 1733. 4.

XII. Epiſtola Anglico ſermone exarata, de Analogia inter Theologiam & Medicinam, ad Joh. Sigism. Hahnium, Sileſium, Med. Doctorem. Helmſt. 1732. fol.

His

His multa addenda sunt carmina, variis occasionibus & temporibus edita.

Satis hæc multa sunt, si ad ætatem referantur; at pauca & lævia, si cum iis comparentur, quæ moliebatur & si vixisset, sine dubio daturus fuisset. Expectabunt forte etiam lectores, horum ut mentio quoque fiat: indicabimus igitur, quæ vel inchoata jam, vel perfecta prope reliquit.

I. *Sylloge observationum Anatomicarum & Chirurgicarum.* Hanc ante quam ad Belgas proficisceretur, edere jam constituerat, maximaque pars imaginum, quibus opus illustrandum erat, expressa est. Sed urgente itinere, editionem in reditum, quem cum parentibus felicem sperabat, tanto libentius differebat, quanto minus dubitabat, ipsum iter novam sibi messem observationum ejusmodi utilissimarum adhuc suppeditaturum esse.

II. *Historia Botanices.* Hujus in materia colligenda octo jam annos, quum decederet, occupatissimus fuerat. Sumsit nimirum jam tum consilium eam conscribendo, quum primam Dissertationem Botanicam *de foliorum utilitate* emitteret. Hinc non contemnendus ad eam apparatus inter chartas ab eo relictas extat.

III. *Institutiones Anatomicæ majores & pleniores.* Opus ejusmodi parens in *Præfatione breviorum Institutionum Anatomicarum* pollicitus est. Huic quum filius infinitam negotiorum vim obsistere animadverteret, ne fidem datam liberaret, faciendum sibi esse ratus est, ne tot eximii viri desiderio necessarii hujus laboris accensi, frustra sese sperasse, conquererentur. Et erant plurimi, qui volentem & conantem stimulabant & incitabant.

IV. *Præ-*

IV. *Praelectiones de Medicamentis & eorum virtutibus.* Has superiori aestate, quo Medicinae studiosis absentiam parentis, Brunsvigae maximis de caussis degentis, tolerabiliorem redderet, habuit. Laudant eas mirifice & cum optimis in hoc genere scriptis de principatu certare posse, confirmant viri harum rerum periti, quibus inspiciendi & legendi potestas obtigit.

V. Variae *Dissertationes Medici & Chirurgici* argumenti, omnes utilissimi. Harum aliae aliis perfectiores relictae sunt, multae sic jam instructae, ut copiosa materia architectum requirere tantum videatur.

VI. Oratio de Medicina Methodicorum hodie reviviscente, qua A. 1739. Adjuncti sive Lectoris publici ordinis Medici munus auspicatus est.

VII. Flora Helmstadiensis campestris ab A. 1729. ad 1739. collecta.

VIII. Addenda his sunt nonnulla, quae vix pueritia egressus composuit & manu exarata reliquit.

1. Theses de perennitate corporum 1728. exaratae.
2. De caussis, cur heroum filii noxae, Commentatiuncula 1729. scripta.
3. Theses de Geographiae utilitate.
4. Tacitus de moribus Germanorum Germanice conversus.
5. Plutarchi libellus de *puerorum educatione*, una cum aureo Pythagorae carmine civitate Germanica donatus. Et alia.

MEMO-

MEMORIA
VIRI
NOBILISSIMI ATQUE CELEBERRIMI
DOMINI
JOAN. HENRICI LINCKII,

ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ CURIOSORUM COLLEGÆ, PLINIUS III. DICTI, SOCIETATIS REGIÆ ANGLICANÆ, NEC NON BONONIENSIS SCIENTIARUM ET ARTIUM INSTITUTI SODALIS,

PHARMACOPÆI ET MERCATORIS APUD LIPSIENSES SPECTATISSIMI,

D. XXIX. Octobr. A. R. S. cIↄ Iↄ CCXXXIII.

PLACIDA MORTE DEFUNCTI,

CONSCRIPTA

A

CRATEVA.

TRistissimo perfungimur officio quotiescunque bene de nobis meritis ex nostro ordine Viris, postquam illi fatis cesserunt, funera ducimus. Quotus quisque nostrum est quin istam optimo cuique socio pietatem sero præstandam optet. Verum ea est rerum humanarum inconstantia, ut accidant, quæ vel nolles fieri, vel successura suspicatus haud esses. Tristissimus certe nobis omnibusque extitit de morte viri nuncius, quem nec Virum nec senem, florida tamen quam ajunt senecta vigentem, virium robore constantem & juveniliter laboriosum mediis, qui in commodum reipublicæ litterariæ cessuri erant, laboribus immortuum aliquot hinc annis percepimus. Recrudescit istud vulnus novumque animo dolorem adfert, quando defunctorum ex nostra hac Academia sodalium memoria recolenda est, quam sicut aliis, ita & huic integerrimam debemus, nulloque tempore interituram, Viro scilicet magnæ inter suos & exteros famæ, JOANNI HENRICO LINCKIO, *Academiæ hujus Cæsareæ Leopoldino - Carolinæ Naturæ Curiosorum Collegæ*, quem PLINIUM III. ob scientiarum præstantiam lubentes adpellavimus, *Societatis regiæ Anglicanæ nec non Bononiensis scientiarum & artium sodali*, *Pharmaceutæ & Mercatori apud Lipsienses spectatissimo.* Aegre nos ferre neutiquam decet, alios ante nos optimo Viro, meritorum & honoris prœmium statuisse, fecissemus, nisi variis impedimentorum generibus distenti abstractique ab opere fuissemus. Immo vero insigne nobis oblectamentum & voluptatem haud mediocrem peperit conjunctissimæ nobis celeberrimæ Lipsiensium Academiæ publicum existimationis, qua suum nostrumque civem prosecuta est, argumentum, si nova non adferimus, postquam Nostri vita illic eleganter admodum exposita fuit, ea tamen peragimus, quæ pro instituto majorum nisi cum piaculo, omitti a nobis haud poterant: Quæ ingeniorem fertilitate abun-

abundat Lipſia, hunc etiam noſtrum orbi felicibus auſpiciis dedit anno poſt reparatam ſalutem MDCCXXXIV. die VI. Menſis Decembris. Fortes creari fortibus & bonis & in gnatis Parentum virtutem eſſe, votum magis eſt, hac, qua vivimus, tempeſtate, quam veritas. Noſtro autem non tantum inſigne attulit ornamentum, ſed & ad recte agendum ſtimulos addidit Parentum conditio haud mediocris, Patris maxime nobilitas & germana vitæ ſanctimonia morumque integritas: Fuit ille ex primoribus civitatis Lipſienſis civibus & mercatoribus, qui eruditorum inſimul ordine dignus merito cenſeretur, nam pharmacevticen ita quidem ille excoluerat, ut ingenii plus quam dexteritatis ineſſet, clariſſimus vir *Henricus Linckius*, primarius inter illos, qui tabernas ſalutis, quas Apothecas adpellare ſolemus, eo tempore Lipſiæ exſtruxerant. Eam potiſſimum nomini ſuo felix iſte pater celebritatem fecerat, quod officinam aureo leone notatam antiquiſſimam, nam inſigne iſtud ſub Academiæ Lipſienſis auſpiciis, anno MCCCCIX. inter alia ſpolia Praga cum ſtudioſorum exercitu Lipſiam delatum fuit, reſtauraverit, talique luci admoverit, qualem ante hæc tempora nullam habuerat. Felix iſte noſtri Pater pluribus nominibus extitit, fataque expertus eſt haud vulgaria. Memoria dignum eſt, eundem An. MDCXCIV. cum forte fortuna ſucci Aloës maſſam, qualis in cortices cucurbitarum effundi ſicque divendi ſolet, diffringeret, admota etiam, quod fortius reſiſteret, ſecuri, ſex millium Imperialium valore nummos aureos, cum regiis quibusdam inſignibus, Coronæ parte & loricæ aureæ fragmento, inveniſſe, quæ hodienum in rei monumentum ornatiſſimo Muſeo adſervantur, domino, qui ſic theſaurum ſuum abſconderat, ſine dubio in itinere mortuo, quo factum, ut divenditæ merces egregias iſtas opes ſecum abſtulerint, fauſtamque Linckianam domum orientali hoc munere bearint.

Ita certe concessis opibus usus est Pater, ut quam eidem *Benigna Schalleria*, *Joannis Schalleri* Aurificis apud Lipsienses incluti & Collegii aurificum Senioris primarii filia, Joannis Springeri Mercatoris vidua, dederat prolem in spem & exspectationem futuri sæculi educaret, nihilque intermitteret eorum, quæ in ornamentum & polituram ingenii, quod in filio fertile admodum & luxurians animadverterat, cedere possent. Equidem pharmaceutices studio hunc suum dedicaverat, quandoquidem illa olim Medicinæ pars, ut ut a corpore divulsa, eruditioni proxima esset, verum ita eundem Carbonarium aut fumivendulum, quod plures esse solent, existere noluit, ut puerum jam melioribus artibus, quæ mentem ad altiora quæque adpetenda, excitant, linguis potissimum imbuendum curaverit, quo quidem in negotio expectationi Parentis egregie respondit, ita quidem, ut tesseram studiosi bonarum artium a Rectore Magnifico illius temporis *Hesbusio* Anno MDCLXXXV. obtineret essetque academicus civis & pharmaceuta, quæ duo conjunctissima esse haud difficulter possunt. Noluit autem parens filium inter delicias enutrire, veritus ne indulgentia optimi mores corruptos redderet, inde eundem Hafniam ad Danos ablegavit Anno MDCLXXXX. ut ibi potissimum artis suæ rudimenta jaceret, Magistrumque ei destinavit celebris nominis virum *Joannem Gottofredum Beckerum* Chymicum inter suos præstantissimum, cujus manuductione per quatuor annos usus est, a quo postquam haud mediocriter profecisset, cum honore dimissus fuit. Itinerum jucunditate illectus Sueciæ Regnum Anno MDCLXXXXIII. invisit, & oryctographiam illius terræ prorsus hausit. Animo ad summa quæque artis suæ fastigia attingenda excitato, Gedanum discessit An. MDCXCVI. quæ patria patris sui urbs eidem percara per omnem vitam extitit. Ibi nova ad rerum naturalium historiam incitamenta a celeberrimo

Brey-

Breynio, cujus Museum inter famigeratissima illius temporis extitit, accepit, neque desiit posthac doctissimis istius urbis viris, *Breynio*, *Kleinio*, aliisque familiariter uti, a quibus scilicet postea haud leve rerum suarum augmentum literarum commercio accessit. Omnibus, quæ juvenem decent, virtutum cumulis, scientiarum thesauris onustus ad patrios lares redux factus fuit. Sed otii domestici pertæsus denuo emigravit, & ad Belgas commigravit, ubi Musea illius temporis famigeratissima, Ruyschianum, Vincentianum, & quod jam fama increbescere cœperat Sebœ, sibi paulo post conjunctissimi, collectionem rariorum, sæpius perlustravit, nam rerum naturalium contemplationibus impense jam ab ineunte ætate delectabatur, exemplumque ab omnibus, quo suo tempore usurus erat, desumsit. Devectus inde ad Britannos tum alia, tum id quoque peregit, ut thesaurum immortalis viri *Joannis Sloane*, tunc in infantia constitutum, nunc nullum in omni mundo parem sibi agnoscentem, perlustraret, suumque apud illum nomen profiteretur, quæ res ipsi paulo post maximam cum *Sloanio* literas conferendi opportunitatem peperit. Neque vero suæ commoditati & emolumentis domesticis antea prospexit, quam pietati erga parentes satisfecisset, adeoque patrem consiliis ipsaque re sedulus adjuvit, donec e re esse arbitraretur suæ etiam utilitati consulere. Inde Numburgum secessit An. MDCCVI. artemque pharmaceuticam ibidem per quatuor annos feliciter exercuit, donec a parente revocatus An. MDCCX. viribus fractum prorsus sublevaret inito cum fratre *Christiano Linckio*, itineribus per Galliam susceptis celebri, societatis & commercii pacto. Dici vix potest, quanta fratrum istorum concordia fuerit, quantoque invicem exarserint communem caussam consiliis reque adjuvandi desiderio, successu conatibus respondente: nam officinam, quam a Patre satis superque instructam obtinuerant,

rant, instructissimam socia opera effecerunt. Adscivit sibi noster tori sociam hoc ipso, quo Lipsiam Numburgo reverterat, anno, nobilissimam virginem, *Mariam Elisabetham*, *Godofredi Doeringii*, mercatoris gemmarum aulici Dresdensis pereximii filiam; nunc viduam, quae incomparabilis mariti jacturam dolere non desinit. Ex hac, quam non tantum thalami, sed & rerum gerendarum fidam comitem habuit, quarta vice, cum viveret, pater fuit, obtinuit scilicet ex eadem *Godofredum Henricum*, natum d. V. Novembr. Anno MDCCXI. denatum d. XIII. Novembr. ejusdem anni; *Christianam Dorotheam*, natam d. XXIII. Febr. A. MDCCXIII. mortuam d. VI. April. A. MDCCXX. *Joannem Henricum*, qui lucem vitalem d. XXVII. Aug. An. MDCCXV. adspexit, eademque d. XV. Decembris ejusdem anni privatus est; *Christianam* denique *Elisabetham*, fortunae, corporis, animique dotibus ornatissimam virginem, natam d. XI. Maji An. MDCCXX. quam potissimum in deliciis habuit noster, unicam tunc gentis suae fiduciam. Sicut autem omnem famae suae celebritatem studiis unice debet, ita, quamvis non uno nomine commendationem laudesque mereatur, hac saltim, qua eruditis percarus summaeque inter ipsos existimationis extitit, parte, nobis inducendus est, utpote qui humanis opibus, quas abundantes lucratus est, minus fisus, carere aliqua illarum parte, in sui perennitatem maluit, quam obscuram inter nummorum cumulos vitam degere. Id adeoque potissimum egit, ut eruditorum suae Academiae selectissimos in familiaritatem adscisceret, eorumque, in adornando quodam rerum naturalium thesauro, consiliis uteretur. Ante omnia historiae naturalis patriae suae curiosus indagator extitit, nec antea exterorum sibi curam esse passus fuit, quam indigenorum naturae miraculorum plenissimam rationem habuisset. Ipse agrum Lipsiensem pedestri itinere longe lateque pervestigavit, &, qui in eodem

repe-

reperiuntur paſſim, lapides figuratos, domum contulit, inde longius progreſſus vicinarum regionum Querfurtenſis, Franconicæ, Thuringiacæ, & quæ Bohemiæ confinis eſt, montes etiam Hermundurorum peragravit, & rariora, ſi quæ eſſent, ſecum abſtulit. Foſſilia potiſſimum metallo prægnantia, mineralia, ſemimetalla, aut metallica, notabili copia congeſſit; videas aurum quod ſtatim purum eſt, vel attritu aquarum perpolitum & corrugiis elotum, vel rude, aut lapide ſuo concluſum. Argentum varia forma nativum, dendroides, bracteatum, capillare, anthracinum, rude plumbi colore rubrum, fuſcum, Aes nativum ex Sueciæ potiſſimum fodinis, quas ipſe juvenis inviſerat, vel cæmentitium Hungaricum, aeriſque lapides vario habitu variaque pulchritudine eminentes, plumbi candidi, lapillos albos, virides, nigros, nigri vel cinerei mirabiles venas; Ferri non lapides tantum, Schiſtique nodos aut Hæmatites oppido raros, ſed & varia exinde ad ſpeciem viventium configurata Minerarum potiſſimum, ſulphurum ſcilicet, ſaliumque, aut ſi quæ venæ ſemimetalla dici ſueverunt, Cobalti, Biſemuthi, Stibii, Minii, quod recentioribus Cinnabaris, Sulphuris nativi, inde Atramentorum, quæ Vitriola adpellantur, Salium foſſilium, inſignis ipſi ſtatim ab ineunte Muſei ſui ætate adparatus extitit, partim quod patriæ fodinæ hiſce omnibus locupletiſſimæ fuerint, partim quod ſimplicium doctrinam hæc omnia propius attingerent. Hanc ſcilicet limpidiſſimæ luci prorſus admovere ſedulo adlaboravit, inde peculiares adornavit in theſauris ſuis materiæ medicæ ordines, quæ ſine voluptate a nemine conſpici poſſunt. Favebant noſtro fortuiti, qui ſemper vigilantibus valent, caſus, Muſea Curioſorum Lipſienſium publica, quam auctionem vocant, lege divendita, inter quæ celebrium Medicorum, *Wolffii* & *Nabothi*, collectiones primum locum obtinent, ſupellectilem noſtri haud

parum

parum auctam effecerunt. Jam increbescere ejus apud exteros fama ceperat; quamvis enim illa, qua maritima emporia luxuriant, rerum acquirendarum opportunitate non perfruamur, nostra tamen etiam nobis sunt, quæ exteris placent, commoda, hæc permutationis lege haud difficulter reliquorum usum nobis conciliant. Maxima, potissimum amicorum & commercii fœdere lucrique capiundi necessitate junctorum, copia nostro uberrimum exoticorum confluxum adduxit. Sumptibus autem parcendum ipsi in tam arduo opere neutiquam fuit, monendi, excitandi, muneribus augendi fuerunt amici, & prout rerum naturalium studium divinis prorsus inescat illecebris, ita postquam noster rapidissimo desideriorum plura possidendi & ad fastigium emergendi, flumine abreptus fuerat, temperare sibi porro haud potuit, quin omnem moveret lapidem, nec imperfectum in medio relinqueret opus. Inde plurimorum annorum indefesso studio eam denique faciem induxit Linckiana, quod Saxoniæ urbisque Lipsiensium voluptas est & ornamentum, supellex, qualem elegantiorem equidem habitura erat, si Dominum superstitem a DEO exorare potuissemus: sed nec desiderare poterat, nam quantum eorum judicio constat, qui æqui rerum æstimatores, qui peregrini existunt, quorum adeoque laudes suspectæ esse nequeunt, quantum etiam collata vastissimi adparatus consignatione cum famosissimis quibuscunque rerum natuaalium thesauris adparet, systematis omnium rerum creatarum titulum largiri eidem haud difficulter poterimus. Conchyliorum ordo, tria quatuorve genera, quæ eidem semper in votis fuerunt, si demas, omnibus numeris absolutus est, Malacostrea ita quidem diligenter supplevit, ut quantum nunc, collatis Auctorum testimoniis, constat, nihil addi possit. Stellas solesque marinos numerosissimos collegit. Plantarum marinarum, Lithophytorum,

Spon-

Spongiophytorum, cerathophytorum, Botanophytorum rariora extant genera non dicam plura, de eo ſibi pauciores gratulari poterunt privati, Vides tamen Eſchoras, Reteporas, Madreporas, Poros, Titano ceratophyta, Iſidiſplocamos, corallia, quæ regia decent cimelia. Animalium utriusque Indiæ aliorumque exodicorum non mediocris eſt ſeries!, parvo Noſtrum ſpatio clariſſimus *Seba* poſt ſe reliquit, qui duo in vita conjunctiſſimi, nobili æmulationis ſtudio excitati, mutua ſibi utrinque præſtiterunt officia. Habentur in illuſtri hac ſylloge quadrupedes Tatou, ſeu Armodille, Scalopedes, Philandri, Tardigradi, Ignavi, Cynocephali, Myrmecophagi, Ichneumones, Sciurni, Canes, Felesque prout dici ſolent volantes & Veſpertilionum diverſitates. Aves quales a *Catesby* in illuſtri opere depinguntur Indiarum plures Cacotochas, Colubrides, Melliſugas, Coccothrauſtes, Manucodiatas, & id genus alia, Indiæ ſeptentrionalis vel Grœnlandiæ fere omnes poſſidet, & prout primam rerum patriarum curam eſſe paſſus fuit, ita avium indigenarum nulla deſideratur, quas artificioſiſſime implendas curavit. In ſerpentum numero *Sebam* ſi non exſuperat, certe æquat, futuræ certe ſunt, quæ hinc, quæ illinc deſiderari poſſint. Scire enim unumque decet, inſignes iſtos duumviros, antequam *Seba* Operis ſui edendi conſilium caperet, conjunctim hiſtoriam ſerpentum edere voluiſſe. Videas Hæmorhoos, Scytalas, Amphiſphænas, Caudiſonas, Dipſades, Serpentes, aut ſerpentum exuvias, viperas, Acontias, aliaque, quæ ex hac creaturarum familia proſtant. Contemplaberis Caymanes, Crocodilos, Cordylos, Lacertas ſpinoſas, volantes, guttatas, ſtellatas, Iguanas, Leguanas, Caudiſonas, chamæleontes, ranas, Rubetas, Stelliones, Pipal, Salamandras, Scorpiones, Arachneos Surinamenſes, Ceylanicos: Inſectorum

volantium membranaceorum Phalenarum, Libellarum, Vaginipennium, Scarabæorum, reptiliumue non omnino nulla ipsi cura extitit. Accedunt partes grandium animalium, maxilla craniumque Elephantis, cranium Hippopotami, animaliaque varia integra, passim in Museo suspensa. Quæ omnia eo majorem Collectori honorem ferunt, quo nitidius conservantur, quo ornatius disponuntur, classicisque continentur catalogis, quos ex schedis Collectoris, post mortem ejus, revidit suppleuitque aliquis ex sodalibus nostris, beato percarus. Accedit instructissima bibliotheca, Auctorum numero nobilis, quorum fontibus, quidquid ad præmemoratarum rerum uberiorem declarationem facere potuit, extractum catalogisque insertum fuit. Dubitare semper fas fuit, major ne fuerit nostri in quærendo industria, an in inveniendo felicitas. Eo certe quorsum divino benedicente favore rerum suarum acquisitionibus pervenit, non pervenisset, nisi fida amicorum exterorum æque ac indigenorum manu adjutus fuisset. Insignis eidem concessa fuit amicos sibi comparandi, comparatos in officio continendi, facilitas, sive adloquio, sive literarum commerciis ita omnes sibi devinctos effecerat, ut elabi non possent, quin mitterent, habituri paulo post non leve plerumque præstitæ operæ pretium. Veneratus semper fuit generosissimi Equitis *Sloanii*, Præsidis Societatis Regiæ Anglicanæ, patrocinium, celeberrimum *Woodvvardum*, *Luidiumque* inter Britannos sibi prorsus obtinuit faventes. *Ludovicus Ferdinandus* Comes *Marsigli* ita eundem dilexit, ut ultra non posset. Præter amicissimum sibi *Albertum Sebam* inter Batavos olim præclarum *Ruyschium*, cujus opera in serpentibus Musei sui describendis usus est, præ cæteris coluit. Per Italiam curæ cordique ipsi fuit celeberrimos viros, *Petr. Antonium Michelli*, & *Johannem Hieronymum Zanichelli*, *Josephumque*

Monti

Monti ſuis partibus addictos ſervare, quorum ille prorſus illuſtre amoris erga noſtrum condidit monumentum, inſcripto nomini ejus novo plantarum genere, quod *Linckianum*, adpellat, id quod factum fuiſſe profitetur in *Novis plantarum generibus*, Florentiæ An. cIↃ IↃ CCXXVIII. 4. p. 176. *in animi argumentum erga D. Johannem Henricum Linckium, Pharmacopæum Lipſienſem præſtantiſſimum rerumque naturalium ſtudioſiſſimum.* Inter Helvetos, celeberrimos viros, *Joh. Jac. Scheuchzerum*, cujus Biblia iconographica ſuis ſerpentibus liberaliter communicatis, auxit. *Carol. Nicol. Langium*, amicosque præ cæteris caros *Lavaterum*, *Eſchertumque* operis ſui adminiſtros obtinuit, quorum nomina in Catalogis tranſmiſſorum cum honore recenſentur. Ex Muſcovia & magna Tartaria obtinenda rariſſima quæque, Mineras, Stellas & capita præprimis Meduſæ aliaque, inſignem commoditatem Noſtro fecit non ſatis laudandus D. *Gmelin*, ſicut D. *Kanoldum* per Hungariam hiſtoriæ naturalis cauſa iter facientem, ſibi addictum obtinuit. Dolent ejus exceſſum paſſim commercio literarum eidem conjunctiſſimi eruditiſſimi viri *Johannes Philipp. Breynius*, *Joh. Job. Theodorus Kleinius* Gedanenſes, *Franciſcus Erneſtus Brückmann* eidem præcarus, qui noſtrum epiſtola itineraria cohoneſtavit aliique, quibus omnibus neceſſarius noſter extitit, & a quibus mutua ſemper obtinuit officia. Fieri ſane prolixiſſima iſta, quam ſibi longe lateque acquiſiverat, fama non potuit, quin variæ Societates eruditæ ejus Commilitium exoptarent. Noſtra hæc Academia primam bene merenti Viro lauream decrevit, eundemque in conſortium adſcivit. A. cIcIↃ CCXXII. addito honeſtiſſimo *PLINII tertii* titulo, quo ad præclara quæquæ exſtimulatus haud ſemel fuit, ſiquidem Ephemeridum noſtrarum Volumina Obſervationibus ſuis frequenter auxit, nempe: de *Vegetabilibus quibusdam exoticis*, ſpe-

ciatim de *radice Mexicana Contrayerva*, quæ eſt XXIX. Voluminis I. Actorum phyſico - medicorum Ephemeridum continuationem exhibentis, Norimb. MDCCXXVII. 4. Porro de *fœtu humano monſtroſo ſimilitudinem leonis habere, ſed perperam, putato*, quæ extat loco LXXIV. ej. Vol. Inde de *arbore Coffee Lipſiæ florente*, quæ extat ibidem N. CVI. & tandem de *lacerta aquatica per vomitum reddita.* Magno ſcilicet eundem pretio habebat immortalis memoriæ vir J. J. *Bajerus*, Præſes ordinis noſtri, qui eidem Sciagraphiam Muſei ſui & ſupplementa oryctographiæ Noricæ, Norimb. MDCCXXX. 4. editæ inſcripſit. Secutæ ſunt noſtrum exemplum aliæ, Societas ſcilicet Regia Anglicana, quam de *Cobalto* diſſertatione Latina Tranſact. no. 396. p. 192. An. MDCCXXVI. hoc ipſo, quo receptus fuit, anno, ornabat, & quæ *Aloiſium Ferdinandum* Comitem *MARSIGLI* fundatorem agnoſcit Academia Bononienſis, quæ *Inſtitutum Scientiarum & artium* dicitur. Hiſce honoribus ſe vario modo dignum jam antea præſtiterat, emiſſis in lucem eruditionis ſuæ teſtimoniis. Magnam eidem exiſtimationem peperat inſigne iſtud, quod Lithophylacii ſui coryphæum eſt, Sceleti Crocodili, prout videtur, ſimulacrum, Suhlæ in Franconia effoſum, de hoc Naturæ opere prodiit ejus ad Clariſſimum *Johannem Woodvvardum* de *Crocodilo petrefacto* epiſtola A. MDCCXVIII. multo magis iſtos, pluresque ſi concedi potuiſſent, honores ſibi vindicabat, ſplendido iſto de *Stellis marinis opere*, anno MDCCXXXII, edito, (*) quod Societa-

(*) Titulus ejus ſequens eſt: *Joan, Henrici LINCKII*, Acade-

cietatis Regiæ Anglicanæ Præsidi, *Joanni Sloanio*, reliquisque sodalibus inscribitur, cui par aliud in suo genere nondum extitit. Adjutor ipsi in vasto opere fuit celeberrimus vir, *Christian. Gabriel Fischerus*, Regiomontanus, cui nunc ex itinere reduci patriosque penates salutanti felicia fata & vitæ tranquillitatem adprecamur. Meditabatur plura eademque se suaque eruditione digna futura, prout ad splendidiora se eniti in alloquio ad Societatem Anglicanam profitetur. Non deerat ipsi nova declarandi opportunitas, dummodo idipsi per temporis angustiam licuisset. Serpentes viperasqueMusei sui eleganter admodum delineatas vivis coloribus editurus erat, nec obscurum jam istius rei factum fuerat primordium. Pisces quondam utriusque Indiæ, quorum memoria vel icon apud Ichtologos nondum extat, ex Guapervarum & Acaraunarum, aut Ranarum piscatricium gente, opusculo cuidam destinaverat Forte & Musei sui uberrimos & optime dispositos Catalogos editurus erat. Hac spe omnes frustrati cum Parente partum periisse dolemus, per vegetam ætatem, qua pollebat, utpote aliquot mensibus sexagenario minor, sperabant amici fatalem diem divina gratia adhuc aliquo abesse spatio. Sed aliter decretum fuerat summo Numini mortis enim nuncius ei adlatus est, utut tetrica adeo morbi facies primum non extitisset. Diarrhœa

miæ Naturæ Curiosorem Cæsarnæ, & Societatis Londinensis Regiæ Sodalis, de *Stellis* Liber singularis, tab. ænæis, Figur, exemplaribus naturæ apprime similibus & auctoris Observationibus disposuit & illustravit *Christian. Gabriel FISCHERUS*, Regiomontanus Acc. *Eduard Luidii*, de *Reaumur* & *Dan. Kalds* huj. argumenti opuscula, Lipf. MDCCXXXIII. Fol.

colliquativa laborare incepit, qua ſuppreſſa in febrim tertianam incidit, quæ paulo poſt in quotidianam intermittentem, Tertianam duplicatam & denique continuam degenerans omnem convaleſcendi fiduciam eidem præſcidit. Æquo id tuliſſet animo, prout fortem piumque Chriſtianum decet, niſi gravidam noſſet cariſſimam uxorem, quam maſculum ſibi parituram confidebat, Sed nec ita quidem res Noſtrum ab animæ cura dimovit, quin eandem placide DEO redderet die XXIX. Octobr. Anni cIↃ IↃ CCXXXIV. magno ſuorum omniumque luctu. Nec vitam ſaltim memorabilem egit, ſed mortem hoc ipſo celebrem obiit, quod Filium poſthumum habiturus eſſet, qui omnium, Matris potiſſimum vota adimplens felici omine die XXV. Novembr. anni modo dicti lucem adſpexit, vegetæ ſanitatis, quam DEUS ipſi perennem faxit, ingenui vultus magnæque ſpei puer *Johannes Henricus Linckius.* Hoc præclarius ſuæ perennitatis monumentum aliud habiturus non eſt Noſter, dummodo, quod precibus experimus, iſto adflictam gentem ſolatio, diutiſſime divina gratia perfrui patiatur,



MEMO-

MEMORIA
VIRI
NOBILISSIMI AC PRUDENTISSIMI,
DOMINI
ALBERTI SEBA,
PHARMACOPOEI AMSTELAEDAMENSIS CELEBERRIMI, ACADEMIÆ IMPERIALIS LEOPOLDINO-CAROLINÆ NAT. CURIOSORUM COLLEGÆ,
XENOCRATES DICTI,
SOCIETATIS REGIÆ ANGLICANÆ, UT ET BONONIENSIS INSTITUTI SCIENTIARUM SODALIS
POSTERITATI COMMENDATA
A
CRATEVA.

Non nobis tantum, sed omnibus, quibus de vero virtutis & scientiarum pretio constat, desideratissimus, utut maturi senii, vir, ante diem tamen obiisse visus est, cujus suavissimo sodalitio & commercio prorsus utili hodienum & in seros annos perfrui, nisi divinæ providentiæ secus placuisset, optassemus, Dominus *Albertus SEBA*, Apothecariorum lumen, quem nominis honorem eidem ex *Quirici de Augustis* hunc titulum gerente libro decernere non dubitamus. Hunc, etiamsi conjunctissimus nobis, prout extitit, non fuisset, suffragiis cum viveret dignum, planctibus postquam excessit dignissimum judicassemus. Effectura id erat in animis nostris æquitas, qua non nostra tantum, sed & aliena, probitatis documenta collaudamus. Multo majora habituri sumus ingenui luctus argumenta ex Viro inter suæ artis peritos primicero immo vero qui angustos illos Pharmacevtices, quam potissimum profitebatur, terminos egressus, universi mundi creati immensam rerum seriem magno animo, nec inferiore ausibus suis felicitate adgressus est, quandoquidem ille angustis istis, quibus conjungimus Societati Cæsarei nominis vinculis, & ipse, detentus, paria nobiscum, in nominis Germanici magis magisque evehendi dignitatem, officia contulit, communem causam consilio reque adjuvit, & postquam nominis sui celebritatem ad posteros evexerat, suæ gloriæ, cum noster sit, partem nobis sancivit. Hunc, Nostro, quem tamen exteris, quorum eruditas Societates pariter ingressus est, haud invidemus, more majorum funebrem pompam ducimus facesque succendimus ferales, cujus ossa, patria, qua reconduntur, terra, molliter cubent interea, dum æqui rerum æstimatores justa Viro persolvunt Bono, Pio, felici, sapienti, quem equidem non muliebriter flemus, quandoquidem ille rerum gestarum pondere suæ ætatis limites fere superavit, peterat ille suos lacrymis interdicere,

quod

quod ENNIUS fecit, cujus ultima habetur hæc voluntas in ejus a se statuto Epitaphio, quod habetur inter Fragmenta Epigrammatum,

Nemo me lachrumis decoret nec funera fletu
Faxit: cur? Volito vivu' per ora Virûm.

Interim instituti ratio postulat Sodalis vitam, nascendi conditionem, mores, fata, merita, quantum ejus ad cognitionem nostram devenire potuit, condere, bene merentis urnam laudibus coronare, in ejus perennitates aliorumque ex nostris, in quos, quo sero illud collocetur officium, DEUM precamur, incitamentum.

Natale illi solum est *Frisia orientalis*, cujus oppidum *Etzelen*, gloriari de ejus incunabulis potest: Germanus hoc ipse natalibus, utut educatione Belga utramque gentem celeberitate nominis sui implevit. *Germanus* tamen dici semper præoptavit, neque enim tantum Germaniæ superioris idioma feliciter expressit eodemque impense delectatus est, sed & officinam efficacissimorum remediorum, quam Amstelædami instruxit, *Germanicam*, adpellari, id quod & nunc moris est, maluit. Natus autem est parentibus probis & ingenuis, quorum tamen tenues omnino facultates, opulentiæ filii, quam labore & industria sibi conciliavit, prorsus impares, efficiunt, quo dici possit humili loco natus esse noster, id quod in laude maximorum quorumcunque virorum repositum semper fuit. Equidem, quod semper doluit, ingenuarum artium cultura animum ab ineunte ætate perpolitum haud obtinuit, rebus angustis domi, non quo sciret, sed quo faceret, imperantibus, ita tamen hærentem humi lucroque immorientem vilemque animam non gessit, quin mentem ad contemplationes ab ineunte ætate erigeret, delectatus maxime rerum creatarum varie-

tatibus, quas adhuc puer pueriliter congerere, conchas vel lapillos legendo, adsuevit. Pridem instinctui istius fecit, inter Medicos ævi nostri facile princeps, & quod in gloriam cedit, Sebæ amicissimus, clarissimus *Hermannus BOERHAAVIUS*, qui nostri splendidum opus ejusque Tomum primum hoc potissimum elogio exornavit: „ *Albertus Seba totam* „*dedit ab unguiculis vitam, ut per diligentiam infinitam cogno-* „*sceret quam accuratissime id omne, quod vel ullo respectu pertine-* „*ret ad materiam medicam, colligeret sibi ex locupletissimo vastæ* „ *naturæ thesauro, quæ omnium optima forent & lectissima in uno-* „*quoque singulari remediorum genere.* „ Ephebis vix egressus, mentem ad Pharmacevtices studium adpulit, non perfunctoria opera, sed egregio conatu, artem hanc suam, quæ mercenaria plerumque esse solet, ab ignorantiæ aut præjudiciorum ignominia vindicaturus, quod tamen uno impetu efficere haud potuit. Postquam enim tyrocinia artis fecisset penes maxime expertos Pharmacevtices magistros, proprio alarum remigio adspirare ad meliorem fortunam cœpit, susceptis per Belgium Germaniamque inferiorem itineribus, quo & instructissimas quasque officinas perlustraret & virorum, qui in colligendis naturæ thesauris desudabant, cimelia coram intueretur, a quibus, maxime a præstantissimis suæ ætatis viris, *Schvvammerdammio, Ruyschio, Vincentio Kiggelerio, Witsenio*, agendi stimulos & imitationis exempla cepit. Primus eidem fuit, simplicia quæ virtutem medicam continent, penitus nosse, impetus, quo adactus diu multumque per Belgium divagatus, primum mediocria, quæ parvo constarent pretio, ære redemit, aliisque divenditis, servato sibi quidquid ex omni optimum haberetur. Non puduit eundem disertis coram peregrinis, cum quibus ipsi magna semper fuit familiaritas, verbis, pristinæ vitæ rationem exponere. Navium magistros, vel classiarios, aut nauticam plebem plurimis officiorum generibus sibi obstrinxit, ipse efficacissima

quæ-

quæque remedia commiſcuit, quorum uſum potiſſimum eſſe peregre abituris no verat, vel viliori divendidit pretio, vel dono dedit, quo reduces nova quædam eidem adferrent, paciſcens. Nemo ex illis, quos dulci verborum lenocinio demulcere, vel officiis devincire noverat, ex Africæ meridionalis & Promontorii bonæ ſpei, unde plurima eidem adlata fuerunt, vel magis Orientalibus, maxime Surinam Ceylanque inſulis, vacuus rediit, quin ſerpentulum, Lacertam, concham, plantam marinam, inſectum amico adferret. Non expectavit Seba donec mercibus liberarentur naves, ipſe advolavit, lætos, lucro tumidos patriæ aura tumentes Nautas blanditer compellavit. Itineribus fractos ſublevavit, munuſcula ſparſi & invitis fere curioſiſſima diſſiti orbis producta, extorſit, ſi quæ plus unavice obtinuiſſet, Theſaurorum patronis divendidit, ſua domi digeſſit, perpolivit, figuræque, quam viva ſervaverant animalia, arte, qua potiſſimum excellebat, reddidit. Non anni, ſed annorum labori iſthic extitit. Deterritus rerum difficultatibus & obſcuriore primum ſupellectilis ſuæ incremento neutiquam fuit Seba, quin perſiſteret, premeret, urgeret opus: Qui enim fortuita quævis, prout primum oblata ipſi fuerant, cupidus amplexus fuerat, nunc ſelectum ex omnibus inſtituere, in ordines redigere adparatum, de uniuscujusque hiſtoria ſollicitus eſſe cœpit, jam imperabat, quid adferrent, jam amicis ſuffultus, & quid in quavis extera Provincia deſideratiſſimum eſſe poſſit, de meliori inſtructus, novis plantarum, anima-

lium, mineralium, marinorum generibus inhiabat. Plurimum favet animis novitatum ſtudioſis orbis ille in orbe noſtro, Amſtelædamum, de quo verius dici poſſunt, quæ jactanter admodum in Lugdunenſis Galliarum urbis Curiæ porticu leguntur:

Quod nolis alibi quæras, hic quære quod optas,
Aut hic aut nunquam vincere vota potes.

Maximus hic eſt omnium gentium, quas lucri odor attrahit, confluxus, concilium mundi hic agi crederes, miraturque in Præfatione ſplendidiſſimi Operis ſui noſter, quæ denique penuriæ iſtius Curioſorum in vaſtiſſima urbe cauſa eſſe poſſit. „ *Dolendum profecto eſt*, ait, *hac noſtra in patria,* „ *quæ iis omnibus, quorum ad detegenda naturæ mirabilia, ad* „ *ſcientias promovendas, & illuſtrandam hiſtoriam naturalem,* „ *uſus eſt, adfluit, immo vero diffluit, adeo tamen parvam ha-* „ *beri rationem culturæ ingeniorum & eruditionis amplificandæ.* „ Hoc ipſo quod negligebant alii cum unicus *Seba* intentus eſſet negotio, parvo temporis ſpatio congeſtis in unum utriusque Indiæ Naturæ cimeliis, ad inſignem rerum copiam adcrevit benedicente Numine opesque largiente, quibus adſpirare, ſolutoque aere, prout precario plurima, ut ipſe fatetur, adlata fuerant, nunc de induſtria animi votum implere poterat. Factum id potiſſimum eſt anno poſt reparatam ſalutem milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo, quo Pharmaceutices Magiſter ſtrenuus & Myrepſus induſtrius eſſe Amſtelædami cœpit, alium ſcilicet mercatorem, qui ſimplicium, ad materiam medicam facientium, peri-

peritior esset, supra se non agnovit, maxime vero rem medicam utriusque Indiæ ingeniose discussit, comparatis sibi uniuscujusque nitidissimo exemplari, in quo nascendi conditio, forma, genus, historia concreti plurimum elucesceret, quo ipso nobis alter *Garzias*, *Piso*, *Bontius*, *Hernandezius* alter extitit, quorum commentationibus, limpidissimam lucem adfundere oculari demonstratione solebat. Illa potissimum ætate, qua florente sorte & viridi fortuna uti incipiebat, ad studia animum adpulit, consortio eruditissimorum virorum usus, quorum familiaritate illectus, ad uberiorem rerum suarum explicationem & secundum Auctorum placita dispositionem omnes ingenii vires adplicuit. Plurimum semper deprædicavit laudibusque magnis extulit celeberrimi RUYSCHII in se propensionem, a quo potissimum in Serpentum Viperarumque ordinibus adjutus fuit. Magno ipsi honori fuit, clarissimi BOERHAAVII consiliis uti potuisse, cui ex paucis carus extitit, id quod summi istius viri præmissa Operis Tomo primo testatur præfatio. Fieri sane aliter haud potuit, quin tum aliorum, tum horum potissimum in historia naturali versatissimorum virorum doctrinis imbutus, opibus adjutus, instinctu, quem naturalem semper ad hosce thesauros habuit, propendens ad summa quæque grassaretur. Secuta est indigenam, quam apud cives obtinuerat, gloriam, famæ apud exteros celebritas, paucique fuerunt istius temporis eruditi, per Angliam, Italiam, Galliam, Germaniam & septentrionales Provincias, quin ad Viri familiaritatem devenire optarent. Plurimum eidem largitus est celeberrimus HANS

SLOANIUS, Eques Britannus & Academiæ Regiæ princeps, a quo magno honore habitus cultusque cum ſtudio fuit. MARSIGLIUS Comes, Inſtituto Bononienſi, quod condidit, celeberrimus, conjunctiſſimus eidem literarum commercio fuit. Helvetorum lumen, SCHEUCHZERUS, admiratus eundem eſt haud ſemel. Ex Germanis potiſſimum coluit magnoque pretio habuit celebrem virum Pharmacevtam LINCKIUM, cum quo plurima rerum ſuarum permutavit, datis quibus abundaret, acceptis quibus careret. Fautorem & ſtatorem veneratus eſt Perilluſtrem BAIERUM, Academiæ noſtræ Præſidem graviſſimum, cujus in transmittendis lapidibus figuratis munificentiam deprædicare magnopere ſolebat. Dolent ejus exceſſum ſuperſtites per orbem amici, quos literarum commercio coluit, poſt adlegatos Generoſus HEUCHERUS, Conſiliarius & Archiater Regiæ Majeſtatis Polonicæ celeberrimus, KLEINIUS, Gedanenſium lumen, JOSEPHUS MONTI, Italorum decus, JOANNES LANGIUS, Helvetorum gloria, pluresque alii. Dubium fuit apud omnes, an mirari doctrinam viri, an qua omnium literas excepit humanitatem & in reſpondendo promptitudinem, & variorum idiomatum, præter latinitatem, quam floridam habuit, peritiam deberent. Sicut autem abſentibus facilis, ita præſentibus, qui eundem inviſerent & haud raro nominis celebritate illecti peregre accederent, per quam commodus extitit. Neminem, niſi de meliori inſtructum, dimiſit. Dies, ſpectatum venientibus, unus haud ſuffecit, deſiderium, iteratis vicibus immenſam rerum copiam perluſtrandi, ne-

mo

mo unquam explevit, hoc potiſſimum nomine, quod hoſpitalitatis jura ſedulus exerceret acceſſusque haberet faciles, agnomen ab Academia noſtra *Xenocratis*, Principis hoſpitum, impetravit. Nempe maximum illius temporis inter Septentrionales coronatos Principem, PETRUM MAGNUM Imperatorem Moſcoviarum, & ipſe hoſpitio excepit. Nemo eſt, qui ignoret itineris iſtius amplitudinem, quo Heros iſte florentiſſimas Europæ Provincias attigit, ut Regnum ſuum politiſſimis moribus, artibus ſcientiisque Germanorum, barbarie extraheret, quod, quam felici ſucceſſu factum ſit, omnes norunt. Iſtius temporis opportunitas *Sebæ* noſtro auſpicatiſſima extitit, adductus viri fama Princeps ad ejus domum ſeceſſit, ſæpius ibi commoratus eſt, nihil ex omni theſaurorum ambitu intactum reliquit, quin oculis uſurparet magnamque exinde jucunditatem perciperet. Nec diſceſſit Amſtelædamo Imperator, quin *Sebam* honoribus auctum, & ut Muſeum ſuum aere redimi pateretur adductum, ſuis opibus fere exueret, ex civili Regium effecturus theſaurus, qui nunc Petropolitanæ Academiæ honor eſt & ornamentum; factum id eſt anno hujus ſæculi decimo octavo. Crederes pertæſum laboris noſtrum, reſarciendæ, quam feliciter paſſus erat, jacturæ, conſilium dimiſiſſe. Tantum ejus abeſt, ut potius majore animo viribusque & opibus auctior ad opus redierit, non modeſtus, ſed impetuoſiſſimus Collector, utpote qui paucorum exinde annorum ſpatio non tantum priſtinam Muſeo ſuo faciem reddiderit, ſed & nitidiorem conciliaverit, nitidiore poſt extractas exuvias ſuccreſcente, non ſecus ac

ſerpen-

ſerpentibus, pelle. Contemplatus noſter, quam hoc exemplo edidicerat, rerum humanarum viciſſitudinem, ab illo tempore ad condendam ſupellectilis ſuæ hiſtoriam mentem adpulit. Maturius id peracturus erat, niſi diſpartiri ſe in tot tantaque negotia maluiſſet. Occupabat eundem haud mediocriter, præter res domeſticas, vaſtiſſima univerſo fere regno Moſcovitico ſimplicia medicinalia ſubminiſtrandi, quam hæreditariam a PETRI M. reditu obtinuerat curam. Inde a variis doctiſſimorum virorum Societatibus in conſortium adſcitus, & hoc ipſo non levem temporis jacturam, ſed nec levem exinde gloriam habuit. Noſtri corporis amicum vinculum primus iniit An. MDCCXXVII. d. XXIV. Maj. inde a Regia Societate Anglicana adoptatus fuit, donec & Bononienſis Scientiarum Academia hunc eidem honorem decerneret.

Nemo eſt quin operis iſtius ſplendidiſſimi, quod vere Theſaurus, prout ſonat, dicitur, dignitatem norit. Publica Acta literaria Lipſienſia, aliaque, laudes iſtius magnifici laboris cecinerunt, nec opus fuit mendicato elogio uti, cum res ipſa Magiſtrum collaudarit. De iſthoc ***rerum naturalium*** Sebæ noſtri ***Theſauro*** nuperrime Gallus quidam anonymus in Catalogo Conchyliorum, qui prodiit anno MDCCXXXVI. Pariſiis in octavo, ita profeſſus eſt: „ ***Termini energici ſatis, quibus ambitus & rerum perfectio æque ac varietas iſtius Muſei deſcribi debeat, inveniri nequeunt. Juſtitiæ intereſt, quo dicamus, incredibile eſſe, quo uſque in hoc hiſtoriæ naturalis genere collectio quædam euehi potuerit.*** „ Longo abhinc

hinc tempore, quod illi facere ſolent, qui magnifica extruunt palatia, materiem ex probatiſſimæ fidei auctoribus collegerat, compoſuerat. Dubium ſupereſſe poteſt intuentibus, an ſumtuum, quos Prætorios diceres, impenſorum prolixitas, an artificum, quos exercitatiſſimos aluit, dexteritas, an rariſſimorum triplicis naturæ regni productorum, ſua, quam nativam habent, elegantia in hoc theatro mundi comparentium, ſelectus, an denique, quamvis id primo loco dicendum fuiſſet, Auctoris fides, eruditio & hiſtorica accuratio, primum debeat admirationi locum facere. Primus herculei fere laboris miſſus, anno hujus ſæculi trigeſimo quarto, nominibus Collegarum noſtri Ordinis cum aliis inſcriptus, lucem adſpexit omnium bonorum adplauſu. Alter elegantia priori haud inferior, Regia itidem forma anno ſequenti prodiit, utrumque Volumen a munifico Sodali noſtro liberaliter transmiſſum, amoris ejus in Bibliotheca noſtra pignus extitit. Facile rem penitus conſiderantibus perſpicitur, vitam ſuam inter iſta ſtudia peregiſſe noſtrum, id quod ex orationis genere non niſi hiſtoriæ naturalis peritiſſimo cuique familiari potiſſimum eluceſcit. Neque vero iſtud immortalitatis unicum eſt, quod ſibi erexit, monumentum, ſed variis opuſculis ad ſummum iſtud Opus præluſit. Ephemeridum noſtrarum inſigne habetur ornamentum de *Sceletopœia foliorum & fructuum* commentatio, qua totum pro arcano habitum, prout a RUYSCHIO id edidicerat, artis fundamentum ingenue exponitur. Inſignis illi in vegetabilis iſtius anatomiæ adminiſtratione facilitas æque ac felicitas

exſtitit. Inter encomia, quorum manipuli in honorem Noſtri a celeberrimo GAUBIO, in præliminari Tomo primo præfixa Ode, ſparguntur, iſta recenſetur dexteritas;


Quin & docebit te Seba candidus
Cutim tenellam glubere frondium
Et fructuum extricare villos
Ut fabricam videas ſtupendam.

Hoc ingenii ſui fœtu, maſculæ prolis, qua divino conſilio caruit, defectum maſcule ſupplevit, habiturus hoc ipſo æternum perennitatis ſuæ argumentum. Ex matrimonio enim, quod anno ſuperioris ſæculi octavo ſupra nonageſimum cum honeſtiſſima virgine iniit, tres ſaltim ſuſcepit filias, a quarum natu media tres nepotes maſculos obtinuit. Magnum ſeni fuit ſolatium, Generum ſuæ virtutis & theſauri heredem obtinuiſſe optimum virum *Jacobum Marcum*, Mercatorem inter Amſtelodamenſes primi ordinis, qui Avo nepotes non natura tantum, ſed & nomine dedit, *Jan Seba Marcum*, *Albertum Seba Marcum* & *Jacob Fridericum Seba Marcum.* Voti ſui omni ex parte compos haud redditus, tertiam quartamque Theſauri ſui partem diſpoſuit equidem, ſed ad finem haud perduxit. Tomo tertio, prout in præfatione totius operis ſperare jubemur, elegantiſſimæ continebuntur ſpecies eorum, quæ ſuppeditat Oceanus, Plantæ, Muſci, Echini, Stellæ ſolesque marini, Conchylia exotica rariſſima, tum & plurima foſſi-

fossilium peregrinorum specimina, lapides denique vario miroque modo figurati utriusque Indiæ. Quarta tandem pars reptilia dabit plurima atque insecta, tam terrestria, quam aquatica, ex quatuor orbis partibus. Parum nobis de operibus istis omnibus posthumis sperare liceret, fatumque habiturus esset *Seba* mutilorum numerum augendi, nisi magnam nobis omnibusque jam collaudatus Gener fiduciam, proxime jam proditurarum operis partium posthumarum, fecisset; sic enim habetur in ejus ad Sodalem Lipsiensem epistola: „ ***Partium operis sui duarum,***
„ ***quæ ineditæ supersunt, curam mihi testamento legavit, va-***
„ ***riis, quæ ab executoribus mota sunt, impedimentis distur-***
„ ***bor, sed benedicente DEO ineunte vere edere utramque adni-***
„ ***tar.*** „ Gratulamur bono viro de insigni hoc suæ erga Socerum & Promotorem pietatis specimine, eundemque ne diu eruditos isthac voluptate carere patiatur, exoramus. Fractus scilicet viribus Noster, seniique gravi pondere oppressus, mature virum hunc sibi carissimum in laboris communionem adscivit, consilia cum eodem contulit, ita, ut eundem expectationi omni satisfacturum non speremus, sed confidamus. Sic mortuum se vix sensit noster, postquam ille naturæ debitum lubens, & prout Christianum hominem decebat, fortiter exsolvens, ad divos exiit die Mensis Maji secundo anni MDCCXXXVI. exhaustis quatuordecim dierum Ileo morbo viribus, magno omnium & nostro cumprimis luctu, undecim mensibus & viginti uno diebus septuagenario major, pius, prudens, sapiens,

Christianus, Civis, Sodalis, Paterfamilias, cui nostra Academia bene de se merenti ultimam hancce feralem pompam sciens lubensque duxit, suspensa lugubri tabula, qua hæc habentur:

Care SEBA, nostrum decus & sincera voluptas,
  Care SEBA, Batavi lucida stella poli,
Docte Senex nihiloque minus juveniliter audax,
  Quandoquidem vitæ terminus exit, have.
Sit tibi terra levis, qua seclis inde futuris
  Stans tua gesta nepos enumerare queat.



INDEX

INDEX ALPHABETICUS RERUM NOTATU DIGNIORUM.

Ubi Aſteriſcus numero adjectus ad Appendicem remittit.

Auri

Mer-

Spa-

Errata in Vol. VI. occurrentia sic corrigenda.

Pag. 4. lin. 28. leg. *temulentia* pag. 5. lin. 8. leg. *optabilior.* pag. 8. lin. 1. leg. *repetiisset.* pag. 10. lin. ult. leg. *proscribit.* pag. 21. lin. 15. leg. *raparum.* pag. 24. lin. 9. leg. *Hermann.* pag. 25. lin. 6. leg. *cruditates.* pag. 26. lin. 1. leg. *reputandum* pag. 29 lin. 20 leg. *quantumvis* pag. 30. lin. 12. leg. *abscessum.* pag. 33. lin. 25. leg. *faciei.* pag. 48. lin. 1. leg. *videtur.* pag. 59. lin. 21. leg. *sistit.* pag. 66. lin. 19. leg. *hancce.* pag. 70. lin. 28. leg. *innotescit.* pag. 75. lin. 19. leg *obstruantur.* pag. 78. lin. 14. leg. *paroxysmo.* pag. 84. lin. 1. leg. *influentiis.* pag. 87. lin. 15. leg. *experientia.* pag 92. lin. 10. leg. *supprimere.* lin. 30. leg. *uncias* pag. 97. lin 14. leg *peripnevmonia.* pag. 98. lin. 7. leg. *alii.* pag. 99. lin. 12. leg. *inoculationem.* pag. 107. lin. 11. leg. *filum.* lin. 16. leg. *uncias.* lin. 20. leg. *horruit.* pag. 127. lin. 12. leg. *idoneum.* pag. 130. lin. 10. leg. *reflexionem.* lin. 25. leg. *difficilior.* lin. 29. leg. *ruga.* pag. 131. lin. 20 post *convexam* deleatur *comma.* pag. 145. lin. 3. leg. *supponimus.* pag. 145. lin. 19. leg. *concipiamus.* pag. 149. lin. 9. ab initio leg. *jam* lin. 10. leg. *praescriptorum.* lin. 15. leg *haberent.* pag. 165 lin. 10. leg. *quadam* pag. 166. lin. 13. leg. *ut.* pag 169. lin. 1. leg. *Chemnicium.* lin. 11. leg. *mundi.* pag 170. lin. 3. leg. *contrarium.* pag. 171. lin 17. leg. *conservatur.* lin. 18. post *se* addatur *&.* lin. penult. leg. *subjiciuntur.* pag. 182. lin. 10. leg. *materno* pag. 186. lin. 4. leg. *protuberantibus.* pag. 193. lin. 19 leg *humorem.* pag. 194. lin. 1. leg. *occurrat.* pag. 197. lin antepenult. leg. *imminuebant.* pag. 198. lin. 14. leg. *progressum.* pag 212. lin. 27. leg. *uncias.* pag. 217. lin. 5. leg. *suffocarentur.* pag. 219. lin. 9. leg. *diarhoea.* p. 230. lin. 26. leg. *in.* lin. ult. leg. *leviuscule* pag. 231. lin. 6. leg. *atrotruno.* lin. 12. leg. *prorsus.* lin. 13. leg. *debebat.* pag. 232. lin. 16. seq. leg. *placidissima.* pag 233. lin 30. leg. *citrinum.* pag. 234. lin. 2. leg *exederent.* pag. 235. lin. 18. leg. *adminiculo.* lin. 23. leg. *fauces.* pag. 236. lin. 12. leg. *aliquot.* pag. 237. lin 1. leg. *duodenum.* eod. liu. leg. *oesophagum.* pag. 238. lin. 3. leg. *labefactata atque impedita.* pag. 240. lin. 26. leg *sphacelus.* pag. 242. lin. 9. leg *pravia.* lin. 13 leg. *conjectura.* pag. 243. lin. 16. leg. *frusta.* pag. 244. lin. 16. leg. *vir.* pag. 250. lin. 14. leg. *adglutinata.* pag 252. lin. antepen. leg. *pro.* lin. pen. leg. *famoso.* pag. 254. lin. 15. leg. *frusta* pag. 269. lin. 28. leg *poteram* pag. 270. lin 21. leg. *revera.* lin. 27. leg. *periostio.* pag. 271. lin. 27. leg. *graviditatis* pag. 272. lin. 26 leg *densitatem.* pag. 273. lin. 4. & 5. leg. *corrugatur.* lin. 14. leg *fit* lin. antep leg. *solvatur* lin. ult leg *provide.* pag. 274. lin 23. leg. *cruda.* pag 275 lin. 23. leg. *uncias.* pag. 284 lin. 2 in not leg. *Magnal.* pag. 290 lin 4. *animadvertit* lin. 7. leg. *purgandam.* pag. 295. lin 9. leg *Variscorum.* pag 297. lin penult. leg. *nunc.* pag. 299 lin. 22. leg *alterove.* pag 310 lin. 13. leg. *Ettmülleri* pag 313. lin. 3. leg *illam.* lin. 6. leg. *anginodeis.* lin. antep. leg *clementiam.* pag. 322 lin. 9. leg. *rabida.* pag. 324 lin. antep. leg. *animale.* pag. 326 lin. 18. leg. *viginti.* pag. 328. lin. 3. leg. *prodeunt.* lin. 5 leg *vulnerariarum* lin 30 leg. *abscessum.* lin. antep. leg. *momenta.* lin ult. leg *adserti.* pag 329 lin. 1. leg. *sufficienter* lin 28. leg. *externa* pag 330 lin. 1 leg. *occurrunt* pag. 333. lin. 11. leg. *illico.* pag. 335. lin. 12. leg. *antidysenterica.* pag. 337. lin. 23 leg *gladiisque* pag. 339. lin. 2. leg. *impenetrabilitas.* pag 343 lin 14. leg *minabatur.* pag. 348 lin. 13 leg *dextro.* pag. 349. lin 27 leg *scrobiculo.* pag 351. lin 5. leg *forfice.* pag. 355. lin. 16 leg *vir.* pag 356 lin. 1. leg. *adparebat* lin 10. post *venenis* deleatur *aut* pag. 366. lin. 15. leg. *sclopetaria.* lin. penult. leg. *huncce* pag. 369. lin. 7. leg *contendit* lin. 16. leg. *qua* pag. 373. lin. 5. leg. *infima* lin 22. leg *manus* pag. 374. lin. 10. leg. *revera.* pag. 375. lin. 12. leg. *adauctis.* lin. penult. leg. *venereum.* pag. 376. lin. 10. leg. *Xenodochiis.*

abilis. lin. 25. leg. *exquisitissim's*. pag. 377. lin. 5 leg. *interposito*. pag. 379. lin. 16. leg. *languorem*. pag. 381. lin. 2. leg. *duorum*. pag. 387. lin. penult. leg. *dicto*. pag. 389. lin. 14. leg. *Icon*. pag. 390. lin. 19. leg. *parvitate*. pag. 3 3. lin. 4. leg. *connivens*. lin. 13 leg. *Anthericorum*. pag. 395. lin. 25. leg. *manifestum* pag. 398. lin. 19. leg. *fructificatione* pag. 401. lin. penult. leg. *perianthium*. pag 402. lin. 12. leg. *introrsum*. pag. 411. lin 20. leg. gegangen. pag. 415. lin. 13 leg. *bregmatis* pag. 416. lin. ult. leg. *cerebro*. pag. 428. lin. 16. deleatur *in*. pag. 429. lin. 7. leg. *sentientium* pag. 431. lin 14. leg. *Comitem*. pag. 433. lin. 21. leg. *Belius*. pag. 440 lin. 9. leg. deficiat. pag. 443. lin. 19. leg. *utplurimum*. pag. 445. lin. 25. leg *thorace*. pag. 447. lin. 13. leg. *dispositionis* lin. 25. leg. *tumidu um* pag. 448. lin 9. leg. die pag 449. lin. 26. leg. *columbinum*. pag. 450. lin. ult. leg. *abdominales* pag. 456. lin. 30. leg. *bubula*. pag. 458. lin 18. leg. *latitaverit*. pag. 466. lin. 23. leg. *observata* pag. 477. lin. 20. leg. *propinandus*. pag. 478. lin. 23. leg. *alia*. pag. 479. lin. 1. leg. *vires* lin. 22. leg. *acceleravit*. pag. 480. lin. 13. leg. *occupaverat*. lin. 16. leg *parte macula* pag. 484. lin. penult. leg. *donec*. pag. 491. lin. 23. leg. *oculus*. pag. 495. lin. 24. leg. *abscessum*.

In Appendice.

Pag. 6. lin. 3 leg. *tristissimum*. pag. 7. lin. 10. post. *suum* deleatur *comma*. lin. 16. leg. *adhiberi*. lin. 21. leg. *quantum*. pag. 8. lin. 28 leg. *quot*. pag. 11. lin. 10. leg. *magn* . pag. 13. lin. 4. leg. *circulatorem*. pag. 15. lin. 29. leg. *bis* pag. 26. lin. 17. leg. *uncia*. lin. 34. leg. *violarum*. pag. 27. lin. 26. leg. *uncias* lin. 29. leg. *cum*. pag. 28. lin. 12. leg. *agonizans* lin. 15. leg. *deponebat*. pag. 30. lin. 15. leg. *continuis*. lin. 35. leg *circulatorem*. pag. 31. lin. 2. leg. *proposita*. pag. 32. lin. 30 leg. *confitebatur* pag. 42 lin. 6. post *macula* deleatur *comma*. pag. 47. lin. 22 leg. *morositas*. pag. 48. lin. 22. leg. *hyoides*. pag. 50. lin. 1. leg. *cutaneas*. pag. 51. lin. 6. leg. *prodromum*. lin. 11. leg. *Boetticherus*. lin. 14. leg. *metu* pag. 53. lin. 8. leg. *ventilata* pag. 54. lin. 26. post *interius* fiat *semicolon* lin. 27. leg. *bezoard*. lin. antep. in not. leg. *fermentationem*. pag. 55. lin. 7. leg. *retrograda*. lin. 17. leg. *armen*. pag. 65. lin. 15. leg. *spontaneo* lin. 17. leg. *morbillis*. lin. 20. leg. *robustis* lin. 23. leg. *tolerare*. pag. 67. lin. 6. leg. *duo*. pag. 81. lin. 20. *instante* lin. 22. leg. *moriebantur*. pag. 83. lin. 23. leg. *temperatioribus*. pag. 85. lin. 19. leg. *abrogari*. pag. 92. lin. 24. leg. *unciam*. pag. 93. lin. 13. leg. *continuetur* lin. 15 leg. *pragressam*. lin. 24. leg. *decoctum*. pag. 104. lin. 5 leg. *consectaria*. pag. 105. lin. 4 leg. *degeneraverint*. pag. 107. lin. 3. leg. *aliis* pag. 127. lin. 2. leg. *avidissimos*. pag. 128. lin. 14. leg. *progerminationem* pag. 129. lin. 26. leg. *Cochlites*. pag. 135. lin. 14. leg. *systemate*. pag. 146. lin. 10. leg. *discussus*. pag. 162. lin. 3. leg. *Consiliario*. pag. 165. lin. 2. deleantur verba *in Academia Professor in*. pag. 168. lin. 10. leg. *alterutrius*. pag. 177. lin. 5. leg. *Ammanni*. pag. 181. lin. 1. in not. leg. *litterata*. pag. 183. lin. 12. leg. *Elixir*. pag. 184. lin. 21. leg. *Cancellarius*. pag. 187. lin. 13. *sanctioribus*. pag. 189. lin. 32. leg. *habebat*. pag. 210. lin. 2. leg. *medica*. pag. 213. lin. 3. leg. *fixit*. pag. 217. lin. 18. leg. *absentium*. ibid. leg. *juvenes* pag. 222. lin. 16. leg. *medicorum*. pag. 223. lin. 4. leg. *levia*. pag. 226. lin. ult. leg. *ingeniorum*. pag. 229. lin. 10. leg. *Seba*. pag. 233. lin. 6. leg. *exoticorum*. lin. 12. lag. *Sciuri* lin. 21. leg. *unumquemque*. pag. 237. lin. 1. in not. leg. *Casarea*. pag. 238. lin. antepen. leg. *expetimus*. pag. 240. lin. ult. leg. *poteras*.


Volum. VI. Actor. A. N. C. Tab. I.

ad Observat. X. pag. 31.





ad observ. XIII. pag. 48.







Volum. VI Actor. Acad. N.C
Tabula II.
Fig 1.
ad observat. XXI
p.105.
A
B
C
D
E
F
G


Fig. 2.
ad observat. XXX.
p.116
a
b
c
c
c
d

Volum. VI. Act. Acad. N.C. Tab III.





Fig.6.

ad Observat. LXVIII.
pag 246.


Fig.5.

ad Observat. LXVIIII.
pag.248. Fig.7.



ad Observat LXXVI.
p.282. Fig. 8.



ad Observat. XXXIII. et XXXIV. pag 139. 144. 145.

Fig. 1






Fig. 2. Observat. LXXXI pag. 303.




ad Observat. LXXVI. pag. 293.

Fig. 3.



ad Observat. LXXVII. pag. 295.

Fig. 4.



ad Observat. LXXXIX
pag 311.



Fig.1.





Fig 3



Fig.2.

ad Observat. CXVII.



Fig.4. pag. 384.



ad Observat. CXX.



Fig. 6. p. 404



Fig. 5. pag: 404

Fig. I. pag. 127.




Fig. VI.




Fig. I.




Fig. VII.




Fig. II.




Fig. IV.



Fig. III.




Fig V




Fig. X.




Fig. VIII.




Fig X.




Fig. IX.

Append. Volum. VI. Act. N.C.
Tab. II.
p. 145.

Fig. 1.



Fig. 2. p. 146




Fig. 3.

